R G B WH GR BL
Grey Scale #13
C M Y K
Part Code ST1316
DANES PICTA .COM
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19


Inches
Centimetres
Colour Chart #13
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black
DANES PICTA .COM

ACTA TOMICIANA.

TOMUS DECIMUS.

TOMUS DECIMUS EPISTOLARUM. LEGATIONUM. RESPONSORUM. ACTIONUM. ET RERUM GESTARUM.

SERENISSIMI PRINCIPIS SIGISMUNDI PRIMI REGIS POLONIÆ MAGNI DUCIS LITHUANIÆ.

PER STANISLAUM GORSKI, CANONICUM CRACOVIENSEM ET PLOCENSEM.

A. D. MDXXVIII.

SUMPTIBUS BIBLIOTHECAE KORNICENSIS.
MDCCCIC.

93(438)6

2545/3

POSNANIAE.
Typis societatis „Dziennik Poznański.“

Po dłuższej przerwie podejmujemy na nowo wydawnictwo Tomicyanów i oddajemy niniejszem na użytek badaczy tom X, zawierający akta z końca roku 1527 i z całego roku 1528.

Zasady, jakich się przy wydaniu tomu tego trzymałem, są tesame, które zastósowałem we wydaniu tomu IX, a które w przedmowie do tegoż tomu obszerniej wyłuszczyłem. Odwołując się do wspomnianej przedmowy, nie będę się tutaj powtarzał.

I źródła, z których czerpałem, pozostały przeważnie tesame; — uzupełnienie w tym kierunku stanowią c. k. archiwum we Wiedniu (K. K. Haus- Hof- und Staats-Archiv) i archiwum biskupów Warmińskich we Fromborku.

Z kodeksów Górskiego dostarczyły dokumentów do niniejszego tomu:

1) Kodeks Karnkowskiego, tom X, zawierający rok 1528, własność biblioteki Kórnickiej.
2) Kodeksu Sapieżyńskiego tom VII, obejmujący lata 1528 i 1529 — i tom XVII, zawierający „Epistolae Romam scriptae“, własność biblioteki Rogalińskiej.
3) Kodeks Kórnicki pism Krzyckiego.

Prócz tego korzystałem z kodeksu Wojczyńskiego, będącego kopją kodeksu Jagiellońskiego, sporządzoną nie dość poprawnie w r. 1776; obejmuje lata 1528 i 1529 a jest własnością biblioteki Kórnickiej.

Przy każdym dokumencie umieściłem na marginesie wiadomość, gdzie się znajduje, a w przytaczaniu kodeksów zaprowadziłem w stósunku do tomu IX to ulepszenie, iż wymieniam numer bieżący, pod którym odnośny dokument jest w kodeksie umieszczony. Kodeks Wojczyńskiego cytowałem tam tylko, gdzie był jedynem źródłem, gdzie dawał odmianki od oryginalnych kodeksów lub pomagał do poprawienia i ustalenia tekstu.

Jak w tomie IX, tak i w niniejszym starałem się zaprowadzić ile możności ścisłe następstwo chronologiczne, co z niemałemi jest połączone trudnościami, bo znaczna część dokumentów jest bez daty. O ile udało mi się ustalić porządek chronologiczny, o tem sąd nie do mnie, lecz do czytelników i do krytyki należy. Tutaj zaś zwracam uwagę na to, że dwa ostatnie dokumenta — nr. 479 i 480 — na niewłaściwe dostały się miejsce, co już przy tekście tychże dokumentów i w spisie rzeczy sprostowałem.

Z ubolewaniem też zaznaczyć winienem, że nie zdołałem zupełnie uniknąć pomyłek drukarskich. Są między niemi takie, które polegają na mylnem ustawieniu lub przestawieniu liter poszczególnych — i te każdy ze światłych czytelników łatwo sam poprawi; — ale o sprostowanie dwóch pomyłek tutaj już poprosić muszę, — i to na str. 32 wiersz 8 winno być: ecclesiae *Pomesaniensis* zam. Pomeraniensis, a na str. 305 w napisie numeru 319: J. Karnkowski, episcopo *Premisliensi* zam. Vladislaviensi. Opuszczono też w cytowaniu źródeł przy trzech dokumentach, iż znajdują się także w Tekach Górskiego: nr. 32 pod nr. 811 (minuta Jakóba Staśkowskiego), — nr. 38 pod nr. 1060 (minuta Zambockiego z poprawkami Tomickiego) — a nr. 56 pod nr. 1062 (minuta Zambockiego).

Te pomyłki i niedokładności raczą mi czytelnicy wybaczyć choćby z tego względu, że nie mamy drukarni w miejscu zamieszkania, przez co cała korekta i poprawki, któreby nieraz można jeszcze uskutecznić w ostatniej chwili przed odbiciem, nie mało są utrudnione.

Na tem już miejscu pozwalamy sobie też nadmienić, że od następnego tomu — jeżeli umiejętna krytyka nie podniesie przeciwko temu uzasadnionego protestu — zamierzamy dotychczosowy, nie bardzo wygodny format in folio zamienić na format wielkiej ósemki.

W końcu niech mi wolno będzie tak w imieniu właściciela biblioteki Kórnickiej hr. Władysława Zamoyskiego, jak i we własnem, dopełnić miłego obowiązku wyrażenia uprzejmego a szczerego podziękowania właścicielom i kierownikom wszystkich tych bibliotek i archiwów, które nam ze swych zbiorów czerpać dozwoliły, mianowicie JO. ks. Czartoryskiemu, JW. hr. ordynatowi Zamoyskiemu, JW. hr. Edwardowi Raczyńskiemu, Prześw. Dyrekcyom archiwum głównego w Warszawie, c. k. archiwum we Wiedniu, archiwum biskupiego we Fromborku, Biblioteki Ossolińskich we Lwowie, pp. dyrektorowi Winterowi we Wiedniu, dyrektorowi archiwum dr. Liedtkiemu we Fromborku, prof. Korzonowi, prof. Sokołowskiemu, dr. Kętrzyńskiemu. Z podziękowaniem tem dla żyjących połączyć winienem rzewne wspomnienie o dwóch zmarłych, z którymi mię łączył długoletni stósunek koleżeństwa i przyjaźni a od których wiele doznałem w pracy mojej poparcia i pomocy, t. j. o ś. p. prof. Adolfie Pawińskim, dyrektorze archiwum głównego w Warszawie i ś. p. prof. Przyborowskim, dyrektorze biblioteki ordynackiej hr. Zamoyskich w Warszawie.

KÓRNIK, 15 grudnia 1898 r.

Dr. Zygmunt Celichowski.

Anni Domini MDXXVIII memorabilia.

Kompen. Karnkowskiego (Kod. bibl. Rogalińskiej Kod. bibl. Ossolińskich nr. 169.)

Sub finem anni MDXXVII institutus fuit conventus generalis Petricoviae ad diem S. Catherinae virginis,[1]) ad quem universi ordines regni Poloniae literis convocati fuerant, eas potissimum ob causas: videbat S. Mtas. regia nullas se cum imperatore Precopensi constitutas habere indutias, immo irritatus videbatur ob dimissum caesarem Zavolgensem, adversarium suum. Praeterea cernebat Ungariam bello deflagrare, quare verebatur, ne propinquitate incendii aliquid detrimenti subditi sui caperent, et ideo defensionem finium ex consensu omnium statuere volebat. Cum autem animadverteret regia Mtas. non mediocre praesidium in Masovia ad defensionem publicam, quae jure feudi post obitum ducum suorum ad regnum Poloniae sit devoluta, mittuntur legati, qui hanc juris devolutionem proceres Masoviae docerent et ad capessenda publica munia tanquam unius corporis membra cum regno Poloniae invitarent. Quod si abnuerent, Mtem. regiam adversus illos tanquam subditos contumaces processuram.

Contributio universalis in eo conventu decreta erat, ex qua milites in Russiam pro quantitate contributionis ex singulis palatinatibus sunt conscripti.

Ordinatio tandem facta est a sua Mte. de exstirpanda moneta Swidnicensi et de cusione grossorum et aureorum in regno Poloniae.

Nuntii Masoviorum cum limitata potestate ad comitia venerant, ubi nihil ex utilitate Reipublicae constitutum erat.

Occlusio viae in Silesiam decreta erat, ne et Luteranismus et moneta Swidnicensis in Poloniam importari possit.

Mittit iterum regia Mtas. legatos in Masoviam, ut eam contributionem in defensionem publicam, quam Poloni obtulerunt, non recusarent, vel si eam negarent, saltem eam conferrent, quam duces Masoviae praestare solebant.

Increpat rex ducem Prussiae, qui ad mandata regia decimam dare episcopo Vladislaviensi noluerat.

Venit legatio a Petro, palatino Valachiae, petens, ut foedus, quod inter regem et illum percussum fuerat, majori sigillo obsignaretur. Praeterea rogabat Mtem. regiam, ut se pecuniis

[1]) D. 25, 11, 1527.

pecuniis juvare dignaretur. Dicebat enim thesauros suos exhaustos esse, propter magnum tributum Turciae quotannis pendi solitum.

Ad ea regia Mtas. respondit: foedus se obsignaturum, sed pecunias dare non posse propter continua bella, quibus thesaurus exhauritur, praeterea solebant reges Poloniae tum palatinos Valachiae juvare, quando illis erant subjecti, nunc autem alia est rerum species.

Rex dedit responsum legatis regis Ungariae de profectu copiarum ducis Prussiae, illum non posse egredi finibus suis, cum sciat, multos sibi tendi ab Germanis ob desertam religionem insidias. Praeterea cum Germanus sit, milites germanos haberet, qui non bene cum Ungaris conveniunt. Suppetias dare non posse utrique, ad conficiendam tamen pacem operam omnem praestituram.

Advenerunt legati Ferdinandi regis orantes nomine regis sui, ne adversario illius suppetias mitteret; praeterea ut Ferdinandum regem in Masovia jure suo uti permitteret. Offerebant quoque operam dni. sui in conficienda pace cum Moscorum duce etc.

Ad ea rex respondit: se nolle immiscere se alienis, praesertim christianorum principum bellis, neque si vellet, dare suppetias posse propter domesticos hostes. In Masovia quoque regem Ferdinandum nullum jus habere dicit, cum sit unum corpus cum regno Poloniae.

Carolus V. imperator purgat se literis regiae Mti., quod illa, quae acciderant pontifici et urbi a militibus, se inscio ac invito accidisse.

Scribit rex Sigismundus Clementi VII pontifici condolens tum ipsius pontificis tum urbis calamitati.

Ad ea respondet papa et gratias agit ob officium praestitum tam in gratulando quam in condolendo.

Datum fuit a rege responsum Gedanensibus: si rex Daniae ad oppugnandam urbem venerit, se illis non defuturum.

Joannes Dantiscus mittit regi tractatus Gallorum cum imperatore.

Instructio conscripta legatis Poloniae regis ad Ferdinandum regem ituris de tractanda concordia inter Joannem regem et illum.

Joannes, rex Ungariae, a suis proditus et a Ferdinando profligatus ex ea clade Camienieciam est delatus.

Tomicius petit a sua Mte., ut Joannem regem pulsum in suis ditionibus manere permitteret et cum Ferdinando, rege, de ineunda concordia tractaret.

Concessus est salvus conductus regi Joanni cum 300 equitibus in Polonia commorandi.

Consilium petit sua Mtas. a Tomicio, quid respondendum censeret regi Ferdinando, qui rogabat, ut Joannes, rex, receptum in Polonia non haberet.

Respondet Sigismundus rex oratoribus regis Joannis de suppetiis, de indutiis cum Turca per Laski pactis deque matrimonio Hedvigis filiae.

Mittitur legatus ad regen Joannem, qui rationibus suis eo regem inducere est jussus, ut hostili animo et armis abjectis ad concordiam animum adjiceret et a Turca petentes subsidia revocaret.

Missus est orator ad Ferdinandum, cujus legatio fuit in eandem sententiam.

Idem orator Petrus Opaliński missus est ad conventum generalem imperii, qui principibus Germaniae exposuerat, quantis calamitatibus sint exposita regna Ungariae et Poloniae propter continuos hostes, quare petiit suppetias nomine regis sui, utque principes aliquod medium conciliandorum regum invenirent idque maxime christianae Reipublicae causa.

Dominus Laski denuntiavit bellum Ferdinando.

Conqueritur Ferdinandus de multis nobilibus Polonis, qui palam favebant rebus regis Joannis.

Conqueritur Rex apud Tomicium de Laski, qui se invito et sine auctoritate senatus indutias cum Turca constituisset, quem etiam Turcas, Tataros et Valachos adversus Ferdinandum concitasse significabat.

Mittitur orator castellanus Lublinensis ad Turcam pro impetrandis indutiis in decennium. Eidem oratori mandatum fuit, ut descenderet ad palatinum Valachiae eumque foederis admoneret, et si quae de hostibus regni Poloniae persenserit, regem commonefaceret.

Respondit rex legato Ferdinandi, se illi suppetias adversus Turcas dare non posse propter ictum foedus proximum.

Datum est responsum oratori imperatoris: regiam Mtem. vehementer dolere, quod tanta bella excitata sint inter principes christianorum, quae sedari non possunt, nisi convocato generali concilio.

Venit legatus regis Ferdinandi questum de nobilibus Polonis, qui militaverunt adversario suo.

Mittitur instructio Petro Opalenski, oratori apud Ferdinandum regem, qua purgat regem falso esse delatum, quod Joannem regem consilio et auxilio juvaret.

Mittit Opalenski responsum sibi datum a Ferdinando, in quo declarat, se nolle arma deponere, arguere multis in locis regem Poloniae non servantem pacta nec promissa.

1. Comitia regni Poloniae indicta Piotrcoviae.

Sub finem anni dni. MDXXVII institutus fuit conventus generalis in Petrcow ad diem S. Catharinae virginis, [1]) ad quem senatus regni Poloniae literis sequentibus convocatus fuit. [2])

Teki Górskiego, nr. 810.
Kod. Karnk. X.
Kod. Sap. VII.

2. Quitantia Severini Boner.

Sigismundus etc. Significamus etc. Quia cum generosus Severinus Boner, burgrabius, zupparius ac magnus procurator Cracoviensis, in Biecz et Rapstin capitaneus, fidelis noster dilectus, sufficientem, veram et efficacem nobis fecisset rationem praesentibus nonnullis consiliariis nostris de utroque sale Cracoviensium zupparum nostrarum Cracoviensi, Bochnensi scilicet et Vieliciensi, pro duobus annis integris et triginta novem septimanis incipiendo a die prima Januarii anni millesimi quingentesimi vigesimi quinti, usque ad diem septimam Octobris anni millesimi quingentesimi vigesimi septimi, similiter de pecuniis proventuum nostrorum ex capitaneatu Scepusiensi a magnifico Petro Kmita de Vysnycze, castellano Woynicensi, curiae nostrae marsalco, Scepusiensi, Praemisliensi, Colensi etc. capitaneo, pro anno integro, videlicet millesimo quingentesimo vigesimo sexto perceptorum: de qua quidem ratione nos fidem illius egregiam et industriam singularem commendantes, specialibus literis nostris eum quietum reddidimus et absolvimus. Quia vero ex eadem ratione, defalcatis omnibus ipsarum zupparum oneribus ac aliis quibuscunque defalcandis, pro nobis ex dictis utrisque salinis et capitaneatu Scepusiensi in ejus manibus remanserant in paratis pecuniis summae infrascriptae, in auro videlicet ungaricali unum et quadraginta millia quingenti quadraginta octo floreni, in moneta vero triginta duo millia, noningenti tredecim floreni per triginta grossos polonicales computati, grossi viginti septem denarii octo: fatemur igitur ab eodem Severino Boner nobis de hiis suprascriptis quoque utrisque summis tam in auro quam in moneta sufficientem et veram factam fuisse rationem, conciliariis nostris quoque praesentibus, in qua nobis clare ostendit, in quos usus nostros proprios ac alias necessitates de mandato nostro et commissione nostra praefatas summas distribuit ac convertit, incipiendo a die prima Novembris anni millesimi quingentesimi vigesimi quinti, usque ad diem ultimam Octobris anni millesimi quingentesimi vigesimi septimi, producta non sine singulari fide ac diligenti dexteritate

Metryka koronna, Ks. 43. fol. 162.

[1]) D. 25. 11. 1527. — [2]) Listy te zob. w tomie IX, pod nr. 285—289.

dexteritate per eum cum commodo nostro omnia administrata et exequata. In qua quidem ratione Nos illi remansimus obligati ultra percepta distributa in certa pecuniarum summa, secundum ejusdem rationis seu calculi tenorem. De qua volentes ipsum et ejus heredes certiores facere et summarum praedictarum solutionem gratiosam demonstrare: ut autem praedictus Severinus Boner et ejus legittima posteritas, pro sua fide et tam diligentibus ac continuis, indeffessisque servitiis, quae patrui sui olim generosi Joannis Boner inhaerendo vestigiis evidenter et commode nobis praestitit ac in futurum praestare non cessat, et a nobis condignam habeat gratiam, et apud omnes virtutis ac fidei suae commendationem, praesentibus literis nostris eundem Severinum Boner ac ejus legittimam posteritatem et quorum interest de summis praedictis, tam in auro quam in moneta ex duobus annis integris et triginta novem septimanis praefatis, ex utrisque zuppis ac capitaneatu Scepusiensi perceptis, praeterea etiam de omnibus aliis expositis et distributis in suprascripta ratione ad diem ultimam Octobris anni currentis completam collectis, quae nos omnia suscepimus ac praesentibus literis suscipimus, rataque et grata habemus, quietamus ac liberum facimus perpetuo et in aevum omni meliori via, forma ac modo, quibus id nos nostra auctoritate ac potestate facere valemus et ipse vel ejus posteri eguerint. Ac igitur ipse Severinus Boner vel successores ipsius ullam unquam habeant difficultatem, vel sinistram obturbationem, praesentes literas nostras manu propria subscriptas in fidem et robur omnium praemissorum illi dandas decrevimus, sigilloque nostro regio obsignari mandavimus etc. Datum Pyotrkoviae in conventione generali feria sexta in vigilia sancti Andreae Apostoli Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo. Regni nostri anno vigesimo primo.[1])

Teki Górskiego, nr. 834. (minuta Zambockiego z poprawkami Tomickiego).
Kod. Op. IX. 171.
Kod. Sap. VI. 187.

3. Petrus Tomiczki, epus., vicecancellarius, Christ. de Ssidlovec, cast. Crac. cancellarius, Alberto, duci Prussiae.

Illme. princeps et dne. honorandissime. Accepimus haud ita diu literas ab illma. Dtione. vra. germanico sermone et manu ejus scriptas. Quamquam autem talem germanicum sermonem uterque nostrum non ad plenum callemus, tamen amor et perpetua quaedam nostra erga illmam. Dtionem. vram. observantia tum etiam earundem literarum mirum quoddam acumen et futurorum casuum providentia effecerunt, ut eis legendis alter alterum erudiendo, prout etiam nos ipsa illma. Dtio. vestra admonuit, omnia earum sensa probe tenere et deprehendere nobis videamur. Vix autem describi a nobis potest, quid primum in eis probemus et laudemus, egregiamne fidem et voluntatem ejus erga principem h. e. sermum. dnum. nostrum, an prudentiam singularem, utrumque enim tam abunde in eisdem literis suis praestitit et declaravit, ut ultra nil desiderari queat. Et proinde summas gratias habemus illmae. Dtioni. vrae., quod nos quoque tam salubrium consiliorum suorum conscios et participes esse voluerit et admonuerit. Commemorat illma. Dtio. vra. in eisdem literis, ex multorum significationibus se edoctam esse, sermum. dnum. nostrum propter insignes suas et regias virtutes posse non levia christianitatis capita ad amicitiam suam attrahere; scribit praeterea, se intelligere, quomodo caesarea Mtas. et sermus. dnus. Ferdinandus rex cupiant pacta et conventa ratione Hungariae et Bohemiae regnorum tutelae

[1]) D. 29 listopada 1527 r.

tutelae a divo olim Maximiliano, caesare, proposita et inita, renovari et confirmari nec dubitare se, quin regia Mtas. ex hac occasione terras Oswyaczimensem, Zathoriensem et Prussiae in libertatem est vendicatura. Illme. princeps. Recte et prudentissime admonet et conjicit illma. Dtio. vra.; non est praetermittenda regiae Mti. ulla occasio dictas terras a quavis impetitione suprascriptorum principum penitus liberandi, itaque cum talium rerum gerendarum tempus se obtulerit, nos admoniti ab illma. Dtione. vra. agemus et contendemus apud Mtem. regiam, ut earundem terrarum, quo eas ab omnium hominum qualicunque impetitione, ea occasione oblata, prorsus liberare curet. Idem faciemus, si res ad hoc devenerit, ut etiam ipsa Mtas. regia inter caesaream Mtem. et christianissimum Gallorum regem atque ita et summum pontificem, pacem et amicitiam procurare debuerit. Sed quod ad res sermi. dni. Joannis regis attinet dissidiumque, quod inter ipsum et sermum. d. regem Ferdinandum videmus, quamvis utriusque oratores hic apud regiam Mtem. existant, nulla tamen conjectura perspicere possumus, quo pacto regia Mtas. ad aliqua media inter eos constituenda vel saltem tentanda se intromittere debeat aut possit. Tentata res est, quod scit ill. D. vra., nuper Olmucii, priusquam tam grave incendium utrinque exarserat. Offerebat Joannes rex, stare se velle sermi. dni. nostri decisioni, quod tamen ab altera parte non fuit petitum neque propositum. Atque ita dum sub illud tempus, quo adhuc pene res integra erat, nihil inter eos componi potuit, nunc multo minus, cum jam aliquot caedes utrinque commissae sint. In summa ita edocta est regia Mtas., regem Joannem neque corona neque regno Hungarie nisi simul et vita cedere velle. Quare frustra nobis videtur Mti. suae consulere, ut se ei controversiae iterum immiscere debeat, scil. illmam. Dtionem. vram. in ea loca profecta esse non ignoramus, ubi ista fortasse certius et plenius intelliget, unde illinc forsitan nascetur alia deliberatio et consilium, quid in his turbis agi oporteat. Nos vero, quod etiam alioqui et faciebamus antea et facimus faciemusque in posterum, nullam occasionem praetermittemus, qua et apud regiam Mtem. clementissimum dnum. nrum. et ubique decori et dignitati illmae. Dtionis. vrae. ejusque domus prodesse possemus. Benivolentiam et favorem erga nos ejus maximi faciebamus semper et facimus. Ducatus et dominia, gentesque et populi illmae. Dtionis. vrae. et praesentis et absentis semper nobis pro virili nostra curae erunt; multo vero magis clarissima et illustrissima conjunx liberique ipsius, cui etiam servitia nostra nuntiari ejusque Illti. nos vicissim commendari plurimum cupimus. Postremo illmam. Dtionem. vram. felicissime res suas in Slesia transigere sanumque et incolumem brevi ad sua redire summe desideramus eique nos cum servitiis nostris ex animo commendamus. Dat.

4. Albertus, dux Prussiae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Kod. Op. IX. 169.

Illustris princeps, rex magnifice, dne. gratiosissime paterque amantissime. A Deo patre omnipotenti per Jesum Christum filium suum, redemptorem nostrum, cupio Mtem. vram. una cum sua dilecta reginali Mte. atque liberis suis ad nestorios annos in adaucto regimine animae et corporis prosperitateque sanum et incolumem esse ac bene valere. Postque humillimorum officiorum meorum commendationem eidem Mti. vrae. ago gratias immensas, quod me per fidelem servitorem et consiliarium meum Eccardum de Reppichaw regiis atque benignis auribus percipere et axaudire dignata est neque diffido, cum ea a me exposita secreta magni sunt momenti, quin Mtas. vra. regia animo, ut prudens rex, melius perpendet,

perpendet, quam a me stulto declarata sunt, humillimeque peto a Mte. vra., nolit ea facile vento commendare. Et quamvis nunc scio in regiis atque magnific. principum curiis quosdam esse, qui bona interdum in malam partem et rursum mala in bonam partem exponere solent, attamen scio, scrutatorem cordium cor meum erga Mtem. vram. inclitosque liberos et totam coronam suam quoque noscere, neque diffido, quin Mtas. vra. cum tempore etiam melius cognoscet; quapropter humillime peto, Mtas. vra. nolit omni spiritui facile de me credere.

Ceterum cum Mtas. vra. inter alia quantum attinet auxilium externum a me desiderat significando, ex quo Mtas. vra. ea et talia, quae inclitum regnum attinent, cum statibus consulere consueta, quod eidem mentem meam, quid iis statibus de eo manifestandum declarare vellem: serme. rex, quamvis Mtem. vram. eum regem prudentem esse cognosco, qui etiam talia et alia omnia absque mea stultitia etiam bono consilio deliberare potest, attamen cum Mtas. vra. stultitiam meam a me scire desiderat, est officii mei, ut subditus et filius patri sit obediens; quapropter ad beneplacitum et meliorem deliberationem Mtis. vrae. videretur mihi consultum, quod Mtas. vra. eisdem statibus, quibus scire dignum est et necesse, eum modum declarare velit.

Minime dubitaret Mtas. vra., quin ipsi scirent, quod bonum Mti. vrae. et inclitae coronae suae per pacem Prutenicam evenerat quodque malum quodque magnae expensae totae coronae, priusquam Mtas. vra. regia Prussiam ad obedientiam compulsa est, passa sit praecipue istis temporibus, quibus cum Tartaris et Moscavitis expeditiones habere coacta fuit et quod Prutenicus ordo semper tunc temporis tertius aut quartus, Moscavita aut Tartarus fuerit.

Nunc intelligeret Mtas vra. pro vero, quod Teutonici domini interciperent multis querelis caesaream, Bohemiae Hungariaeque Mtem. ceterosque ordines imperii erga coronam inducere, ut pacem perpetuam acceptam et initam rescindere possent. Quamvis tamen Mtas. vra. speraret, quod cum omnibus adjacentibus regibus et principibus se adeo amice et pacifice haberet, quod etiam Mtas. vra. nihil mali ab ipsis speraret: attamen cum vrae. Mtis. officii esset ante tempus etiam mala omnia praecogitare mundumque nunc temporis tam fallacem et labilem cognosceret et quod Mtas. vra. et ipsi scirent, quod praecipue ubique locorum bella essent prae manibus, Ferdinandusque et caesarea Mtas. eosdem milites, quos Mtas. vra. prius ex terris Bohemia, Slesia, Moravia etc. habere potuit, quod mihi ipsi fratres necessarii essent, eosdem ad suas expeditiones bellicas conducerent.

Consideraretque Mtas. vra., quod cum Turcae, Tartari, Mosci, Teutonici dni. aut alii quicunque in terras coronae irruerent, quod Mti. vrae. difficile foret ex nominatis terris belliferos milites acquirere. Quapropter necesse, ut externas regiones et principatus propinquos Mtas. et corona vestra quaereret.

Sed cum scirent, quod quandocunque reges et principes aliquando cuidam juvamini esse deberent, quod e converso in accidentiis suis juvamen habere vellent, ideo Mtas. vra., quid faciundum, ab ipsis consilium peteret.

Et cum scire vellent, quibus regibus et principibus Mtas. vra. se concordare vellet, posset Mtas. vra. regem Daciae, Scotiae, Swediae etc. nominare et cum hoc concludere quosque alios reges, principes et status, Mtas. vra. sibi excogitare posset, quod hi in deliberatione Mtis. vrae. et beneplacito starent. Tantum ad hoc.

Serme. rex: pro secundo nostro, si foret consultum, quod Mtas. vra. quibusdam statibus secretiori modo declararet ea, quae succurrunt a caesarea Bohemiaeque Mtibus. cum terra

Masoviae

Masoviae et terris Oszwiecim et Zator consuleretque, qualiter omnibus occurrendum et in ultimo juvandum et defendendum esset; attamen commendo uberiori deliberationi Mtis. vrae. exhibeoque me corpore et anima promptum, si Mtas. vra. in isto et aliis opera mea laboreque meo indiguerit. Hisce me Mti. vestrae, domino meo gratiosissimo, ut filius patri commendo et ultimo rogo: Mtas. vra. velit stultitiae meae, et praecipue cum Pristianum percutio, parcere; sum enim totus obedientissimus Mtis. vrae. servulus. Datae ex Orthelspurg XXIX die Novembris, anno MDXXVII.

5. Albertus, dux Prussiae, Christophoro Szydłowiecki, castellano Cracoviensi.

Archiwum Królewieckie, (Heimliche Registranda.)

Ill. et magnif. frater amantissime, accepi literas Dilectionis tuae, quibus perlectis intellexi fraternum erga me et consortem amantissimam meam animum et primo quod D. t. commendatum sibi habuit servitorem meum et ulterius majestati regiae commendaverit, secundo fraternum consilium mihi et consorti meae expositum et tertio in admissis novitatibus. De his omnibus habeo et ago fraternas et immensas gratias Dilectioni tuae rogoque deum omnipotentem, velit modos et vias tribuere, ut servitiis meis fraternis rursum promereri possem. Quale vero responsum servitor meus a reg. Ma^{te} acceperit, D. t. abunde ab eodem intellexit. Quidquid Ma^{ti} suae manu mea propria militarique latino[1]) scribo, non diffido quin D. t. etiam a Ma^{te} sua intelliget, peto tamen, ne mihi indigneris, quod earundem literarum copiam D^{oni} tuae non miserim, et cum recte confitear, est in culpa pigritia mea, quia libentius decem literas vernaculas, quam unam latinam scriberem, quamvis utrumque idem scio i. e. utrumque nihil. Ego vero frater et totus Dilectionis tuus (!) scio me esse tibi commendatum, obsecro postremum, velis me regiae reginalique Ma^{tibus} et etiam principi meo Magni Ducatus Lithuaniae sororibusque suis commendare, praecipue etiam fratri nostro episcopo Cracoviensi cum exhibitione fraternorum servitiorum meorum, excusatumque me habeas apud reg. Ma^{tem}, quod isto anno falcones non miserim, quia capi non poterant. Christo Jesu fratrem meum amantissimum ad nestoreos annos bona corporis et animi valetudine detinere commendo. Datae chirographo nostro ex Ortelsburgk die 29 Novembris.

6. Joannes Dantiscus

Kod. bibl. X. Czartor. Nr. 242 (Kopiaryusz.)

. . . . . .[2])

Mgce. dne. Commendationem plurimam. Accepi prima hujus mensis literas Dtionis. vrae. Neapoli 5 kalend. Octobr. datas, quibus me humaniter arguit, quod jam a multo tempore literas a me non acceperit, cum tamen ad longum de omnibus 14 Junii praeteriti ex Valleoleti scripserim, quae eo se tempore offerebant. Suspicor, quod haec mea scripta ad Dtionem. vram. non pervenerint. Queritur idem Mgcus. dnus. Sigismundus Loffredus, cui literas meas transmittendas dederam, quod suae etiam fortasse sint deperditae. Ab eo tempore nihil se tale offerebat, quod Dtionem. vram. a me scire oportuit, fuimus etiam dispersi propter pestem, quae in Valleoleti saeviebat paulo ante; quod ad Dominationem

[1]) Po polsku: „kuchenna łacina," po niemiecku: „Reiterlatein." — [2]) Prawdopodobnie do Mikołaja Carminiano. Cfr. T. IX, nr. 204.

nationem vram. commode hucusque scribere non potuerim, dabit igitur pro sua in me benevolentia veniam, deinceps crebrius quam prius scripturus.

Ea, quae spectant novam commissionem pro Mgco. dno. Cola Maria de Summa, ut castellanus arci Barensi praeficiatur, dedi cum Mgco. dno. Sigismundo Loffredo hic etiam quam potui operam mittoque eandem Dtioni. vrae. in ea forma, qua prius, paulo post duplicatas cum alia provisione descripta Granatae facta missurus. Rogo Dtionem. vram. plurimum, quam primum ista commissio executionem suam habuerit, me certiorem reddere non gravetur. Spero enim postquam cum castello res hoc modo perfecta fuerit, quod subinde a Sermis. dominis meis hinc ex hoc ergastulo revocabor, faciat itaque rem mihi Dtio. vra. gratiosissimam, si cum primis mihi, quid cum hac commissione factum fuerit, significaverit.

Velim etiam Dtio. vra. mihi clare perscriberet, quomodo negotium de adoha habeat, in quibus juribus seu indultis desuper serma. reginalis Mtas. nitatur, quo certius edocerer, quid hic ea in re impetrare a Mte. caesarea debeam. De gratia parum spei habeo: si nobis certa consuetudo ut in regno Neapolit. usu accepta vel alia jura non subvenerint, a sicco pumice aquam postulabimus. Quodcunque in his Dtioni. vrae. expediens videbitur, pro servitio hoc sermam. Mtem.,[1]) in quo sumus, copiose ad me perscribere velit, quo semel haec tragoedia cothurnos deponat et nos colophonos imponere possemus.

Aliud ad praesens non restat, quam quod me Dtioni. vrae. plurimum commendo et rogo ubi potest scribat saepius, quandoquidem literis Dnis. vrae. doctissimis oblector summopere. Illisque oppido quam libentissime semper respondebo. Dat. ex Burgos 2 Decembr. a. dni. 1527.

Dnis. vrae. deditissimus Joannes Dantiscus.

Teki Górskiego, nr. 1009 (minuta Tomickiego). Kod. Karnk. X. 29. Kod. Sap. VI. 42.

7. Summa legationis vojevodae Valachiae coram Sigismundo, rege, dictae.

Hi legati venerant ad regem ad conventum Petrcoviensem in fine anni 1527, ut foedus cum eis pactum, quod initio ejusdem anni Cracoviae minori sigillo vicecancellariatus regni obsignatum erat, denuo iterum sigillo magno cancellariatus una cum sigillis consiliariorum et procerum regni consignaretur. Quod concessum eis fuit.

Causa autem haec erat, quod literae Valachici hujus foederis initio minori sigillo signatae fuerunt, quia Christopherus Ssidlovicius cancellarius major aberat tum a regno, missus in legatione in Boëmiam ad coronationem regis Ferdinandi.[2])

Oratores vojevodae Moldaviensis[3]) auditi sunt in Pyothrkow feria III ante festum S. Barbarae virginis in fine anni 1527.[4])

Commemorarunt tenorem prioris suae legationis, quam Cracoviae habuerunt de sublimatione vojevodae et dni. sui ad sedem paternam, quod illam Mtas. regia gratam habuerit et pacem ac foedus perpetuum cum suo vojevoda inierit literisque et juramento suo confirmaverit. Quia vero literae ejusdem foederis et pacis sunt obsignatae tantum sigillo minori Mtis. suae, rogarunt, ut eaedem ipsae literae majori sigillo Mtis. suae et sigillis dnorum. archiepiscoporum, episcoporum, palatinorum et omnium consiliariorum regni obsignarentur eademque foedera hic palam adhuc juramento Mtis. suae confirmarentur.

Retulerunt,

[1]) Braknie przyimka: a p u d albo e r g a sermam. Mtem. — [2]) Tak daleko dopisek Górskiego na minucie. — [3]) W kodeksach zamiast M o l d a v i e n s i s jest V a l a c h i a e. — [4]) D. 3. 12. 1527.

Retulerunt, quendam hominem, qui se asserebat esse vojevodam terrae Moldaviensis, qui educatus est apud Turcos, venisse in potestatem domini sui vojevodae et praemium ambitionis suae recepisse.

Retulerunt, quam grave sit illis et onerosum solvere tributum Turco, quod omni anno augetur, rogarunt, ut Mtas. regia juvaret aliqua pecuniae summa dominum suum vojevodam, quo solvere possit hoc ipsum tributum, quandoquidem thesauri omnes antiquorum vojevodarum sint distracti per Stephanum, vojevodam defunctum; ipse vero offert se servire Mti. suae et regno ejus non solum gentibus, sed etiam persona et capite suo contra quoscunque hostes.

Ut nuntii sui permittantur ire ad Moscoviam pro comparandis sobellis et aliis pellibus et similiter dentibus,[1]) quibus indiget ad solvendum tributum Turco.

Petierunt, ut dominus suus vojevoda possit emere plumbum in regno ad tegendam ecclesiam a se aedificatam et ut hoc ipsum plumbum dimittatur educi libere[2]) absque solutione cujuscunque thelonei.

De duce Visnyowski[3]) et thesauro ad eum deportato cum sorore olim Bohdani, vojevodae, restituendo.

De Petro, vojevoda, qui est in regno,[4]) ut nares ei praeciderentur.

Posthac honiec retulit: nuntium vojevodae praedicti ex Turcia rediisse, qui tota aestate illic mansit imperatoremque Turcorum, ait, se instruere contra Christianitatem. Praeterea caesarem Precopensem ab eodem imperatore Turcorum postulasse, mitti sibi CCC Janiczeros cum pixidibus manualibus ad expugnanda castra Mtis. regiae et eundem imperatorem Turcorum id fecisse et ipsos Janiczeros misisse; et proinde admonuit: ut Mtas. sua faceret bonam provisionem in castris suis, quae habet in finibus regni et Mg. ducatus Lithuaniae.

Postulavit postremo idem honiecz, ut Mtas. regia mittat ad dominum suum vojevodam aliquem hominem fidum et discretum, per quem vellet significare omnia, quae praefatus nuntius ejus ex Turcia rediens illi narravit.

8. Legatio a Petro, vojevoda Valachiae, ad Sigismundum, regem Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 3385. (Kopia dawna).
Kod. Karnk. X. 31.
Kod. Sap. VI. 44.

Poselstwo ot Petra Voievodi Valaskego do Crola Polskego.

Pan woiewoda rozkazal waschei milosczi powiedziec o poganstwye, ktore yest pogotowyu y ktemu syą przyprawugie yakobi walkę na chrzescianstwo podnyescz. Thich to czassow nyedawno przyiyachal nasch possel, ktori bil v Tureczkiego Czarza od nas. Ten powyedzyal, ysch Thureczki Czars o wyelye syą rzeczach pital, tym obyczayem czo bi bil za spossob tich Ziem Chrzesczyanskich, Wangerskyey y tudzyesch Coroni Polskei vaschey mylosczi chcząc walką podnyescz na nye.

Thensze possel powyedzial nam, ysch sliszal tam myedzi gymy w rozmovach gich, szebi myeli czyangnacz wneth na poczantku myesyancza Marcza a vderzic na Ordelską zyemyą y na Zaleską, a od thand myeli by potym wtargnancz w Panstwo vaszey Mylosczi.

Thakyesz

[1]) W kod.: dentibus piscium. — [2]) W kod.: ipsum educatur libere. — [3]) W kod.: Visniewetzki. — [4]) W kod.: in regno Poloniae.

Thakyesz myedzi ynymy ludzmy gich glos yest szebi to od Rad Czessarskich sliszeli, yszbi chczyeli przycz w naszą syemyo y nas s sobą vsyancz y thudzyesch tich Valachow, ktorzi myeschkaya w Bessarabskei Multanskey zyemy, a s thymy Ludzmy myeliby przyycz w Panstwa Vaszey Milosczi, a ktemv chczą zaslacz Tatari s drugyey strony chczancz zayancz se wszech stron Panstwa Vaszey Milosczi, a sthand potym myeli bi sya zgyechacz w Ordelska syemya: chczancz wsyancz a podbicz Ordel y wszitki Panstwa, ktore są w syemi wangerskyey.

I thak yest myedzi gymy ych rada y wszitka wolya: wsyawschi w tich to Craynach, chrzyesczyanskie Panstwa, dopiro maya na tho radą wsyancz, yako by podbyli y possyedli wschitko Chrzesczianstwo, czego nas Bosze zachoway, a nyeracz gym pomagacz.

Thesch poruczil my powiedziecz vaschey myloszci o vczynek Benathczanow,[1]) ysze ony są thakowymy nyeprziyaczyelmy wschemu Chrzesczyansthwu, sze gorszich swyath nye mosze myecz. Czi widali radą Thurcowy na zle chrzesczyyanskye, ktori za poradą gich wzyal Bialogrod, wsyal Rodos y gynych wyelye zamkow y myast glownych. I ktemv widali radą na wszitko wangyerskye Panstwo, ktorego nyeprziyaczyel za thą tho radą gich barso nawanthlil. A raczczye Wascha myloscz wyedzyecz, ysch do tich czassow ony na thym są, y Turkowi radi dodawayą, szebi mocznye czyangnal po morzu y po suschi na wschitko chrzesczyansthwo.

Gdzyesz mi sządami y prosyemy vaschey myloszci, yszbi vascha myloscz raczil pylnye a vszithecznye radzicz ze wszemy radamy vaszey myloszci, o czym wyem, ysch wascha myloscz maczye mądrą a vyssoką radą vaszey myloszci: abysczye tesz vascha myloscz dosyangli rad ynych panow, ktorzi przilegli panstwu vaschey milosczi, abi to vasza myloscz radzili pylnye a nieomyąszkale, yakobi byl otpor nyeprzyyaczylevi wyari swyanthey, aby Chrzesczyansthwo nye pogynalo za czassow panowanya Vaszey Myloszczi.

Thesch prossym vaschey Milosczi za vissoką radą waschey myloszczi, abisczye Vasza Myloscz zrozumyeli y rozbaczili, ysze wangerskye panstwo ma dwa Crolya, przeto abisczye Vasza Myloscz na to stali, po ktorym bisczye mocz lepszą znali, ten bi nyechay nyemyeszkayancz począl krolowacz. Bo yesly yeden drugyemv nyevstampi, thedi pogani themv obiczay naydą, yako tho panstwo przi szadnym s nych nyezostanye.

Archiwum Królewieckie (Instructiones, responsa, Tagfahrten).

9. Instructio a duce Prussiae data legato ad conventum Petricoviensem misso.

Memorial den geschigkten vff den tag gen Peterkow mitgegeben, Actum Ortelspurg den 9. tag Decembris.

Dieweil wenig müntz im herczogthumb vorhanden vnd der Silberkauff hoch steigt vnd souil des hertzogthumbs nottorft erfordert, in der eyl zu müntzen vnmuglich, ist beratschlagt vnd bedacht worden, das die alten groschen, so etwan bei oder vor hertzog Fridrichs von Sachsen gezeiten geschlagen, im hertzogthumb vnd in ko^{r}· Ma^{t}· landen dreyer pfennig höher, den sie wirdig, genommen wurden vnd also ganghaftig blieben, so konten sich s. f. gn. mit ko^{r}· Ma^{t}· daneben zu müntzen vorgleichen, yedoch das die newe müntz nach wirde gesetzt vnd genommen wurde, so dorfft man sich im hertzogthumb keins wechsels gebrauchen vnd mangel der müntz nit besorgen, den die müntz, so im hertzogthumb yetz ganghaftig, gantz verbieten vnd auffwechseln, ist s^{r}· f. gn. gantz vnmoglich.

Item,

[1]) W. kod. Karnk. dopisano: Venetorum.

Item, Nachdem sich etliche langwierige gebrechen mit dem Hauptman in Samaytten der grenitzen halb erhalten, sollen die geschigkten mit allem vleyss anregung thun, das ko. Ma$^{t.}$ Commission vnd beuelch geben wolle an gedachten Hauptman, sich mit s. f. gn. der grentzgebrechen halb entlicher tagsatzung vnd vertrags zuuereinigen.

Item, der Lutherischen prister halb etc.

10. Literae Sigismundi regis ad capitaneos, regno Hungariae viciniores.

Metryka koronna
Ks. 43, fol. 169.

Sigismundus etc. Generose fidelis dilecte. Orator serenissimi domini Ferdinandi, Hungariae et Bohemiae etc. regis, retulit nobis, se ex incolis et oppidis Scepusii ad regnum Hungariae pertinentibus certiorem esse factum, nonnulla dissidia et contentiones inter utrosque populos, hoc est nostros et regni Hungariae, exarsisse, in tantum, ut ne a caedibus quidem utrinque temperetur, causam autem in nostros detorqueri, quod populos limitaneos Hungariae, vicinosque regno nostro, minacibus ac hostilibus verbis ac sermonibus impetere et territare deberent, adeo ut eos etiam a foris et nundinis, reliquisque commerciis oppidorum regni nostri prohibeant, mercesque et res eorum ad regnum nostrum advectas detineant. — Nos volentes pacem publicam inter haec regna jam dudum firmatam omnibus modis servare, tibi mandamus, omnes et singulos subjectos nostros et praesertim capitaneatus tui a quovis metu, vi et injuria, Hungariae populis inferenda, severius arceas et contineas, efficiasque, ut eis liber aditus ad regnum et oppida regni nostri, negotiandi gratia, pateat. Cures praeterea maxime, ne homines nostri occasionem belli ex se praebeant. Mandatumque hoc nostrum per omnia oppida et loca opportuna publicari et proclamari facias, ita, ut si quis huic mandato nostro contraierit, sciat, ea poena a nobis in se animadverti, qualis in violatores pacis publicae in constitutionibus regni nostri descripta et expressa est. Capitaneatum etiam istum tuum ita provideas, ne in hoc vicino tumultu subjecti nostri aliquid detrimenti patiantur. Nec aliter facias pro gratia nostra. Datum in conventione generali Pyortrkoviensi feria tertia proxima post festum Conceptionis Sanctae Mariae. Anno quo supra.[1])

Ad mandatum proprium Regiae Majestatis.

11. Literae ad magnificum Petrum Kmita de Visnicze, curiae marsalcum.

Metryka koronna
Ks. 43, fol. 170.
Teki Górskiego nr. 841, (minuta Zambockiego).
Kod. Op. IX., 103.
Kod. Sap. VI., 105.

Sigismundus etc. Magnifice sincere nobis dilecte. Orator serenissimi domini Ferdinandi, Hungariae et Bohemiae etc. regis, qui a multo tempore hic nobiscum est, retulit nobis, se ex incolis et oppidis Scepusii ad regnum Hungariae pertinentibus certiorem esse factum, nonnulla dissidia et contentiones inter utrosque populos, hoc est nostros et regni Hungariae, exarsisse, in tantum, ut ne a caedibus quidem utrinque temperetur, causam antem in nostros detorqueri, quod populos limitaneos Hungariae minacibus et hostilibus verbis et sermonibus impetere et territare deberent, adeo, ut eos etiam a foris et nundinis, reliquisque commerciis oppidorum regni nostri prohibeant, mercesque et res eorum ad regnum advectas detineant. Nos providere volentes, ne res ad justum bellum deveniat,

[1]) D. 10. 12. 1527.

deveniat, cum alioqui cum alterius generis hostibus, prout Sinceritas tua novit, plus satis nobis negotii est, mittimus istuc curialem nostrum generosum Joannem Ossnyczki, omnibus et singulis praefectis nostris limitaneis verbis nostris imperaturum, ut a quibusvis ejuscemodi contentionibus et dissidiis penitus se et praefecturarum suarum homines, tum etiam universos subjectos nostros, contineant. Sinceritatemque tuam hortamur, ut in tanta rerum perturbatione ita se istic in hoc limite gerat, ne ipse seremissimus dominus rex, aut istinc ex Hungariae regno quispiam juste vel de nobis vel de nostris nobiscum expostulare posset, curetque ac efficiat, ut regni Hungariae populis ad regnum nostrum negotiandi gratia liber securusque aditus pateat, sine cujusque molestia et metu, prout antea patere solebat. Quod pro fide erga nos sua et gratia nostra Sinceritatem tuam facturam, omnino volumus. Datum in conventione generali Pyotrkoviensi feria tertia proxima post festum Conceptionis Sanctae Mariae anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo, regni nostri vigesimo primo.[1])

Des. Erasmi Roterodami Epistolarum Opus. Basileae, 1538—1541. (Druk) str. 657.

12. Erasmus Roterodamus Petro Tomicio, epo. Cracoviensi.

S. D. Nec otium nec argumentum ad te scribendi suppetebat, amplissime praesul, pudor etiam dehortabatur; sed tuus Antoninus[2]) tam graphice tantoque affectu mihi depinxit effigiem pectoris morumque tuorum, ut si dicam te mihi ignotum esse, plane mentiar: sim autem ab omni pietatis et humanitatis affectu alienissimus, si talem praesulem non venerer, suspiciam et amem ex animo. Caeterum Antonino meo non minus gratulor, quod patronum nactus est, cujus auspiciis possit in his rerum humanarum undis et honestam et tranquillam vitam degere. Sic enim amo pectus hominis longe candidissimi, ut magis hilarescam, si quid illi bonae rei obtigerit, quam si mihi obtigisset. Leve est, si jam gratuler tibi dignitatem istam, quam fortunae tuae non debes, sed praeclaris animi tui dotibus, nec te dicam hoc nomine felicem, quod serenissimo regi sis inter primos et gratus et charus, quandoquidem hoc ille judicio facit potius, qnam affectu. Saeculo nostro reique publicae christianae gratulor, cui si tui similes multi contingerent episcopi, citius haec rerum tempestas in serenitatem verteretur. Habet tua Celsitudo epistolam plusquam Laconicam, quam tamen fatereris esse prolixam, si nosses, quibus distringar laboribus. Precor Amplitudini tuae r. prospera faustaque omnia. Datum Basileae, pridie Idus Decemb. Anno MDXXVII.[3])

Archiwum Królewieckie list oryginalny. Teki Górskiego, nr. 832 (minuta J. Zambockiego). Kod. Op. IX. 170.

13. Sigismundus primus, rex Poloniae, Alberto, duci Prussiae.

Illustri principi domino Alberto, marchioni Brandeburgensi, ac in Prussia etc. etc. duci, etc. nepoti nostro charissimo.

Sigismundus, dei gratia rex Poloniae etc. etc. dominus et heres.

Illustris

[1]) D. 10. 12. 1527. — [2]) Antoninus (Joannes Antoninus Cassoviensis) był lekarzem Tomickiego. W drukowanym zbiorze listów Erazma znajdują się 2 listy tegoż do Antonina z r. 1527; na str. 611 — tylko z datą r. 1527 i na str. 655 z d. 9. 12. 1527. Tamże na str. 654 znajduje się list Erazma do Krzysztofa Szydłowieckiego z d. 12 grudnia 1527, nie przytaczamy go jednakże tutaj, bo nie zawiera szczegółów historycznych. — [3]) D. 12. 12. 1527.

Illustris princeps et domine, nepos noster charissime. Salutem et plurimam felicitatem. Accepimus literas ab Illte. vestra manu ejus scriptas, quibus primum gratias nobis agit, quod familiarem et consiliarium ejus Eckium a Repchaw benigne axaudivimus dimisimusque; rogat deinde, ne illa ipsa mandata, quae ipse Eckius nobis exposuit, propterea quod sint magni momenti, vento commendaremus. Solemus[1]) omnes nos adeuntes benigne audire. Fecimus itaque etiam eo libentius, ut ejus principis et nepotis nostri charissimi legatus peculiarem benignitatem nostram experiretur. Mandata vero, quae nomine I. vestrae ab eodem Eckio nobis exposita sunt, quaeque etiam cum literis his, quas modo ab I. vra. accepimus, consentiunt et congruunt, adeo animo sensibusque nostris inhaeserunt, ut providentiam ejusdem I. vrae., fidem et curam, quam de rebus communibus gerit, summopere probemus commendemusque. Quam ob rem curabimus brevi, ut tam fidelibus adhortationibus suasionibusque I. vestrae mos geratur. Nam modo conventum hunc regni nostri agentes tot negotiis tum nostris tum externis distringimur, ut rerum ab I. vestra propositarum executionem in tempus paulo posterius diferre cogamur. Sed absoluto conventu hoc, imperabimus e vestigio omnibus ordinibus terrarum Prussiae ditionis nostrae, ut armati et instructi praesto sint in omnem eventum, praesertim quod palam sit, totam pene Europam bellis tumultuari. Quamquam autem ex dictis terris nostris nemo hic in conventu adsit, videlicet propter pestilitatem, quae easdem terras misere affecit atque disjecit, tamen ne res in longum trahatur, constituimus peculiarem nuntium nostrum illuc mittere, qui eis verbis nostris mandet ea, quae super ejusmodi negotio fuerint necessaria et opportuna, et quae vra. I. literis suis perscripsit. Quam interim feliciter valere cupimus, nec dubitamus fore, ut amor et fides in nos ejus re ipsa comprobetur. Datum Piotrkoviae, die XVIII Decembris. Anno domini M°. D°. XXVII. Regni vero nostri XXI°.

Commissio propria Regiae Majestatis.

14. Christophorus Szydłowiecki, castell. Cracov. Alberto, duci Prussiae.

Archiwum Królewieckie list oryginalny.

Illustrissimo principi etc. Alberto, etc. etc. etc. domino et fratri majori colendissimo ac honorandissimo.

Illustrissime princeps et domine, domine frater major colendissime ac honoran$^{me.}$ Post obsequiorum commendationem. Accepi literas vestrae ill$^{mae.}$ Do. ex Ortelspurg, vicesima nona Novembris manu ejus scriptas, dici nequit, quam mihi jucundissimas et acceptissimas, in quibus scribit, sibi esse gratissimum eum amorem, quo ill. Do. vestram et inclitam principem dominam conjugem ejus, prosequor etc. Mi illustrissime Princeps, non tantum amo ill. Do. vestram et suos omnes, sed etiam veneror, ac modis omnibus tam ill. Do. vrae., quam his, quos charos ipsa habet, placere studeo studeboque semper.

Et si quod servitori et nuntio ill. Do. vestrae consilia et auxilia mea apud sacram Mtem. regiam profuerunt, hoc libentissime audio, utinam essem tam felix, ut in omnibus rebus illu. Do. vrae. pro desiderio ipsius inservire possem. Abunde intellexi, quomodo et qualiter expeditus est.

Quod vero excusata esse cupiat ill. Do. vestra, quod mihi copias suarum literarum non miserit, quas serenissimae Mti. regiae scripsit, non operae pretium est, mi illu. princeps et

[1]) Teki Górskiego: solemus quidem.

et domine ac frater colen^me, quia omnia mihi nota sunt, quaecumque sacrae Mti. scripsit, et Nicolaus Nypczycz nomine ill. Do. vrae. Mti. regiae exposuit. Quod vero dicit se parum latinas scribere literas, potiusque vellet germanicis mecum uti, licet, ut ait, in utroque genere scribendi valeat nihil, mihi, qui plurimum amo ill. Do. vram., vehementer placent literae et scriptio ill. Do. vrae., cui rursus gratias ago maximas, quod inter suas occupationes negotiosissimas non sprevit mihi manu sua scribere.

Salutatio ill. Do. vrae. et suae inclytae principis ac consortis charissimae est mihi gratissima. Quod vero se et ipsam dominam principem Mtibus. regum meorum commendari fecit, praestiti hoc, quod mandavit ill. Do. vra, adhuc faciam coram sacra Reginali Mte., primum per literas, postea etiam per suae Mtis. curiae magistrum hic praesentem. Excusavi etiam ill. Do. vestram apud serenssimum dominum nostrum de non missis falconibus. Et reverendissimo domino episcopo Cracoviensi eandem diligentissime commendavi.

Egi pro illis captivis presbiteris cum domino episcopo Wladislaviensi coram sacra Mte. regia, ut dimitteret illos ipse dominus episcopus juxta mandatum regium. Credat illu. Do. vra., quod parvam ob hoc iniit apud regiam Mtem. gratiam. Sed jam conclusum est, quod, cum ego ero in Gostynyn, mittam pro illis ad praedictum dominum episcopum et quasi per vim eos accipiam, ut episcopus habeat colorem, quod non sponte per decreta pontificum homines tradiderit. Nova nulla apud nos sunt, praeterea, quod oratores regis Joannis venerunt, consilia et auxilia contra serenissimum dominum regem Ferdinandum petentes. Et video, quod nobilitatem communem eorum preces nonnihil pertraxerunt in partes regis Joannis. Exspectantur etiam oratores serenissimi domini regis Ferdinandi.

Quae autem mihi Karolus mercator Cracoviensis ex Hungaria et ex Vienna proxime scripsit, ex copiis literarum suarum, quas cum his mitto, vestra ill. Do. dignabitur cognoscere.

Scripsit etiam mihi illustrissimus dominus Georgius, marchio, literas querimoniarum plenas, quas licet habere voluit secretas, tamen ego illas mitto ill. Do. vestrae, quae rebus domini fratris sui ita fovet ut suis. Quibus me et mea servitia rursus diligentissime commendo, ac illustrissimam Dominationem una cum suis omnibus optime et felicissime valere desidero. Datum in conventione generali Pyotrkoviensi, decima octava Decembris. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

E. ill. Do. vrae. totus quidquid est servitor

Cristoforus de S. Cast. et C. Crac. ac R. P. Canc. manu sua.

Post scriptas literas allatae sunt mihi literae a domino Preczlao Szwyowsky secretae, quarum potissimam partem mitto ill. Do. vestrae, ex his de rebus Italicis affatim cognoscet. Ille pro veris scribit, sed nollet nomen suum publicari. Allatae sunt mihi etiam et aliae literae à caesarea et catholica Mte. In his nihil est praeter gratiarum actiones et commendationes. Mitto tamen earum exemplum i. Do. vrae., quam iterum atque iterum optime et felicissime valere desidero. Mitto eidem i. Do. vestrae et aliam copiam literarum capitanei Scepusiensis, ex qua rursus accipiet, quid agitur ex parte regis Joannis. [1])

[1]) Kopii powyżej wymienionych nie masz w archiwum Królewieckiem.

15. Mandatum universale ad omnes incolas ducatus Masoviae, ut feria quarta post festum Epiphaniae ad conventum generalem Varschoviam conveniant.

Metryka koronna. Ks. 43, fol. 177.

Sigismundus etc. Magnifice sincere nobis dilecte. Non mediocris necessitas nos urget, atque continuae hostium in dominia nostra incursiones cogunt, ut viribus totis eorum impetus a finibus regni nostri arceamus, et quo id facilius fieri valeat, vires ducatus Masoviae regni viribus conjungere nos oportet, ipsumque ducatum in corpus regni restituere, a quo aliquot saeculis avulsum videbatur, ut unitis viribus utraque Respublica ab insultibus hostium se facilius tueatur. Quoniam vero consilia debent esse communia, quorum actus communes fore oportet, decrevimus, idque cum omnibus regni ordinibus, qui nobiscum sunt collecti, etiam ex ipso ducatu Masoviae nuntios ad conventum praesentem, quem nunc Pyotrkoviae habemus, accersere, ut una cum aliis nuntiis, ex omnibus terris regni nostri ad id collectis, quomodo talis defensio fieri debeat, consulant. Quapropter conventum generalem ducatus Masoviae feria quarta post festum Epiphaniae Domini [1]) Varschoviae indiximus, indicimusque per praesentes, quo nuntium nostrum mittemus, qui mentem nostram et totius conventus regni consensum omnibus illuc conventuris referet. Sed ne omnes incolas ipsius ducatus illi necesse sit, particulares conventiones praemittere dignati sumus. Itaque terrae N. conventionem in N. feria quinta post festum Circumcisionis domini [2]) instituimus. Et tuae Sinceritati mandamus districte, ut mox visis praesentibus literis nostris per praecones in omnibus oppidis diebus forensibus et festis in omnibus parrochiis in suo capitaneatu existentibus publice proclamare et denuntiare jubeat, et mandet, ut omnes nobiles terrae N. ad praefatam conventionem particularem conveniant, sub poenis contra secus facientes institutis. Quo ubi convenerint, coram omnibus praesentes nostras literas tua Sinceritas legi mandet, jubeatque nostra auctoritate, ut viros idoneos et prudentes ex sese eligant, et ad praedictam conventionem generalem Varschoviae per nos indictam mittant. Qui cum consiliariis ducatus, quos illuc convenire imperavimus, et aliarum terrarum similibus nuntiis eligant nuntios cum plena potestate, eosque huc ad nos et conventum hunc regni generalem mittant, qui nobiscum una et consiliariis ac nuntiis omnium terrarum regni nostri consulant de periculis regno et dominiis nostris imminentibus, quae uberius per oratores nostros, quos ad eum ipsum conventum Varschoviensem mittemus, plenius intelligent. In quo tuae Sinceritatis diligentiam exactam exposcimus utque id fieri, et ab ipsa tua Sinceritate ac reliquis subditis nostris volumus et mandamus. Pro gratia nostra. Datum in conventione generali Pyotrkoviensi feria quarta ante festum sancti Thomae Apostoli. Anno Domini ut supra. [3])

Ad mandatum proprium regiae Majestatis.

[1]) D. 8. 1. 1528. — [2]) D. 2. 1. 1528. — [3]) D. 18. 12. 1527.

Teki Górskiego, nr. 3250 (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X. 6.
Kod. Sap. VII. 6.

16. Petrus Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Bonae, reginae Poloniae.[1])

Sacra reginalis Majestas, dna. dna. mea clementissima. Perpetuae servitutis et orationum mearum humilem commendationem. Allatus est hesterno die ex Cracovia fasciculus literarum a Joanne Dantisco, in quo reperi unas literas scriptas et titulatas Majestati vestrae, quas mitto cum praesentibus. Mti. regiae nimis laconice scripsit nunc Dantiscus; refert enim se ad eas literas, quae cum Mtas. sua esset isthic in Radom, fuerunt illi allatae. Is noster conventus trahi videtur in longum. Cum enim declarassent nuntii a nobilitate totius regni huc missi, quod nollent neque possent tractare et consentire de defensione communi nisi prius ducatus Masoviae reducatur ad sustinenda et ferenda omnia onera regni, ita ut reliquae omnes terrae dudum eidem regno incorporatae non gravatim illa ferunt, coacta est Mtas. sua statuere conventum generalem in ducatu illo Masoviae ad diem octavum Januarii, ad quem oratores suos mittere decrevit, qui declarent omnibus ordinibus ejusdem ducatus, hanc sententiam et voluntatem Mtis. suae et totius hujus conventus esse, ut illi accedant ad unionem et communia onera cum reliquis subditis Mtis. suae et posthabitis quibusvis diffugiis, quibus hactenus nitebantur, mittant huc nuntios cum plena potestate, qui consulerent et agerent una cum aliis, cum de defensione et hostibus arcendis, qui nos continue infestant, tum de aliis periculis regno imminentibus. Quare, ut dixi, producetur is noster conventus in longum, curabo tamen ego quantum maxime potero, ut quam citissime Mtas. regia se hinc eripere possit. Dominus Deus servet quam diutissime Mtem. vram. cum illustrissimis ejus liberis sospitem et felicem. Cui me rursus suppliciter commendo. Ex Pyotrków etc.

Teki Górskiego, nr. 886. (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X. 7.
Kod. Sap. VII. 7.

17. P. Tomicki, epus. Cracovien., vicecancellarius, Nicolao Tomicki, Pisdren., Coninensi capitaneo, praefecto stabuli regii.

Generose domine, frater germane charissime. Quantum conjicere possumus, producetur in longum is noster conventus, nam nuntii terrarum huc missi nolunt tractare et consulere quicquam de communi regni defensione, nisi prius ducatus Masoviae reducatur ad ferenda onera defensionis et unionem regni ac contributiones in hoc conventu decernendas solvat. Quia vero Majestas regia certo edocta est, subditos illos suos de ducatu Masoviae nolle accedere ad ejusmodi unionem regni, timensque, ne nuntii illorum, qui venire huc debuerunt, dum cum illis de eadem unione et reductione ad ferenda onera regni tractaretur, excusarent se, quod non haberent a suis fratribus ad hoc consentiendum seu suscipiendum mandatum, resque propterea extrahi posse videretur: indixit illis Mtas. sua generalem conventum Varschoviae ad feriam quartam proximam post festum Sanctorum trium regum,[2]) et ad illum oratores et consiliarios suos hinc mittere decrevit, qui illis declararent, hanc esse voluntatem et sententiam tam Mtis. suae quam universorum ordinum regni, ut illi in omnibus et per omnia onera defensionis et servitutis bellicae ferant, prout

[1]) Na brzegu minuty: regina tunc temporis erat in Radom. — [2]) D. 8. 1. 1528.

prout ferunt illa reliqui nobiles regni, et nuntios suos cum plena facultate huc mittant, qui cum senatu et aliarum terrarum nuntiis consulerent de statuenda firma aliqua defensione ad annum sequentem. Et proinde priusquam is ipse conventus Varschoviensis absolvetur, priusquam nuntii ex illo revertentur, transibit non parum temporis. Interim vero de reliquis negotiis hic tractabitur et judicia agentur.

Opus est nobis hic Cozanek, sutore Posnanien., qui faceret nobis sandalia hoc est calceos pontificales, quare rogamus vos: expediatis eum huc ad nos ad parvum tempus, cum primum enim fecerit nobis eadem sandalia, quae nisi sub praesentia nostra bene laborari non possunt, mox illum istuc remittemus, et expensis providebimus; possetis autem mittere eum huc cum domino Swidwa,[1]) castellano Gneznen., fratre nostro. Siquidem est cito venturus, alioquin operam faciatis, ut conducat sibi parvum currum, ad quem receptis secum instrumentis suis sutoriis, et corio non uncto ac etiam corek, huc quam primum veniat. Nos vero et pretium vecturae solvemus et pro expensis ejus, quas fecerit, satis faciemus. Scribimus etiam in ea re domino Volski, canonico Posnaniensi. Bene valete. Datum etc.

18. Bona, regina Poloniae, Joanni Dantisco, regio et suo apud caesarem oratori.

Akta za panowania Zygmunta I, 1519—1528 r. (Kod. bibl. Ks. Czartor.)

Bona, Dei gratia regina Poloniae, magna dux Lithvaniae, Russiae, totiusque Prussiae ac Masoviae etc. domina. Magnifice et spectabilis, sincere Nobis dilecte. Accepimus jam dudum grato animo literas Sinceritatis tuae, datas in Valle Oleti decima septima mensis Augusti, ex quibus ac ex aliis serenissimae Majestati regiae, domino et conjugi nostro colendissimo, per tuam Sinceritatem scriptis, intelleximus illius in negotio nostro solitam operam, studium ac diligentiam, quae non immerito comprobamus, et uberiori gratia nostra suo tempore rependemus. Quod autem scribit Sinceritas tua, binas nostras ad se non pervenisse literas, hoc nobis molestum est; nam non libenter videremus, ut vel minimae literae nostrae in alienas manus veniant, quod jam forte actum est non semel. Ad praesens nil aliud Sinceritati tuae scribendum duximus, quam quod vehementer cuperemus, ut a solutione adohae liberae et immunes efficiamur, ut arcem nostram Barensem quam primum recuperaremus. Hortamur Sinceritatem tuam, ut omnibus modis, salva dignitate nostra et commodo, nitatur et satagat, quo desiderio nostro satisfaciat, etiam per intercessionem serenissimae imperatricis, cujus Majestati sabellinos nostro nomine Sinceritas tua obtulit, ut ex tuae Sinceritatis literis intelleximus, et cum primum haec obtinebimus, Sinceritatem tuam ad nos revocabimus. Hactenus hic nil vacavit, etiam in hac sacerdotiorum post mortem olim episcopi Plocensis permutatione, quod personae Sinceritatis tuae ex sententia nostra honori et commodo esse possit; curabimus tamen, veluti curamus, ut eandem ad aliquam dignitatem, quae cum commodo illius erit, brevi extollamus, omnemque impensam ejusdem abunde refundemus, quo servitiorum Nobis exhibitorum et exhibendorum Sinceritatem tuam non poenitebit, in quo minime dubitet. Accepimus insuper exemplar petitionis Sinceritatis tuae, sacrae caesarae et catholicae Majestati nostro nomine porrectae, quod libenter legimus, et utinam eo, quod optamus, brevi potiamur. Praeterea Nobis tuae Sinceritatis literae redditae sunt, sub data vigesima Augusti ex Valle Oleti, ex quibus intelleximus, sub quo cardine res nostrae versentur, et

[1]) Swidwa dopisał w Tekach Górski.

quomodo actu tractentur, quoad Italici belli finis erit. Speramus in domino, quod brevi haec tempestas bellica sedabitur, namque exhaustas utrinque et penitus languentes vires credimus, et non nisi tranquillam pacem oborituram, procul dubio tenemus, quod Deus ipse faxit. Tuae vero Sinceritati non sit grave tantisper exspectare, quoad in tuto navigare valeamus, erimus suorum laborum neque ingratae, neque immemores, ut res ipsa utiliter indicabit De morte domini Guth falso tuae Sinceritati nuntiatum est, ille namque vivit et aura fruitur aetherea; si occubuisset, quod absit, non invitae intercessissemus pro tua Sinceritate, ut villam Columbiam cum omnibus proventibus obtinuisset. Sed tua Sinceritas sit boni animi, nam ante suum ad nos reditum speramus aliquid eventurum, quod tuae Sinceritati et commodum et honorem parere poterit; hoc Nobis manet alta mente repositum, et effecturas nos pollicemur, quod tuam Sinceritatem tam longae peregrinationis et taedii jam perpessi nulla ex parte poenitere possit. Florianum gratia nostra prosequemur, ut tua Sinceritas cognoscat, Nos et illi et servitoribus suis benignitatem nostrumque favorem libenti animo praestituras. Venerunt ad Nos non pridem ex Italia novitates, inter quas ferunt illustrem proregem regni Neapolitani diem clausisse extremum, idque certo certius affirmant. Et quia illi a sacra caesarea et catholica Majestate mandatum fuerat de restitutione arcis Barensis, propter continuos bellicos tumultus restitutio arcis expediri non potuit, et ut credimus ante expeditionem ab humanis ipse secessit. Audimus praeterea dominum Hugonem de Moncada loco ipsius proregis surrogatum usque ad mandatum sacrae Majestatis caesareae, quae vel illum confirmare, vel alterum proregem constituere dignabitur. Tua Sinceritas, quae est hic praesens in curia caesaris, audiet et sciet, quis erit futurus prorex in illo regno, curabit igitur, ut illae commissiones, quae domino Carolo de Lanoy datae fuerant in commendationem ducatus nostri Barensis, et pro restitutione arcis, denuo reformentur, et novo proregi dentur et porrigantur, quo res nostrae brevi absolvi possint, et praesertim restitutio arcis, super qua tota vis nostra consistit, et speramus, quod amoto jam illo durissimo obstaculo, omnia de plano procedant, si bella aliquantisper obsistant, quibus Deus ipse optimus maximus placidum finem imponere dignetur. Cetera committimus fidei et diligentiae Sinceritatis tuae, quae est in facto, et novitates omnes ad unguem intelligit et pro temporis qualitate actus suos temperet, et bene feliciterque valeat. Datum Radomiae die vigesima Decembris, millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

Bona regina.

Ad mandatum sacrae majestatis reginalis proprium.

Magnifico et spectabili Joanni Dantisco, apud sacram caesaream et catholicam majestatem regio ac nostro nuntio et oratori, sincere nobis dilecto.

Teki Naruszewicza.

19. Joannes Dantiscus — Scipioni de Summa.

Magnifice domine, commendationem plurimam. Accepi prima hujus mensis literas Dominationis vestrae Neapoli vigesima quinta Septembris datas, quibus me humaniter arguit, quod jam a multo tempore literas a me non acceperit; cum tamen ad longum de omnibus decima quarta Junii praeteriti ex Valleoleti scripserim, quae eo se tempore offerebant, suspicor, quod haec mea scripta ad Dominationem vestram non pervenerint. Queritur item magnificus dominus Sigismundus Loffredus, cui literas meas transmittendas dederam, quod suae etiam fortassis sint deperditae. Ab eo tempore nihil se tale offerebat, quod

Dominationem

Dominationem vestram a me scire oportuit, fuimus etiam dispersi propter pestem, quae in Valleoleti saeviebat paulo ante; quod ad Dominationem vestram commode hucusque scribere non potuerim, dabit igitur pro sua in me benevolentia veniam, deinceps crebrius quam prius scripturus. — Ea, quae spectant novam commissionem pro magnifico domino Nicolao Maria de Summa, ut castellanus arci Barensi praeficiatur, dedi cum magnifico domino Sigismundo Loffredo hic eam quam potui operam, mittoque eandem Dominationi vestrae in ea forma, qua prius, paulo post duplicatas cum alia provisione, desuper Granatae facta, missurus. Rogo Dominationem vestram plurimum, quamprimum ista commissio executionem suam habuerit, me certiorem reddere non gravetur. Spero enim, postquam cum castello res hoc modo perfecta fuerit, quod subinde a serenissimis dominis meis hinc ex hoc ergastulo revocabor, faciet itaque rem mihi Dominatio vestra gratissimam, si cum primis mihi, quod cum hac commissione factum fuerit, significaverit. Velim etiam, Dominatio vestra mihi clare perscriberet, quomodo negotium de adoha habeat, et quibus juribus seu indultis desuper serenissima reginalis Majestas nitatur, quo certius edocerer, quid hic ea in re impetrare a Majestate caesarea debeam. De gratia parum spei habeo; si nobis certa consuetudo, et in regno Neapolitano usu accepta, vel alia jura non subvenerint, a sicco pumice aquam postulabimus. Quodcunque in his Dominationi vestrae expedire videbitur, pro servitio hoc serenissimae Majestatis, in quo sumus, copiose ad me perscribere velit, quo semel haec tragoedia cothurnos deponat, et nos colophonem imponere possimus.

Aliud ad praesens non restat, quam quod me Dominationi vestrae plurimum commendo, et rogo ubi potest scribat saepius, quandoquidem literis Dominationis vestrae doctissimis oblector summopere, illisque oppido quam libentissime semper respondebo. Datum ex Burgos, die vigesima Decembris, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo septimo.

Joannes Dantiscus.

20. Summa legationis a duce Prussiae ad Sigismundum primum, regem Poloniae.

Kod. Op. IX, 175.
Kod. Sap. VI, 198.

Nuntii dni. ducis Prussiae auditi die dominico ante festum Nativitatis Domini[1]) recensuerunt, quod cum Mtas. regia ducem suum, cum Gedani esset, de ratione monetae in terris Prussiae cudendae consuluisset, coactus fuerit ille, rem hanc ad ordines et status ducatus sui referre, sine quorum consilio et consensu nihil in ea re statuere volebat indixeratque conventum in Rastemborgk, ubi consultavit cum iisdem subditis suis de hac ipsa moneta, qualiter et in quo grano cudi deberet. Et cum Gedani ea res finiri ex causis praemissis non potuit, quo coacta fuerit Mtas. sua indicere conventum in Elbingo, de quo tametsi illris. dnus. dux admonitus non fuerit neque ad illum vocatus, postquam tamen intellexit ex dno. Varmiensi, illum indictum esse, misit ad illum nuntios suos. Cur autem nihil fuerit ibi super ipsa moneta conclusum, putat ipse dnus. dux Mtem. suam plene id ex suis consiliariis et regentibus intellexisse Quod si non habeat id cognitum Mtas. sua, ipsi vellent referre.

Postea cum ageretur conventus nuper Prussiae, etiam nihil de eo scivit dnus. dux, verum intellecto ex dno. Varmiensi episcopo, conventum generalem regni hic indictum esse, et quod

[1]) D. 22. 12. 1527.

quod hic de moneta praedicta constitui deberet, miserit illos huc ad Mtem. suam declaraturos consilium et deliberationem ipsius dni. ducis, quam scriptam porrexerunt et legi petiverunt, optantes, ut Mtas. sua illos gratiose in his absolvere dignetur.

Dixerunt posthac de differentiis limitum cum terra Samogitiae et rogarunt, ut Mtas. sua deputare velit commissarios et illis committere, ut exeant ad loca differentiarum et cognoscant, diem etiam, ad quem ejusmodi revisio fieri deberet, designare velit suis literis Mtas. sua.

Rogarunt, ut subdito dni. ducis, de Knephoff, qui causam suam in jure Stargardiensi obtinuit, fiat justitia executioque rei judicatae et sententiae pro eo latae.

Cummemorarunt donatos fuisse per Mtem. regiam libertate ad preces dni. ducis sui quosdam sacerdotes, qui apud dnum. episcopum Vladislaviensem in captivitate detinentur, rogaruntque, ut liberi dimitterentur.

Kod. Op. IX. 176.
Kod. Sap. VI. 195.

21. Responsum a Sigismundo, rege Poloniae, ad legationem Alberti, ducis Prussiae.

Sacra regia Mtas. habet in recenti memoria ea omnia, quae de ratione cudendae monetae Gedani praesente illri. domino Prussiae duce fuerant dicta et tractata, fuissetque suae Mti. pergratum, si negotium ipsum ibi ad debitum finem perductum fuisset.

Verum cum illri. dno. duci tunc visum erat rem ad consiliarios et reliquos subjectos suos referri, annuit etiam ad id Mtas. sua non gravatim; tandem vero ad hoc ipsum negotium transigendum indixerat Mtas. sua conventum Elbingi, in quo cum ob certas causas de ipsa moneta concludi non potuit, indixerat non pridem et alium conventum in Culmen; sed intervenit aura pestilens, quae et actiones omnes impedivit atque ita ne in ipso quidem conventu Culmensi aliquid super ea re transigi potuit.

Quia vero ipsa cudendae pecuniae ratio est Mti. suae non mediocri curae, perspicit enim sua Mtas. ex ea re, si recte et ordine instituetur, magnum futurum reipublicae commodum; quare cum non adsint hic in praesens consiliarii terrarum Prussiae, cum quibus de hoc ipso negotio monetae cudendae agi et concludi possit, vult Mtas. sua et tertium conventum Elbingi ad feriam secundam post festum Purificationis S. Mariae proximum[1]) indicere et instituere mandabitque consiliariis suis terrarum Prussiae, ut ad dictam diem illic praesto adsint.

Id ipsum etiam ab illri. dno. Prussiae duce fieri cupit Mtas. sua, ut sua Illtas. etiam consiliarios suos illuc mittat, qui collatis utrinque consillis tandem decernerent constituerentque, quo valore et qua aestimatione ipsa moneta cudi debeat tam in suae Mtis. quam in Illtis. suae ditione.

Quod si vero in illo ipso futuro Elbingensi conventu inter utrosque consiliarios de ejus monetae cusione conveniri non poterit, tum sua Mtas. ibidem mentem et voluntatem suam super eadem re aperiet et promulgabit: ut videlicet moneta ipsa eo valore et aestimatione in utraque ditione cudatur, quemadmodum Gedani in praesentia illris dni. ducis fuerat tractatum et constitutum.

Quod illris. dnus. dux Prussiae per vos, dni. legati, ad suam Mtem. retulit de quadam dissensione, quae inter ditionem suae Illtis. et Samogitiam finium causa exoritur, scire velit

[1]) D. 3. 2. 1528.

velit sua Illtas., quod sua Mtas. brevi se ad Mg. ducatum Lituaniae conferet, quo cum feliciter pervenerit, non gravetur Illtas. dni. ducis eo nuntium suum mittere et suam Mtem. ejuscemodi negotii admonere, Mtas. vero sua illic existens et commissarios ad revidendos fines designabit et tempus atque diem eorum revidendorum constituet curabitque, ut quod cuiquam juste venire debet, id possideat.

Quod praeterea illris. dnus. dux Prussiae cupit, ut cuidam subdito suo de Knephoff, qui Stargardiae sententiam pro se obtinuit, ejus sententiae executio fieret, sua Mtas. imperabit per literas suas, ut eidem subdito suo indilata justitia ministretur.

Ceterum sacerdotes, qui apud rmum. dnum. epum. Vladislaviensem jam dudum vincti detinentur, pro quibus illris. dnus. dux tantopere est sollicitus, et mandaverat jam dudum sua Mtas. liberos mittere et nunc coram eidem dno. epo. mandavit; quare sua Illtas. in hac quoque re compos sui desiderii efficietur.

22. Sigismundus primus, rex Poloniae, Mauritio, epo. Varmiensi.

Kod. bibl. Zam. (list oryginalny). Kod. Op. IX, 178. Kod. Sap. VI, 199.

Rde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Habuit hic nuntios suos apud nos illris. dnus. Prussiae dux, per quos nobis significavit desiderium suum de nova moneta in suis terris cudenda. Nos vero, quia volumus debite provisum iri, ut moneta nostra, quam ibidem in Prussia formandam et cudendam cogitamus, quoad licebit, non disconveniat a moneta ipsius domini ducis, respondimus ipsi dno. duci, indicturos nos esse proxime conventum in Prussia, ad quem venientes ipsius dni. ducis nuntii tractent illic cum consiliariis nostris et concludant de conformanda eadem utraque moneta et de ejus valore.

De contributione a plebanis exigenda, quamvis non sit inusitatum eos semper solere contribuere et est plene de eis expressum in universalibus nostris literis, tamen quia vra. Ptas. scribit, ita visum esse consiliariis nostris, ideo nihil miramur non esse ab illis exactam.

Cysae pecuniam, quam collectam apud se esse scribit vra. Ptas., per primam opportunitatem eam reponat in manibus Joannis Balinski, thesaurarii nostri terrarum Prussiae.

De reliqua colligenda Cysa sive semel in anno seu bis eandem colligere voluerit vra. Ptas., relinquimus hoc illius providentiae et affectui erga nos, facturam eam credentes id, quod videbitur illi futurum maxime commodum et nobis et reipublicae nostrae. Valeat bene vestra Ptas. Dat. Piotrkoviae in vigilia Circumcisionis dni. A. ejusdem domini M. D. XXVIII. Regni vero nostri anno vigesimo primo.

Commissio propria regiae Majestatis.

23. Petrus Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Mauritio, epo. Varmiensi.

Kod. Op. IX, 179. Kod. Sap. VI, 197.

Rme. in Christo pater et dne. frater et amice charissime ac honorandissime. Opportune rma. Dtio. vra. nuntium suum huc misit, per quem deliberationem suam et dnorum. consiliariorum terrarum Prussiae de ratione cudendae monetae regiae Mti. significavit; nam etiam sub idem tempus legati ill. dni. Prussiae ducis hic adsunt, qui etiam hoc ipsum cudendae monetae negotium hic tractant dimittenturque cum tali responso, quod etiam cum deliberatione et sententia rmae. Dtionis. vrae. et aliorum consiliariorum istarum terrarum congruit, vid.: ut adhuc alter conventus in Prussia indicatur, in quo nostrates cum

cum legatis dicti dni. ill. ducis convenientes tandem concludant et determinent de universa hac cudendae monetae ratione. Quibus si in tali conventu de eodem negotio convenire non poterit, tunc sua Mtas. illic suam sententiam et voluntatem patefaciet et significabit pronuntiabitque, quonam pacto ipsa moneta cudi debeat.

Quod rma. Dtio. vra. commemorat, thelonea quaedam contra decreta conventus Cracoviensis in ducatu Masoviae instituta esse petitque literas regias, quo pecora illic in Masovia ad usum et relevationem desolati episcopatus sui empta libere illinc ad Prussiam abigi possent, sciat rma. Dtio. vra., nulla nova thelona in Masovia instituta esse, duntaxat illud a regia Mte. imperatum, ut custodiatur, ne pecora in Masovia empta aliis viis agantur, quam per eas cameras, quas ad eum usum illic Mtas. sua instituit. Mitto tamen eidem rmae. Dtioni. vrae. literas regias, quibus habitis liberum erit officialibus et servitoribus ejus sine thelonei et cujusvis exactionis solutione armenta et pecora e Masovia abigere.

Memini praeterea, regiam Mtem. pollicitam esse Georgio Procke certam provisionem in Prussia constituere, modo aliquid tale obtingeret, quod sibi licite praestari posset Sed hactenus nihil tale obtigit, prout hoc etiam rma. Dtio. vra. novit; cum vero suam Mtem. admonuissem, ut eidem Georgio Procke annuam pecuniam centum florenorum constitueret ita, prout rma. vra. Dtio. cupit, sua Mtas. se in hoc difficilem praebuit, afferens, se alioqui magnis impensis esse oneratam, quemadmodum est stipendium, quod dno. duci Prussiae quotannis solvitur; praeterea in reparationem rupturae aggeris in insula magnam vim pecuniarum se profudisse dicebat. Quare sustentandus est ipsi rmae. Dtioni. vrae. eo usque idem Georgius, quo aliquid reditus in Prussia se offeret, de quo ei per suam Mtem. provideri posset, quod cum evenerit et mihi per rmam. Dtionem. vram. significatum fuerit, efficiam procul dubio, ut illius meritorum digna ratio habeatur.

Item nobis ex Germania per literas est significatum, quod Hispani et Germani pedites, qui Romam diripuerant, cum ad ferendas Mediolano suppetias proficiscerentur, ab exercitu Gallicano circumventi ter victi atque ca esi sunt, paucis ex caede relictis, unde facile colligitur, summum pontificem et ex captivitate et a grandis pecuniae pensione jam esse liberatum.

Quod rma. Dtio. vra. a regia Mte. postulat, ut damnorum et calamitatum, quas in novissimo bello una cum ecclesia sua passa est, rationem habere dignaretur meque scriptis admonet, ut causam ejus promoverem, id ego feci quidem sedulo, nec facere desistam, sed tam occupato et duro tempore nihil a sua Mte. obtinere potui. Exspectandum igitur est rmae. Dtioni vrae. commodius tempus ad impetrandum aliquid; ego vero nullam occasionem praetermittam, ut in hoc desiderio ejus aliquatenus ei gratificari valerem et cupio, ut dnus. Deus hoc novo anno servet vram. Dtionem. rmam. sospitem et felicem. Quae me diligat et habeat sibi commendatum. Dat. in Piotrkow.

Teki Naruszewicza.

24. Sigismundus primus, rex Poloniae, senatui Gedanensi.

Famati, fideles, nostri dilecti. Binas a vobis uno tempore literas accepimus, quarum alteris de quodam Hyeronimo Horn, cive Cracoviensi, querimini, qui istic degens, multis in locis, in quibus diversari consuevit, suis affectibus indulgendo multa locutus est et egit ad excitandum furorem multitudinis contra ordinem vestrum, qui civitati praeestis, ex

quibus

quibus ejus sermonibus et actionibus timentes vos, ne quid eveniat, quod non solum vobis, sed et reipublicae totius civitatis, imo vero totius regni dispendium et detrimentum sit allaturum, publicae custodiae illum tradidistis. Nos quidem hanc vestram istius rei exactam et diligentem considerationem in praesenti temporum varietate et turbatione quo par est animo accepimus, eaque cognita jussimus quosdam ex consulibus hujus civitatis Cracoviensis ad nos quamprimum accersiri, ut ab eis percontaremur de homine, an sit prius conscius eorum morum, denique et vitae ejus seriem indagare cupientes, qui mox ejus cognomine audito, narrarunt nihil novi se audisse. Postquam ejus actorum ratio eis explicata est, qui hic degens et loqui et facere similia multa consueverat, non aliqua naturae et ingenii malignitate impulsus, sed levitate et petulantia quadam, ad quam bibendo et insaniendo per longum usum ita devenit, ut ea tamquam quodam ingenii morbo laborare videatur, quem, si quadam malignitate naturae, ab eaque insita fraude, id agere cognovissemus, sciremus vobis dare consilium, quo pacto sit in eum animadvertendum, sed cum sit talis, qualem eorum relatione, qui mores hominis norunt, descripsimus, non possumus eum judicare tali poena dignum, qualem mereri videretur, si mentis compos esset nec eo impetu ferretur, ad quem eum ebrietas et inde nata levitas impellit. Attamen ut eum poenae metus coërceat ab iis desistere, quae homini peregrino in aliena republica versanti non conveniunt, non improbamus, si ejus verborum licentiae talia frena imponantur, quae posthac eum absterrerent ab iis abstinere, quae in unaquaque ordinata republica magnis poenis puniri solent. Reliquis vero significastis Nobis quosdam concives vestros Berlini in ditione illustrissimi Joachimi jurejurando esse adactos. 1527.

25. Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis, regni Poloniae vicecancellarius, Philippo Bishoff, burgrabio et proconsuli Gdanensi.

Teki Naruszewicza.

Famate domine, amice charissime. Magister Jacobus, secretarius civitatis vestrae Gedanensis, tametsi diligentem operam fecerit, quo hinc cito absolvi potuisset, tamen propter magna et ardua negotia, quibus in hoc generali regni conventu regia Majestas erat distracta, non potuit ad hoc usque tempus absolvi. Expeditus est tamen tandem, et quae accepit in responso a Majestate regia, vobis plane referet. Qui notati fuerunt crimine tumultus istic in urbe vestra excitati, cum Majestas regia erratum illorum libere dimiserit, inque suam gratiam suos susceperit, nemo id eis jure exprobrare potest aut audeat, et si quis in contrarium fecerit, aequum et necessarium esse videtur, ut gravi poena puniatur. Quae enim praeterita et transacta sunt, amplius in ignominiam cujuspiam trahi et revocari non debent. De rebus novis, quas ad nos perscripsistis, agimus et habemus vobis magnas gratias, optamusque vos bene et feliciter valere. Datum 1527.

26. Sigismundus primus, rex Poloniae, magistro Cruciferorum Lagoviensi.

Kod. Sap. VI, 186.
Kod. op. IX, 211.

Rdus. dnus. Cracoviensis epus. et regni nostri vicecancellarius exposuit nobis ea, quae a factore suo bonorum et oppidi Psczewiensis accepit, de vi et damnis subditorum suorum

suorum a quibusdam praedonibus villae[1]) Lukowie illatis, qui, ut ferunt, ex bonis vestris in bona dni. epi. irrumpentes captisque duobus hominibus in silva villae Trzebiechowo[2]) atque in ipsa bona vestra deductis ac verberibus affectis et equis spoliatis dimiserunt eos adjectis minis, quod et in reliquos ejusdem villae incolas eodem saevitiei et crudelitatis genere uti vellent. Miramur autem, quorsum haec spectent, ut nulla facta de more admonitione resarciendi damni vel injuriae, si quam acciperent, tam se subito ad caedem et praedam ac minas ingerendas converterent, nullo respectu habito, quem finem talia violenta initia afferre soleant, quae paci et concordiae inter vicinos observandae et retinendae sunt prorsus inimica. Hortamur vos igitur, ne foveatis in bonis vestris tales homines, qui ad vim inferendam et discordiam inter vicinos excitandam odiaque serenda, ex quibus bella nascuntur, propensi et animati sunt, et quantum in vobis est, jubeatis satisfieri pro damnis et verberibus illatis eisdem subditis domini episcopi, ne oporteat vim vi referendo id agere, quod utrique parti magis noxium sit futurum. In quo facietis rem aequam professioneque vestra dignam et bonae vicinitati consentaneam.

Teki Górskiego, nr. 865, (minuta Zambockiego z poprawkami Tomickiego).

27. Sigismundus, rex Poloniae, Joachimo, marchioni Brandenburgensi.

Illustris princeps et dne. affinis noster charissime. Accepimus literas ab Illte. vra., quibus petit, ut si quid indignationis et odii adversum subjectum ejus, magistrum ordinis S. Joannis, qui in nos plurimum deliquit, concepissemus, id propter intercessionem ejusdem Illtis. vrae., pro eo ad nos factam, ex animo nostro amoveremus et eum in pristinam et solitam gratiam nostram susciperemus. Nos quidem juste erga eum commoti eramus propterea, quod nos tanta contumelia affecerit, quanta nec praedecessorum nostrorum quisquam unquam affectus fuit. Quod factum ejus eo indignius ab eo reputavimus, quod ex religione, quam profitetur, modestiae potius et humanitatis, quam violentiarum[3]) et seditionum auctor esse debuerat; tamen cum Illtas. vra., cujus nos benevolentiam et bonam vicinitatem magni facimus, pro eo intercedendi munus sibi desumpsit, condonamus ei totum hoc, quo nos offenderat, ea tamen lege, ut conventis et pactis satisfaciat, favore etiam eo prosequi eum non abnuimus, quo omnes religionem professos prosequi solemus, modo causam nobis deinceps ne praebeat justi erga se odii. Quod et Illtem. ipsam vram. rogamus, contineat et coërceat suos, ut tandem nos et nostros lacessere desinant. Sic enim mutuam benevolentiam, ab usque majoribus nostris sancte custoditam, optime utrinque fovebimus. Nam quod ad alias causas et controversias attinet, quae in praeterito conventu — ut scribit — finiri non poterant, nos quoque volumus, immo cupimus, ut amice dirimantur componanturque et ob eam rem legatos nostros ad id negotium obeundum alio tempore commodo designabimus, quos cum istuc missuri sumus, faciemus aliis literis certiorem Illtem. vram., quam feliciter valere optamus.

Teki Górskiego nr. 865, (minuta Zambockiego).

28. Sigismundus, rex Poloniae, Elisabethae, marchionissae Brandenb.

Illris. princeps et domina affinis nostra charissima. Cum ad petitionem illris. principis et dni. Joachimi, marchionis Brandenburgensis, electoris etc., mariti Illtis. vrae., petitio etiam et

[1]) Kod. Op.: dictis Lukowie. — [2]) Kod. Op.: Hrzebiesczewo. — [3]) W minucie Zambockiego latrociniorum poprawił Tomicki na violentiarum.

et literae ejusdem Illtis. vrae. ad nos scriptae accesserint, eo faciliores eramus ad veniam dandam Vitto de Thumen, magistro ordinis Scti. Joannis, quamvis nos atrociter offenderit. Itaque ad intercessionem Illtis. vrae. condonamus ei culpam omnem feliciterque valere optamus eandem Illtem. vram. Datum.[1])

29. Petrus Tomicki, ep. Cracoviensis, regni Poloniae vicecancellarius, consuli Gedanensi, Eggerdo de Kempen.

Teki Naruszewicza.

Famate domine, amice charissime. Accepimus literas vestras, quas reddidit nobis magister Jacobus, secretarius civitatis vestrae, quibus commendastis nobis negotium domini Joannis Furste, consulis Gedanensis, id quod nos et propter illius afflictam fortunam, et ob commendationem vestram ac aliorum amicorum nostrorum, diligenter apud Majestatem regiam promovimus, obtinere tamen non potuimus id, quod optabamus, et vos cum ipso domino Joanne Furste et aliis vestris amicis postulastis. Putamus vero et certo nobis persuademus, quod Majestas sua regia non tam facile bona sibi pro securitate pecuniae per dominum Joannem Furste debitae assignata distrahere permittet, prout de hoc magister Jacobus plene enarrabit.

Cui commisimus etiam declarare vobis sententiam et desiderium animi nostri episcopalis, in quo in praecipuis festivitatibus anni vesperas et matutinas cantare solemus, rogamusque vos, ut illi in his et aliis omnibus nostro nomine referendis plenam ac indubiam fidem adhibeatis, sicque vos exhibeatis, ut id, quod optamus, praestare ac exsequi curetis, prout benevolentia erga vos nostra, ac vicissim vestra erga nos propensio, postulare videtur. Nos vero et grati erimus operae et officii vestri, et omnia, quae nobis fieri et adduci ex Flandria procuraveritis, cum gratitudine debita exsolvemus, optamusque vos cum vestris omnibus bene ac feliciter valere. Datum 1527.[2])

30. Sigismundus primus, rex Poloniae, domino Persteinski.[3])

Kod. Sap. VI., 149.
Kod. Op. IX., 153.

Mgce. dne. sincere nobis dilecte. Habuimus literas vrae. Sinceritatis, in quibus ad nos scribit, quasi nos edicto nostro prohiberemus, educi ex regno nostro plumbum ad regnum Bohemiae et si quod eductum esset, id aliter non debere vendi, nisi pro argento non formato. Res se ita habet. Cuditur in praesentiarum Cracoviae in regno nostro pecunia alias moneta multiformis, ad quam officinam argentum nobis non suppetit, quia nullo de loco advehitur venale, itaque quotiens venit aliquis ad regnum nostrum pro plumbo, non alia lege emi illud et educi permittimus, nisi ut idem emere et educere extra regnum nostrum illud volens afferat argentum ad officinam nostram monetariam, ubi pro eo prompta cuilibet numeratur pecunia, pro qua tandem datur ei potestas emendi plumbum et extra regnum nostrum ducendi. Quae res cum nemini cedit ad injuriam, postulamus a vra. Sinceritate: velit nos apud ordines et status regni Bohemiae et apud se ipsam de hoc, quod pro bono et commodo reipublicae regni nostri constituimus, excusare ac boni consulere. Et valeat vra. Sinceritas. Datum in Piotrkow.

[1]) Pod tekstem położył Tomicki adres: Illustri principi dnae. Elisabeth ex regia stirpe progenitae, marchionissae Brandenburgensi, Stetinensi, Pomoraniae etc. duci etc. affini nrae. carissimae. — [2]) W rękopisie na marginesie: 1527 mediis Decembris. — [3]) Kod. Op.: Domino de Pernstein.

Metryka koronna, 43, 211.
Teki Górskiego, nr. 1027, (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 8.
Kod. Sap. VII, 8.

31. Legatio a Sigismundo rege ad Masoviam, data Joanni Latalski, epo. Posnaniensi, Andreae Nisczicki, palatino Plocensi.

Post dictam gratiam regiam et literas fidei oblatas dicendum: Satis esse jam declaratum, terras Masoviae unum esse corpus et hereditatem regni Poloniae, unam gentem, unam linguam, unos dominos ipsorum ab initio semper extitisse; partito vero regno inter duces, ut alias terras, ita et ducatus terrasque Masoviae decedentibus masculis jure feudi ad corpus et unitatem regni denuo rediisse, quae ex literis, inscriptionibus et exemplis ita clare constant, ita in recenti memoria existant, ut nullis rationibus et argumentis infitiari possunt.

Cum itaqe placuit divinae Mti. reliquam masculam sobolem ducum Masoviae ab humanis auferre et reliquae terrae Masoviae jure feudi et juxta inscriptiones veteres ac recentes in Mtem. regiam et regnum Poloniae recidissent, licet Mtas. sua potuisset e vestigio possessionem earundum terrarum accipere, et illis sicuti reliquis terris et subditis suis imperare, tamen voluisse Mtem. suam clementem et benignissimum principem, rem alioquin jam prius transactam, iterum placide et aequanimiter transigere. Non enim dedignatam fuisse Mtem. suam primum legationibus benignissimis illos ad debitum ipsorum exhortari, deinde etiam ipsammet ad eos descendere, et justis rationibus modisque clementissimis jus suum et debitum illorum ab eis exigere, quibus cum juste reluctari non potuissent, tandem universos jus jurandum Mti. suae et regno suo Poloniae praestitisse.

Quamvis autem petiissent tum, et pariter in conventu Cracovien. dari sibi in ducem et dominum illustrissimum principem Sigismundum, filium Mtis. suae charissimum, tamen Mtem. suam id tum illis, et demum in conventu Cracovien. denegasse, quod nollet videri juribus regni sui quicquam detrahere, magisque conducere putet et filio suo et omnibus subditis suis, regnum et dominia sua unita, quam scissa et divisa, illis relinquere.

Nec id adhuc satis fuisse, verum cum hortaretur Mtas. sua in conventu Cracovien. nuntios ipsorum, ut simul cum illis terrarum nuntiis de Reipublicae necessitatibns consulerent, illique affirmarent, se ad id nullam habere facultatem et peterent sibi conventum de hac re statui, benigne id tulisse Mtem. suam et ad postulata ipsorum conventum illis statuisse, legatosque insignes ad illos misisse, qui illos non minis, sed justis rationibus ad unitatem regni et debitum ipsorum praestandum admonerent, quibus cum illi tale responsum dederunt, quale et juribus regni et voluntati Mtis. suae et postremo juramento ipsorum prorsus adversatur, potuisse Mtem. suam una cum universo senatu aliquid severius in illos decernere, et tanquam adversus contumaces subditos procedere, mirarique Mtem. suam et indignissimo ferre animo, quod rem jam transactam et rationibus actisque prioribus exstinctam, resuscitare nituntur, impugnantes jus feudi Mtis. suae ducesque utriusque sexus heredes esse terrarum Masoviae affirmantes, quod ad illos jam exstinctis ducibus nihil attinet disputare, jam non illis, sed ducibus ea ratio si qua esset competeret. Utcumque est adhuc distulisse Mtem. suam, id quod severius exequi in illos deberet, sed iterum, ultimo tamen, ex sua benignitate et consilio senatus sui, conventum hunc illis indixisse, ad declarandum universis, quod Mtas. sua nequaquam vult neque potest aliter de ducatu hoc disponere, quam jura regni exigunt, et quam praedecessores sui de aliis terris eodem modo ad regnum devolutis disposuerunt.

Et

Et proinde cum debitum illud, quod defuncti domini duces ad defensionem Reipublicae regni Mti. suae tenebantur, cum illis est exstinctum, et debitum eorum, quod ipsis dominis suis tenebantur ad ipsam defensionem, transfusum est in Mtem. suam, jam dominum ipsorum immediatum, hortari et mandare illis Mtem. suam, ut ad hunc conventum nuntios cum plena facultate citra moram mittant ad consulendum defensioni regni et oneribus, quae alia regni membra ferunt, subeundis.

Nam ubi id facere nollent, et causa ipsorum omnia rei bene gerendae consilia impedirentur, et indignationem gravissimam Mtis. suae ordinumque universorum regnicolarum adversum se concitarent et rebus statuique suo non recte consulerent, cogeretur enim Mtas. sua adversus illos ita ut adversus contumaces subditos procedere, et viam obtinendae cujusvis gratiae suae illis praecludere.

Quod autem ad privilegia et immunitates ipsorum attinet, velle Mtem. suam illa omnia confirmare, quaecunque justa et honesta, ac quae juribus Mtis. suae non officerent et quae debito ipsorum servitio erga Mtem. suam et communem defensionem regni non contravenirent.

Cetera prudentiae dominorum oratorum committuntur, qui ita adaptabunt sermonem et consilia sua, prout res ipsa et dignitas regia ac reipublicae necessitas exposcere videbitur.

32. Sigismundus primus, rex Poloniae, Joanni de Latalice, epo. Posnaniensi, Andreae de Nisczice, palatino Plocensi, legatis ad Masoviam missis.

Kod. Karnk. X. 9.
Kod. Sap. VII. 9.

Reverende in Christo pater et magnifice, sincere nobis dilecti, gratiam nostram. Edocti sumus a quibusdam multas esse scriptas et missas literas in Masoviam, ad subditos nostros ejusdem Masoviae incolas, tam ad optimates quam ad reliquum populum, quibus illi animantur ac impelluntur, ut nobis pertinaciter negent debitam obedientiam. Sed quia jam omnes illi populi de fidelitate sua jusjurandum nobis praestiterunt, merito videntur nos non debere talium rerum quicquam celare. Propterea hortamur vestras Sinceritates et volumus, dent operam, ut sciscitentur ac investigent ab illis aliquid de talibus literis, primum apud primores et proceres illius ducatus, deinde etiam et apud reliquam nobilitatem et populum ac plebem similiter diligentissime disquirant, mandentque omnibus nomine nostro, ut sub fide sua et jusjurando nobis praestito easdem literas edant. Et quascunque earum vestrae Sinceritates nactae fuerint, undecunque et ex quibuscunque oris et regionibus emanatas et missas, eas omnes ad nos vel mittant vel perferant. Pro gratia nostra et suo debito non aliter facturi v. Stes. Quae bene valeant. Ex Pyotrkow.

33. Matthias, episcopus Cujaviensis, Mauritio, episcopo Varmiensi.

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr. 1596 (list orygin.)

Rme. in Chro. pr. et domine, amice et frater in Chro. carissime et plurimum observande. Salutem in dno. et optatam cum propitio novo anno felicitatem. Silui longo tempore, P. vra. r., non amoris defectu, sed pro varietate rerum ac temporum, cum nihil certi inter

inter figmenta varia haberetur. Malui itaque mutum quam mendacem amicum exhibere, sed nec hoc tempore quicpiam certi habemus, licet rumores varii non desint, quod agitur cum summo pontifice, alii enim ferunt eum libertati et auctoritati restitutum, alii vero dicunt, ipsum extra angustias non esse propter non solutam ex pacto pecuniam, alii autem dicunt a Gallis exercitum imperialem, qui Romam expugnavit, miserabiliter, dum ad opitulandum Mediolano pergeret, profligatum vel potius deletum esse; spargunt alii caesarem vita functum esse et ob eam rem regem Ferdinandum Hungaria vacua relicta vestibus lugubribus in Viennam properanter abiisse. Siquidem itaque nihil scribens deliqui, vra. r. D. boni consulet et veniam dabit. Sunt modo hic oratores regis Hungariae Joannis et prioris et novissimi auxilia a rege nostro et nobis senatoribus implorantes et rebus sui regis bene sperantes, dicuntque regem cum valido exercitu versus Budam tendere, Ferdinandi vires flocci pendendas. Oratores vero Ferdinandi hac ebdomada etiam adventuri sunt et ita licebit ex utriusque partis rationibus cognoscere, quis eorum fructu spei suae potietur. Interea vero operae pretium est, ut in neutram partem spiremus. Turcus etiam vires comparat, quid vero intendat, incertum est. Sed et nos quoque rebus nostris prospicere debemus, ne contingat nobis dicere: non putaram. Fuit nuper in consilio, non publico quidem sed privato, de vrae. D. r. absentia mentio et ad comparationem vrae. P. laudabant Lucam pontificem, qui conventus non gravatim frequentabat, sed excusationem in foribus habentes vrae. P. r. absentiam ita excusavimus, ut ....[1]) est veritati. Nuntii dni. illmi. ducis Prussiae de monetae cusione agunt, eandem cupientes habere in gradu et valore aequalem Polonae monetae, ut videlicet grossus quatuor solidos valeat. Vra. autem intentio non omnino concordat cum principis intentione, sed Mtis. r. non multum discrepat intentio a duce Prussiae. Necesse igitur est, ut r. Mtas. communem conventum instituat, in quo concorditer de ejus qualitate cudenda constituatur et ita absolventur ejus nuntii. Vellem ego, ut cuderetur bona, quatenus nostri reditus collapsi instaurarentur. Male namque nos habet Swidnicensis moneta et nostros pauperes colonos enervat nobisque, quibus censum pendunt, maxima dampna infert. Dni. Pomeranienses ex novae theologiae figmentis conantur nostros ecclesiasticos reditus subtrahere, solo pastorali nomine nos dignantes, nolentes, ut aliquid lanae vel lactis in usum nostrum habeamus, cum utique qui altari servit, de altari vivere merito debet, sed aliquando dni. theologi ejuscemodi sapere scient et ut cupiunt jura sua esse integra, sic nec nostra violare ullo tempore poterint; habemus nos sententiam solempniter pro nobis et ecclesia latam, tamen cum majore ipsorum quam ecclesiarum favore, quam volente deo sacrae Mtis. regiae auctoritate tueri sciemus et ut in executionem ponatur, ipsa aequitas nos relevabit; dicant, garriant quod volunt, nos justitiae nostrae inhaerebimus, nec permittemus, ut novi Pomerani vetustis privilegiis obvient, ut alios probos depravent.

Conventus hic noster adhuc aliquamdiu durabit, quoad redeat rmus. dnus. Posnaniensis epus., qui missus est cum ceteris collegis pro incorporandis Masovitis jugo totius regni defensionis. Si quid itaque vra. r. D. mihi committere voluerit, donec cum Mte. regia sum, jus et potestatem habeat, nam ex votis suis me esse comperiet. Conventu vero peracto Mtas. regia in Lithuaniam ire properabit. Vra. r. D. me amet et inter suos semper numeret et feliciter valeat. Ex Pyotrkovia ultima Decembris 1527.

Mathias, dei gratia eps. Cuyaviensis et Pomeraniensis.

Rmo. in Chro. pri. dno. Mauritio, dei. gra. epo. Varmiensi,
dno. amico et fratri in Chro. carissimo et observando.

[1]) Wyraz jeden nieczytelny (? assensum).

34. Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Sigismundo primo, Poloniae regi.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1. fol. 1.)

Post fidelem et officiosam observantiae, servitiorum ac fidei meae exhibitionem. Serenissime rex, clementissime domine. Novitates, quae ex Warmia veri narratione ad me relatae sunt, gratiose accipere dignetur sacra regia Majestas vestra. Georgius Unger, primorum terrae Livoniensis non infimus, Romam ad summum pontificem pro confirmatione episcopi Osiliensis missus cum Italiae appropinquasset ac illic bellico tumultu, quo ferme tota fervet Italia, omnia vastari et Romanae urbis excidium per caesarianos perpetratum increbuisset, gressum reflectens Spiram, Germaniae urbem, ubi tunc camerae imperialis judicium celebrabatur, concessit. In quo cum legationis suae causam egisset, abiturus inde percontatus est praesidentem imperiali judicio de statu belli caesariani in Italia, de ducatu Prussiae et si quid aliud erat, quod domini sui magistri Livoniae interesse arbitrabatur. — Responsum est illi per quendam doctorem, cui id muneris a praesidente impositum fuerat, male habere caesaris causam in Italia. Regem enim Galliae electorum militum in armis habere quadraginta milia, Venetos triginta milia, videlicet utrumque coactum exercitum fortem LXX milium militum ducendum contra caesarianos. Quorum magna pars, qui Romanam urbem memorabili ac horrendo crudelitatis genere exciderint deleverintque, nec minus cuncta caede omnes utriusque sexus homines mactaverint, opimis referti spoliis et diviti praeda onusti, sparsim diffugientes latibula quaeritant, in quibus bellicae fortunae pertaesi et Romanis divitiis saturati quieti ac ventri indulgeant. Quo fit, ut caesar bellicis viribus fractis et desciscentibus ultro citroque militibus, tepide in Italia belligerat. Timendumque forte, quod Galliae rex totam occupaturus sit Italiam. Duos praeterea fuisse pro Prussiae magistratu competitores, nempe ducem Brunswicensem et magistrum Livoniae. Neutrum tamen quod petebat obtinuisse. Tertium vero Ferdinandum Ungariae et Bohemiae regem non ut primi duo pro magistratu, sed pro ducatu Prussiae rogasse, ipsumque eundem ducatum apud caesareae Majestatis judicium camerae obtinuisse. Haec et item, quod r. d. Johannes Blanckenfelt, archiepiscopus Rigensis, in Hispania defunctus sit, Georgius praefatus cum ex Germania per Prussiam in Livoniam repedaret, ac pro die Scti. Thomae Apostoli proxime elapso Warmiae apud dominum Leonardum Nyderhoff canonicum ibidem hospitaretur, retulit, vir alioqui gravis et fidedignus. Accisi praeterea et contributi pecuniam de anno praeterito in summa mille octingentas quadraginta unam cum dimidia marchas viginti quatuor solidos hodie in dat. praesentium magnifico domino Johanni Balinsky, regiae Majestatis vestrae harum terrarum thesaurario, per camerarium meum in Marienburg in bona moneta misi. Haec latere nolui sacram regiam Majestatem vestram. Cui me ac ecclesiam meam humillime ac diligentissime commendo. Ex arce Heilsberg, 3 Januarii Anno 1528.

35. Sigismundus primus, rex Poloniae, Joanni Balinski, thesaurario Prussiae.

Kod. Sap. XVII, f. 379.

Generose fidelis dilecte. Scias diligentiam et sedulitatem tuam in obeunda legatione ad conventum Elbingensem nobis gratam fuisse et esse actaque conventus ipsius ex literis senatorum Prussiae nos intellexisse. Commendamus etiam operam tuam in reficiendo aggere

aggere identidemque hortamur te, ut usque ad plenam ejus consumationem invigiles et ultra illos mille florenos, quos in instaurationem ejus deputaveramus, de aerario nostro, quantum ad ejus perfectionem opus erit, eroges et impendas. Non desistas tamen a Gdanensibus et ab aliis, quorum interest, opem et collationem implorare.

Mittimus tibi praeterea quittantiam,[1]) quam Gdanensibus offeres et mille nummum aureorum ab eis accipies, quos et reliquam aureorum nostrorum summam, quae apud te est, mox post messis tempus nobis huc mittere curabis. Praeterea fratrem Ambrosium, canonicum et custodem ecclesiae Pomeraniensis, in arce nostra Marienburgensi pro conditione sua foveas et expensis provideas tantisper, dum ei de aliquo beneficio, si quod isthic vacare contigerit, fuerit per nos provisum. Cum enim religionis sanctae catholicae causa pulsus et multis injuriis extrusus sit ab ecclesia sua, nos, cum aliquam ecclesiam parochialem in insulis nostris aut alicubi vacare contigerit, illam ei non gravatim conferemus. Tu vero nos de vacatione illarum tempori admoneto et, ut ad eam eundem Ambrosium praesentemus, ad memoriam nobis reducas. Datum.

Metryka koronna, Ks. 43. fol. 201. Kod. Op. IX. 180. Kod. Sap. VI. 200.

36. Sigismundus, rex Poloniae, consiliariis Prussiae — pro conventu Elbingensi agendo.

Revde. in Chro. pater sincere nobis dilecte.[2]) Nihil ambigimus, notum esse vrae. Pti., qua cura quaque sollicitudine jam pridem distineamur, quo in terris Prussiae nobis subjectis ejus generis et valoris nummi percuderentur, unde etiam toti regno et dominiis nostris nedum terris istis honor, utilitas atque augmentum proveniret. Quam ad rem cum multum conducere videatur, si in ditione illris. dni. ducis Prussiae nepotis nostri paris valoris et aestimationis nummus cuderetur, ac in terris nostris cudetur, egimus quidem de hac re coram cum eodem dno. duce, cum apud nos Gedani fuisset, verum ipse tunc causas quasdam in medium adducebat, quibus sibi de ea ipsa re monetae cudendae tunc nobiscum concludere non conveniret, ob eamque rem nos alterum et item alterum istic in Prussia conventum de constituenda ea ipsa, quam tantopere constitui cupimus, re monetaria indixeramus, sed nec ita in his ipsis conventibus, ut novit vra. Ptas., de eodem negotio aliquid certi est constitutum cum propter alia tum propter pestem, quae eodem tempore istic invalescens rem omnem interturbaverat. Novissime dum hic totius regni nostri conventum agimus, supervenerunt ab eodem illri. dno. duce ad nos legati, qui inter cetera mandata hoc praecipue a nobis contenderunt, ut tandem de totius rei monetariae ratione in utraque ditione per nos determinaretur concludereturque. Quod quamvis nos quoque cupide volebamus, tamen cum nemo ex consiliariis nostris istinc hic apud nos comparuerit, non erat nobis visum, ut super ea ipsa re absentibus vestratibus hic quicquam constitueremus; verum ad eam rem tandem constituendam alium conventum Elbingi ad feriam II proximam post festum Purificationis S. Mariae dominae nrae.[3]) indicendum duximus indicimusque per praesentes. Venturi sunt ad eum etiam illris. dni. ducis Prussiae homines, qui una vobiscum de ipsa ratione cudendae aequalis monetae sunt tractaturi et transacturi. Mittemus nos quoque ad eundem conventum Elbingensem legatum nostrum, qui cum de ceteris rebus nos terrasque istas nostras concernentibus, tum

[1]) W Metryce koronnej, ks. 43. str. 197, znajduje się: Quitatio de mille aureis Gedanens. data. Pyotrkoviae in conv. generali sabbato proximo ante festum Sctorum. trium regum A. 1528. — [2]) W kodeksach Górskiego list ten zatytułowany jest do senatorów świeckich: Magnifice sincere nobis dilecte. — [3]) D. 3. 2. 1528.

tum de ratione monetaria vestram Paternitatem et alios consiliarios verbis nostris reddet certiores, praesertim si de ea ipsa ratione monetaria vobis cum illris. dni. ducis legatis in hoc ipso conventu convenire non potuerit; aperiet enim tunc ipse legatus noster mentem voluntatemque nostram, quale et cujus valoris genus monetae in utraque ditione habere velimus. Ideo hortamur vestram Ptem. et volumus, ut ad eundem conventum agendum et de ratione monetaria tum etiam de ceteris rebus Reipublicae tractandum et mutuo conferendum ad diem et locum superius expressum se recipiat et aliter non faciat, valeatque feliciter vra. Ptas. [1])

Clausula ad Palatinos.

Ut autem nobilitas non ignoret ea, quae in praedicto conventu Elbingensi proponentur et agentur, volumus et mandamus tuae Scerti., ut ante eundem conventum Elbingensem statuat et indicat suis literis conventum particularem palatinatus sui, ut in eo nuntii ad praedictum conventum Elbingensem eligantur et mittantur, et bene valeat.

37. Sigismundus primus, rex Poloniae, Alberto, duci in Prussia.

Metryka koronna
Ks. 43, str. 204.
Kod. Op. IX, 177.
Kod. Sap. VI, 196.

Illris. princeps et dne. nepos noster charissime. Tametsi non dubitamus, nuntios vrae. Illtis., qui nuper apud nos hic fuerunt, relaturos esse eidem vrae. Illti., quod conventum in civitate nostra Elbingensi indicere statuissemus et jam indiximus ad feriam secundam proximam post festum Purificationis S. Mariae dnae. nrae., ut in eo tractetur et consulatur cum de negotiis ad bonum et tranquillum statum terrarum istarum Prussiae spectantibus, tum de ratione cudendae monetae uniformis, de qua hactenus nihil constitui potuit, tamen visum est nobis vram. Illtem. de eodem conventu, quem Elbingi ad diem supradictum indiximus, his literis nostris etiam facere certiorem. Quam praesentibus requirimus et hortamur, ut ad eum ipsum conventum consiliarios et oratores suos cum plena et sufficienti potestate mittat eisque praecipiat, ut tandem cum nostris consiliariis et subditis conveniant, quo valore quave aestimatione moneta ipsa cudi istic debeat; nos enim non patiemur rem hanc apprime necessariam ulterius protrahi. Sed si consiliarii nostri cum oratoribus vrae. Illtis. de illa convenire non poterint, nos super ea mentem et sententiam nostram in dicto conventu Elbingensi futuro declarabimus et aperiemus eamque ab omnibus acceptari et exequi praecipiemus. Bene valeat vra. Illtas.

38. Instructio oratori regio ad conventum Elbingensem (fer. II. prox. post festum Purificationis S. Mariae 1528.)

Metryka koronna
Ks. 43, 213.
Kod. Sap. VII, fol. 486.

Post denuntiatam regiae Mtis. salutem et gratiam his, qui in conventu aderint, sic exordiatur. Regia Majestas, dominus noster gratiosissimus, utpote optimus et providentissimus princeps, (quod Dominationes vestrae non ignorant) satis superque erat jampridem sollicita, ut in universa

[1]) W kodeksie biblioteki ordyn. Zamoyskich, zawierającym korespondencyą biskupów Warmińskich, znajduje się pod nr. 74 list Zygmunta I do biskupa Maurycego Ferbera, tej samej dosłownie treści, a na końcu z datą: Datum in conventu generali Piotrkoviensi die Sanctorum Trium Regum. Anno Domini MDXXVIII, regni vero nostri anno XXI. Commissio propria regiae Majestatis.

universa Prussia talis moneta cuderetur, quae non detrimento, sed potius augmento tam publicae quam privatae rei futura foret.

De cujus monetae cudendae ratione egit quidem (quod satis constat) sua Mtas. accurate cum illustri domino Prussiae etc. duce coram, tunc cum apud suam Mtem. Gdani fuisset neque per suam Mtem. tum stetit, quominus res tunc ad effectum deducta esset, eodem illustri domino duce causante, se tractatibus illis, qui tum super ea re habebantur, acquiescere minime posse, tantisper dum cum subjectis et consiliariis suis super eadem ipsa re deliberaret et constitueret.

Nihilominus eidem rei monetariae constituendae causa designatus erat conventus, primum Elbingi, demum alter in Culmen, in neutro tamen talium conventuum quicquam de eadem re monetaria constitutum est propter causas, quas nunc repetere non est operae pretium.

Postremo dum sua Mtas. conventum regni sui Petrcoviae agit, miserat illustris dominus dux Prussiae legatos suos illuc cum propter alia negotia sua, tum maxime propter rem monetariam, de qua hactenus tantopere laboratum est, stabiliendam.

Sed quia nemo Dominationum vestrarum ex his terris Prussiae ibidem Petrkoviae tunc aderat, ideo cum dictis legatis super eadem re monetaria non videbatur suae Mti. aliquid transigere.

Tamen quia sua Mtas. omnino in hoc est, ut ei negotio, hoc est monetario, tandem extrema manus apponatur, designavit hunc conventum hic Elbingi die hodierna, volens et mandans, ut Dtiones. vestrae in hoc ipso conventu cum de ceteris rebus reipublicae regni Poloniae et harum terrarum Prussiae necessariis, tum praecipue collatis consiliis et deliberationibus cum illustris domini Prussiae ducis legatis ad haec huc missis de ratione monetae in utraque ditione, tam suae Mtis. quam illustris domini ducis constituendae et cudendae, videlicet quo valore et aestimatione ac forma nummus percuti debeat, tractetis, consulatis, deliberetis et concludatis nec committatis, ut ea in re ulteriores dilationes fierent.

Quodsi ex deliberationibus ratiocinationibusque vestris, quas de eo negotio vicissim habituri estis, vobis de valore et aestimatione atque forma nummi convenire non poterit, tunc sua Mtas. jam mandat et praecipit (id cujus etiam statim in initio hujus negotii mentionem fecerat), ut in utraque ditione ejus valoris ejusque aestimationis nummi percutiantur, qua in regno suo Poloniae cuduntur, et prout ea praesente Gedani erat tractatum et constitutum.

Illud tamen sua Mtas. praecipue censet, ut duplex genus nummi cudatur, videlicet solidi et aes minutum, qui obuli vocantur.

Et hoc est primum et praecipuum suae Mtis. mandatum in hoc conventu peragendum. Quod negligi vel surda aure praeteriri non vult Mtas. sua.

Est praeterea aliud non minoris momenti negotium, quod sua Mtas. Dominationibus vestris per me proponendum et significandum duxit, id vero est hujusmodi. Non dubium est Dom. vestris, quantis incommodis et dispendiis tum majores suae Mtis., tum etiam ipsam modernam Mtem. affecerint bella et caedes atque vastitates, quae durante cruciferorum in Prussia ordine suscipere, et quieti otioque vestro consulens infinitos sumptus sua Mtas. facere cogebatur, praesertim cum ille ipse ordo non aliis ferme temporibus suam Mtem. et terras has lacessere solitus erat, nisi cum simul aut Tartarico, aut Moscovitico bello implicitam suam Mtem. esse perspiciebat.

Quamquam

Quamquam autem Deo optimo maximo vindice nuper eundem ordinem ex his terris funditus sustulerit sua Mtas., tamen reliquiae ejus tot artibus, tot calumniis et querelis, tum apud caesaream Mtem., tum apud serenissimum dominum Ferdinandum, Hungariae et Bohemiae etc. regem et universos Germaniae principes et populos auxilia quaerentes, has terras subruere et in veteres tumultus atque tyrannidem reducere conantur, ut de eorum machinationibus sua Mtas. tot nuntiis et literis ab amicis et necessariis suis admonita non injuria commoneatur et ad prospiciendum futuris casibus animum adjiciat.

Quare ultra amicorum regum et principum auxilia, quae sibi ad resistendum talibus insidiis sua Mtas. jam conciliare coepit, magnum et firmum praesidium regno suo et terris his esse arbitratur, si se etiam praesentaneo milite et domesticis armis instrueret.

Et superioribus quidem bellis externus miles facile ex Bohemia, Moravia atque Slesia pecunia conducebatur, eo quod illae ipsae gentes tunc a domesticis et principum suorum bellis vacabant.

Nunc cum et ipsa Mtas. caesarea et serenissimus dominus Ferdinandus rex ad ea bella, quae cum adversariis suis nunc gerunt, earundem gentium opera utuntur, ideo de praesidio, quod ex dictis gentibus sua Mtas. habere solebat, nihil modo spei relictum est suae Mti. Quin si sua Mtas. quieti et tranquillitati regni sui et maxime harum terrarum prospicere et consulere velit, prout vult, necesse est, ut sibi jam aliunde et non ex illis terris praesidia militaria comparet, ne hostis ipse, qui nihil intentatum relinquit, regnum suae Mtis. et praecipue has terras imparatas et otio diffluentes adoriatur.

In tantis igitur difficultatibus et insidiis, quae et illinc, ut supra dictum est, et alias undique instant, non aliud praesentius atque efficacius praesidium ac tutamen animadvertit sua Mtas., quam si terrarum harum gentes in armis ad omnes subitos casus praesto habeat.

Ideo sua Mtas. vobis omnibus et singulis mandat, ut viris, equis, armis, tormentis bellicis, commeatu, curribus, ita instructi sitis, ut ingruente quovis hoste fortiter et strenue ei resistere valeatis, qua in re suae Mtis. et patriae ac vestrorum omnium saluti, decori, dignitati atque securitati plurimum inservietis. Ipsa namque Mtas. regia prout jam usque a majoribus suis factitabat, vos ut fidos subditos suos opibus, facultatibus, auctoritate ac protectione sua nequaquam deseret.

39. Mandata regia ad proconsules et consules civitatis Gdanensis per Joannem Balinski referenda. [1]

Metryka koronna
Ks. 43, str. 217.
Teki Górskiego, nr. 3396.
(Minuta Zambockiego
z poprawkami Tomickiego.)
Kod. Op. IX, 8.
Kod. Sap. VI. 7.

Saepenumero refertur ad regiam Mtem. nimia asperitas vehementiaque vestra, dni. proconsules, qua reliquos cives, populum et plebem Gdanensem gravare eamque licet immeritam verbis atrocibus et minime civilibus territare dicimini.

Invite haec de vobis audit Mtas. sua, clementissimus dnus. noster, multo enim libentius concordiam et pacem inter vos, quam odium et simultates audire vellet; sed cum intelligat, plebem urbanam de supra dictis conqueri, facile intelligit, concordiam et amorem inter vos non esse.

Ne itaque occulta odia et simultates inter vos et plebem latius serpant et radices agant, mandat sua Mtas., ut vos ab illa ipsa, de qua criminamini, austeritate et inclementioribus verbis erga immeritos contineatis.

Defertur

[1]) W Metryce koronnej znajduje się ten list we formie listu króla Zygmunta do Gdańszczan.

Defertur praeterea ad suam Mtem., multa nova a senatu in damnum civium reliquaeque plebis exoriri idque fieri praetextu privilegiorum, quibus senatui constitutiones et ordinationes de consilio prudentiorum facere licet. Non placuit suae Mti., nec fieri vult, ut a modo quidquam moveatur, quo victus ratio ipsi plebi imminui deberet sine scitu et permissu suae Mtis. Privilegia nihilominus et ordinationes, si in bonum tendunt, secundum modernam conditionem civitatis non vult seponi sua Mtas. aut illis in aliquo derogari, modo ne ad superfluas ordinationes senatus acceleret, tales praesertim, quae constitutionibus recens a sua Mte. sancitis contraveniant.

Accepit insuper sua Mtas., nonnullos, qui ad intercessionem consiliariorum regni in officia civitatis evecti sunt, rursus permutandos fore, unde non aliud nisi exacerbatio animorum consequeretur. Est itaque super hoc velle suae Mtis., ut dicta officia ad ulterius tempus in suis locis manere permittantur.

Praefecti militaris praesidii, quod abiens istinc Mtas. sua reliquerat, petierunt a Mte. sua missionem et ab tali praefectura vacationem. Qua de re cum vos Mti. suae per literas vras. nihil significastis, sine scitu vro. nihil constituere voluit Mtas. sua, dignum tamen ei visum est, ut meritorum eorum et sumptuum a vobis ratio habeatur, praesertim cum in hunc usum contributio de tota civitate ista cum voluntate Mtis. suae constituta fuerit, nec dubitat Mtas. sua, quin erga eos vos ita geretis, quemadmodum ipsi de vobis meriti sunt.

In summa serio imperat Mtas. sua, ut cum universo populo et plebe Gdanensi vos invicem diligatis, ne quicquam novi in detrimentum commune novetis et instituatis, vetus odium ex cordibus vestris abjiciatis et quibus nos pepercimus et delicta condonavimus, ne ea deinceps illis commemoretis vel renovetis sub gratia regiae Mtis.

Singulariter vobis, dne. Philippe Bisschow,[1] utpote burgrabio hujus urbis, sua Mtas. mandat et committit, ut omnibus rebus ita intendatis, quatenus Gdanensis urbs in amore et concordia civili contineatur.

Imperat insuper sua Mtas., ne in reddendo civibus vestris jure negligentes vel arrogantes sitis, quin eos benignis verbis et mera justitia absolvatis plusque valeat apud vos in tractandis concivium vestrorum rebus et causis prudentia et modestia, quam asperitas et odium. Hoc a vobis sua Mtas. fieri vult secretius et seriosius.[2]

Populus Gdanensis dicitur advenas, qui frumenta ex regno Mtis. suae istuc devehunt, occlusione portus gravare; cui tamen rei Mtas. sua — ex quo illam de ea re certiorem non fecistis — minime fidem habet, sed sive ita fuerit sive non, sciatis, Mti. suae vehementer displicere, si quicquam contra ordinationes suas, quas vobis reliquit et quas observari a vobis in omnibus earum punctis et articulis vult et praecipit, a quibuscunque attentari deberet.

Non potest etiam non improbare Mtas. sua, quod pleraque mandata sua, quae ad vos dat, non adimpletis. Vult igitur, ut in futurum tempus omnia mandata sua observentur a vobis, ne eis contemptis vetus ludus iterum inchoetur.

Videte praeterea, ut debite et sine negligentia contributionem, quae Cisa vocatur, Mti. suae decretam, exigatis et exigi faciatis. Pro fide vestra et gratia Mtis. suae haec omnia supradicta facturi.

[1]) W Tekach: Bysschoff. — [2]) W Metryce koronnej: vult. — Secretius et seriosius.

40. De provisione castrorum et civitatum in Prussia. Sigismundus, rex Poloniae, Joanni de Lusianis, palat. Culmen. ac Radzinensi capitaneo et Nicolao Dzialinski, castellano Culmen. et Brodnicen. capitaneo. Georgio de Conopath, palat. Pomeraniae ac cap. Swietzensi et Achatio Czeme, succamerario Pomeraniae et capitaneo Stumensi.

Kod. Karnk. X 22.
Kod. Sap. VII, 18.

Magnifice et generose sincere et fidelis dilecte. Cum respublica Christiana in tantis difficultatibus et periculis sit nunc constituta, ut nemo non videat gravem casum, qui illi imminet, jam non in foribus, sed in ipsis penetralibus ejus esse, nosque, qui in dies pejora tempora consequi cernimus, non possimus non esse solliciti, quibus rationibus regnum dominiaque nobis subjecta a tantis malis praeservare valeamus, dumque in hac praesenti sollicitudine nostra omnia, quae debiti ac officii nostri sunt quaeque nobis ob oculos versantur, intus forisque excutimus, existimanus id praecipuum et necessarium esse, ut arces, civitates et oppida ipsius regni nostri in sua munitione aliisque ad tuitionem illorum necessariis ac opportunis debito modo provideantur, quo ubi vis aliqua ingruerit, defectu ejusmodi necessariorum laborare et, quod absit, in discrimen aliquod prolabi non cogantur. Et proinde volentes nos, ut arces quaeque ac civitates istarum terrarum in sua provisione non negligantur: committimus vobis praesentibus mandantes, ut in palatinatu isto vestro omnes et singulas ipsas arces, civitates ac oppida conspiciatis eorumque ordinem, regimen et administrationem recenseatis, et videatis, an sint bene ac debito modo provisa nec ne; ubi vero defectum ac negligentiam aliquorum necessariorum esse videretis, injungatis et praecipiatis nostro nomine officialibus, quorum interercrit, ut habeant omnia, quae vobis ad debitam provisionem ejusmodi necessaria et opportuna esse videbuntur, pro gratia nostra facturi. Datum 1528.

41. Responsum a Sigismundo, rege Poloniae, datum Statilio, oratori Joannis, regis Ungariae, in Piotrkow 8 Januarii 1528.

Teki Górskiego, nr. 891 (Andreae Cricii).
Kod. Karnk. X. 33.
Kod. Sap. VII. 29.

Quemadmodum vestra Dominatio egit cum Majestate regia de ordinando capitaneo exercitus sermo. dno. regi Ungariae et proposuit illmum. dnum. ducem Prussiae: Majestas sua regia considerat quidem potissimam rei bene gerendae partem in bono, fido et perito capitaneo consistere, et qui etiam non minus auctoritate et fortuna, quam peritia valeret. Considerat item Mtas. sua ill. dominum ducem Prussiae quo ad dexteritatem ingenii, ad authoritatem et peritiam rei bellicae, esse satis utilem et idoneum, neque in praesens videtur alius magis ex re tam facile reperiri posse.

Verum cum non ignoret Mtas. sua, non ignoret ille, quanta molimina fiant in Germania adversus eum ob desertam religionem et terras Prussiae ab ordine Sanctae Mariae Theuthonicorum alienatas, quantum infensam et insidiantem sibi habeat non solum hanc caesaream domum, sed et principes et universam nationem Germanicam: non credit Mtas.

Mtas. sua, illum aliquo modo induci posse, ut hanc provinciam subiret, sic enim ex infestis infestissimos sibi universos redderet, ut ita concitatis animis id adversus eum celerius exequerentur, quod instituunt et moliuntur. Ipse vero discessu suo non solum terras suas hostibus exponeret, sed etiam et regnum hoc in magnas hostilitates et turbas adduceret. Nemo est enim, qui non consideraret id factum scientia et voluntate Mtis. suae regiae, prout jam multa ejusmodi suspicantur et palam jam Mti. suae et huic regno omnia hostilia minantur.

Sed etsi vellet ipse dominus dux hoc officium et munus subire, non censet Mtas. sua id vel in tempore fieri posse, vel adeo, ut videtur, ex re serenissimi domini regis Ungariae futurum, praesertim si ita, ut illius Mtas. postulat, cum sexingentis catafractis et tormentis bellicis venire ad illius Majestatem deberet, nam neque ille tam cito, ut res exigit, se expedire posset, neque alios milites, quam Germanos conduceret, quibus quam recte congruat cum vestris aut quam illis fidendum esset, vestra D. satis intelligit.

Et proinde censet Mtas. sua potius de aliquo alio capitaneo pro re et tempore magis commodo, quam de ipso domino duce cogitandum. Verumtamen si omnino videtur vrae. D. vel illum induci posse, ut munus hoc subeat, vel vobis ex usu futurum, permittit Majestas sua, ut illum ipsa adeat et cum illo nomine sermi. regis sui tractet et loquatur.

Nam non videtur Majestati suae consultum, ut ipsa operam et consilium suum ad hanc rem interponat, ne et apertam sibi hostilitatem conflaret et postea aut serenissimus rex Ungariae, si ductu illius res sua minus recte succcederet, Majestati suae imputaret, aut ipse dominus dux, si se absente domi facturam aliquam et discrimen subiret, ejus Majestatem inculpare posset.

Haec est sententia Majestatis suae regiae, quo ad capitaneum. De aliis rebus et suppetiis Majestas sua aliis collegis Dominationis vestrae e vestigio respondere dignabitur, cum primum res suas domesticas, unde illae manare debent, cum subditis suis transegerit.

Akta za panowania Zygmunta I, 1526—1530. (bibl. Ks. Czartor.)

42. Petrus Tomicius, epus. Cracov., vicecancellarius, Joanni, regi Ungariae.

Munus a Mte. vestra mihi designatum, quia illustre et vere regium est, mihi gratissimum, et eo gratius, quia nullis meis meritis praecedentibus a sola duntaxat munificentia et benignitate regia profectum. Habeo itaque pro eo summas gratias Mti. vrae., ingenue profitens pro exigua in me liberalitate, si re ipsa minus possum, sincero tamen affectu et propensissima voluntate libentissime in omnibus ei servire et obsequi curabo, ita ut hactenus summa fide et studio feci. Quomodo Mtas. regia dni. mei clementissimi erga res Mtis vrae. affecta sit, ex oratore suo, domino praeposito Budensi, intelliget Mtas. vra. Ego vero interea nihil praetermittam, si quid efficere potero, quod praesentium rerum statui accomodari posset, Deumque optimum maximum precabor cum clero meo, ut Mtis. vrae. res omnes fortunet eisque optatum exitum tribuat incolumemque et feliciter regnantem Mtem. vram. quam diutissime servet. Cui me cum orationibus et servitute mea rursus humillime commendo. Dat. Petrkoviae. Anno dni. 1528.

43. Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Sigismundo primo, Poloniae regi.

Archiwum biskupie w Fromborku (A 1 fol. 5.)

Post fidelem et officiosam observantiae servitiorum et fidei meae exhibitionem. Serenissime rex, clementissime domine. Literas sacrae regiae Mtis. v. in vigilia Circumcisionis domini, septima Januarii accepi. Ex quibus reipublicae Prussianae salutem et commodum sacrae regiae Mtis. v. cordi esse intellexi, maximas gratias habens et agens, quod deditissimis suis harum terrarum consiliariis in causa monetae alterum conventum indicere dignabitur, in quo cum illustrissimi domini Prussiae ducis consiliariis convenientes concordibus votis tractent et concludant de confirmanda eadem utraque moneta et de valore ejus, ne moneta sacrae regiae Mtis. v., quam in Prussia cudere cogitat, quoad liceat a moneta illustrissimi d. principis non disconveniat. Ego vero, clementissime domine mi rex, cum pro tenuitate ingenii mei videam illmi. dni. ducem intentionem eo declinare, ut non solum sit contra tractatus Elbingi cum suae Illustr. consiliariis habitos, sed etiam communibus conclusis concorditer per sacram Mtem. vestram nec non Mtis. v. tam regni Poloniae quam harum terrarum consiliarios Gdani stabilitis refragari, videlicet ut talem monetam cudat, quod grossus IIII solidos et e contra quatuor soldi grossum valeant. Quod si fiat, erit maximum Prussiae ac nunquam recuperabile damnum et perpetua jactura, eritque hoc non in melius reformare, sed insigniter deteriorare monetam neque Prussiae commodare, sed commodum incommodare. Unde cum luce clarius appareat hic illustrissimum d. ducem non causae reipublicae, sed privatae potius utilitatis rationem habere, sacram r. M. v. et meo et aliorum Prussiae consiliariorum nomine, quorum mentem et sententiam ex multis in hac re tractatibus passim habitis teneo, humillime precor, dignetur sacra regia Mtas. vestra regio ac prudentissimo suo consilio altius hoc negotium expendere ac regia clementia sua gratiosius admittere, illustrissimum quoque Prussiae ducem eo dirigere, ut si ea, quae in Elbingensi conventu per sacrae regiae Mtis. v. oratorem in medium consiliariorum suorum proposita et per utrosque tam illustrissimi principis quam vestrae sacrae regiae Mtis. consiliarios tractata sunt, in effectum poni non possint aut valeant, saltem conclusio Gdanensis tum per sacram regiam Mtem. vestram tum per dignissimos Mtis. vestrae regni Poloniae ac Prussiae consiliarios longa ac matura deliberatione sancita ac sacrae regiae Mtis. vestrae sigillo roborata suum robur debitumque finem sortiatur. Hoc pro debito meo et sacramento, quo sacrae regiae Mti. v. obstringor, fideliter consulere ac scribere visum est mihi. Quae ut boni consulat et quoniam nonnisi ex animo in rem publicam propenso prodeunt, in bonam partem interpretetur, sacram regiam Mtem. v. humillime iterum atque iterum precor.

Quam dominus noster Jesus Christus pro regni sui ac totius reipublicae christianae consolatione salvam nobis et incolumem conservare dignetur, cuique me ac ecclesiam meam unice atque devotissime commendo. Datum Heilsberg, 10. Januarij anno 1528.

44. Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Christophoro de Szydłowiec, castellano Cracoviensi.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1. fol. 5b.)

Illustris et magnifice domine, amice ac patrone observande. Literas Magnificentiae vestrae datas Piotrcoviae prima Januarii, septima die ejusdem mensis amoris erga me Magciae. suae

suae plenas accepi, maximas gratias agens, quod domini Georgii Proyke provisionis causam non indiligenter apud regiam Majestatem sollicitavit. Cui etsi provisio per regiam Majestatem decreta nondum sit, nihil tamen dubito, vestrae Magnificentiae patrocinio opportune interveniente per sacram regiam Majestatem illi provisum iri. Quod tum regia Majestas tum suae Majestatis senatus gravatim fert, quod nullus dominorum consiliariorum terrarum Prussiae isthuc in conventum regni venerit, istud causae est: ob pestis saevitiam, quae tunc quemadmodum et nunc in Prussia passim grassabatur, neque omnes consiliarii neque capitanei et nobiles Prussiae ad eum conventum venire poterant: sine quorum consensu et plena facultate nemo isthuc in generalem regni conventum mitti poterat, quemadmodum et regiae Majestati, domino nostro clementissimo gratiosissimoque, rescriptum est. Quod ad meam personam attinet, si sumptus mihi suppeterent, in Indiam, non modo in Piotrkoviam mandatis serenissimi regis et clementissimi domini mei obtemperaturus proficiscerer. Inopiam meam ac episcopatus mei et coram et per literas saepenumero ac verissime apud Magnificentiam vestram ac alios regni proceres testatus sum. Ea inquam inopia facultatum facit, ut me pede meo metiri domique continere cogar. Quod praecessor meus, felicis recordationis dominus Lucas, tam pompose regni conventus visitarit, in promptu ratio est: dives viginti duorum milium florenorum per honorandae memoriae dominum Nicolaum de Thungen relictus thesaurus, opulentus ab ingressu usque ad egressum ac nullo alieno aere obaeratus episcopatus, non parva praeterea de subditis per exactionem pecuniae summa corrasa, promissa denique nescio quae in Polonia abbatia, haec sunt, quae dominum Lucam tam splendido ac plusquam episcopali apparatu toties in Poloniam ad conventus regni etiam non vocatum proficisci facile sinebant. Quae si mihi dominus Deus suppeditasset, haberet regia Majestas omnesque regni proceres in omnibus regni conventibus praesentissimum obsequentissimumque Mauritium episcopum Warmiensem. Dominus quoque Fabianus, praecessor meus, cum episcopatum Warmiensem florentem adhuc intraret ac undecim annis administraret, semel dumtaxat Polonico conventui interfuit. Eum episcopatum idem praecessor meus in summa rerum calamitate lacerum, alieno aere gravem, omnium rerum inopem ac pene desertum mihi reliquit. Ego tamen nec his, quae pauper mihi episcopatus suppeditabat, nec quae mihi quantulocunque patrimonio accesserant, parcens, immo profundens omnia, quae undecunque corradere potui possumque, vel conventibus celebrandis vel alieno aere dissolvendo exposui exponoque, unde Magnificentiae vestrae reverendissimoque domino episcopo Cracoviensi plurimum debeo gratiasque ingentes ago, quod me apud regiam Majestatem ac primores regni nec minus apud se ipsos excusatum ire curent. Magnificentiam vestram denique rogo ac obsecro, si quando mei mentio, quae vel regiam Majestatem vel Majestatis ejus senatum male habet, inciderit, dignetur suum, quemadmodum semper facit, interponere patrocinium ac me, quemadmodum attenta tenuitate egestatis meae optime ac veridice potest, donec vel Deus faventior vel fortuna pinguior arriserit, excusatum habere. Id erga Magnificentiam vestram sedulis officiis meis vicissim promereri gratissimumque illi animum rependere studebo. Ceterum causa reipublicae motus iterum nuntium meum in causa monetae ad regiam Majestatem mitto precorque tam meo quam aliorum terrarum Prussiae consiliariorum nomine, quorum mentes ex multis in hac re tractatibus habitis cognosco, dignetur Magnificentia vestra suffragari et huic tam utili et necessariae causae adesse, ut, si propositio Elbingensis suum effectum consequi non possit, saltem constitutio Gdanensis tanto labore et sudore, tanta et tam matura totius regni procerum ac consiliariorum deliberatione stabilita non

in

in fumum et ventum abeat evanescatque, sed firmiter observata exspectatum ac diu desideratum prodeat in fructum. Id quod Magnificentiae vestrae favore, consilio atque assensu futurum minime dubito. Reportatura est Magnificentia vestra pro hoc toti rei publicae Prussianae tam salutari opere aeternam apud posteros laudem et apud Christum inmarcessibilem gloriae coronam. Idem Christus Magnificentiam vestram pro mea et ecclesiae meae protectione salvum custodiat, auspicatum quoque hunc novum annum felicem ac laetum esse faciat. Datum Heilsberg 10. Januarii, anno 1528.

45. Sigismundus primus, rex Poloniae, consiliariis et officialibus Prussiae.

Teki Górskiego, nr. 3100, (dawna kopia).
Kod. Karnk. X. 26.
Lengnich, Geschichte der Preuss. Lande, I, dokum. 18.

Magnifici et generosi sincere et fideles dilecti. Accepimus literas vestras, quibus nescimus prolixene magis an indigne nobiscum adversus decretum nostrum, quod de solvendis decimis domino episcopo Vladislaviensi anno superiore juste et in partem etiam vestram aequanimiter tulimus, agitis [1]) idque docentes nos quasi novum, aut desultorium christianum de lege gratiae: de sublato sacerdotio levitico: de non contribuendo pastoribus, nisi pascant: et aliis tritis jam illis apostatarum cantilenis, non temperantes interim ab aculeis in suum episcopum et pastorem. Unde vehementer miramur, quae est ista nova christiana ratio, per legem gratiae, quae tantum legi iram operanti contradicit, per libertatem evangelicam, quae solum servituti peccati opponitur, duplex idque ingens peccatum adversus divinas et humanas leges committere: alterum non reddere proximo suo, atque adeo pastori, quae sua sunt, alterum: literis et decretis principis sui non parere.[2]) Si per legem gratiae liber est populus a solvendis decimis, quae ministris Dei debentur, eadem lege liber erit a solvendis tributis, quae aliis ordinibus et potestatibus debentur. Nam lege gratiae omnes pariter christiani in unam libertatem sunt asciti. Si ob hoc, quod sublatum est sacerdotium Judaeorum, non plus habeant sacerdotii christiani sacerdotes, quam id, quod commune est omnibus: neque illis suos proventus deberi: pari ratione abolito regno Judaeorum, reges christiani non plus erunt reges, quam ceteri christiani, nam per legem gratiae omnes ex aequo regale sacerdotium esse censentur. Si christiani principes decimas et proventus successoribus apostolorum non recte contulerunt, minus recte apostolis ipsis primi illi christiani pretia bonorum suorum omnium conferebant. Si nefas est pontificem ob non redditas decimas populum excommunicare, majus erit nefas, quod apostoli ob negatam pecuniam ecclesiae dicatam utraque morte condemnabant. Si non pendendum est pastori, nisi pascat et doceat: non pendendus erit etiam a plebe suus census ordini seu statui militari, nisi militet et populum Dei tueatur. Si denique non sunt validae dotes et privilegia majorum et antecessorum nostrorum, ecclesiis collata: cujus erunt firmitatis illa aliis ordinibus sub paribus signis, pari atramento et pelle concessa? Atque haec sunt illae evangelicae rationes, quae nunc orbem terrarum seditionibus, tumultibus, perjuriis et sacrilegiis implent. Gravi igitur et molestissimo animo ferimus, quod adversus decretum nostrum tales literas, talibus impiis dogmatibus confertas miseritis, quae non solum indigna sunt auribus nostris, et ab universa ecclesia catholica damnata, sed etiam a nobis et aliis christianis principibus publicis edictis vetita. Et

[1]) W Lengnichu: (nobis) respondetis idque agitis. — [2]) W Lengnichu: quia per legem gratiae... committitis... non reddendo... non parendo.

Et proinde denuntiamus vobis hanc immutabilem sententiam et voluntatem nostram, quod decretum ipsum nostrum juste et legitime latum nulla ex parte mutaturi, neque dominum episcopum et jura ipsius nostro debito patrocinio deserturi sumus. Et si in ea contumacia perseverare volueritis, nos id, quod ad justum et christianum principem attinet, exequemur. Datum Piotrkowiae die decima Januarii. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

Teki Górskiego, nr. 893, (kopia Górskiego). Kod. Karnk. X. 27.

46. Episcopi et senatores regni Pol.[1]) proceribus et nobilitati Prussiae.

Magnifici et generosi domini, amici charissimi. Scripserunt nobis vestrae Dominationes, ut earum causam, quam habent cum reverendissimo domino episcopo Vladislaviensi ratione decimarum, hic apud Mtem. regiam adjuvaremus, et quae in ea re Mti. suae scripserunt, promoveremus, verum ut ingenue fateamur, neque nobis neque cuiquam nostrum placere potuerunt scripta in ea ipsa re vestrarum Dominationum, partim quod reprehendere videantur decretum regium, magis etiam ex aequitate quam rigore juris latum, partim vero quod scripta ipsa non adeo juridicis rationibus, quam apostaticis apophtegmatibus et invectivis consarcinata sunt, quae etiam illudere magis et contumelia afficere dominum episcopum non vulgarem senatorem regni, quam convincere videantur. Quorsum enim attinebat ad non solvendas decimas allegare legem gratiae, quae jubet reddi quae caesaris sunt, caesari, quae Dei, Deo? Dei autem esse decimas, ipsemet per prophetas multifariam testatur et nemini quicquam deberi: cui honorem, honorem, cui tributum, tributum; redemptorem vero nostrum, quum scribas et pharisaeos reprehenderet, quod ex minimis etiam quibusque rebus decimas darent atque hinc sibi solum justi videbantur, majora vero praecepta legis negligebant, nempe justitiam, misericordiam et fidem, subdidisse tandem: haec oportuit facere et illa non omittere. Lex enim gratiae plus praestare jubet, quam mosaica, sed per charitatem; ea lege gratiae primum omnes christiani pro decimis bona omnia sua ante pedes apostolorum projiciebant, demum fiebant collectae et contributiones pro clero sustentando, postremo cum potestas saecularis subjecta fuit Christo, donati sunt proventus et decimae juxta divinam constitutionem, quae donatio si nihil aliud roboris haberet, quam id, quod collatum est a regibus et principibus, a quibus et saeculares ordines sua habent bona et privilegia, illa valere non possunt, nisi non valeant omnia. Quorsum item attinebat allegare sublatum leviticum sacerdotium, quasi non majus et nobilius sit sacerdotium christianum, quod datur per spiritum sanctum, per impositionem manuum, et potestatem remittendi et retinendi peccata, omnemque pontificem ex hominibus assumptum pro hominibus constitui, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, nec quemquam usurpare sibi debere hunc honorem nisi vocatum a Deo tanquam Aaron, ut constet, non adeo sublatum esse sacerdotium veteris legis, quam consummatum et perfecte redditum. Et proinde puduit nos vehementer et Mtas. regia profecto dedignata est totas illas literas vestrarum Dominationum audire, tam damnatis, contumeliosis et nihil ad rem facientibus apostatarum cantilenis refertas, decretum principis sui impugnantes, neque excusare se possunt vestrae Dominationes paupertate colonorum suorum, cum ab eis ipsi censum suum cupiunt, et dominus per Malachiam prophetam

[1]) Kod. Karnk.: Ecclesiastici et saeculares consiliarii regni Poloniae — proceribus Prussiae.

prophetam causam reddit paupertatis populi, quando in decimis et primitiis suis defraudatur. Rogamus itaque et consulimus vestris Dominationibus, ut posthac in causis ejusmodi potius juris peritos, quam apostatas consulant, et cum plane videant, quantum mali invexerit orbi haec nova antievangelica disciplina, ita se ipsae gerant, ut bonos christianos et boni christiani principis subditos et consiliarios decet. Nos, ut antehac semper in rebus omnibus, ita in hac quoque causa quantum maxime poterimus, et justum ac decens nobis videbitur, volumus libenter vestris Dominationibus adesse et gratificari. Quae valeant feliciter et nos diligant. Ex Piotrkoviensi conventu decima Januarii 1528.

47. Joannes Dantiscus, orator, Bonae, reginae Poloniae.

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr. 242.
Kod. bibl. Kórnickiej Nr. II. 106.

Serma. reginalis Mtas. et dna., dna. mea clementissima. Humillimam fidelis meae perpetuae servitutis commendationem. Superiore die XV Novembris praeteriti scripsi Mti. vrae. sermae. respondens triplicatis et novissimis literis Mtis. vrae. sermae. Cracoviae XXVIII. Aug. datis., unde, quae tunc se offerebant, liquido intellexit. Praeterea mihi sunt redditae dni. Scipionis de Summa literae V. Cal. Octobr. Neapoli (datae), in quibus mihi significavit, post mortem viceregis innonationes priorum commissionum super castro Barensi esse necessarias. Qua de re subinde operam dedi, ut istiusmodi literae pro dno. Calamaria a caesare iterum approbarentur et ad dnum. Hugonem de Moncada, regni Neapolitani administratorem, inscriberentur misique unas XX Decbris. praeteriti cum literis dni. Sigismundi Loffredi Neapolim, alias vero, quas Granatae expediveram et ad Mtem. vram. sermam. transmisi, hucusque ut renovarentur vix obtinere potui. Hodie primum vidi illarum exemplar debetque pro die Veneris futuro a caesare subscribi. Ingerebantur nescio quae iterum difficultates, sine his literis commissionem pro Colamaria de Summa vigore non habere, quandoquidem ad eas se referat: utpote quod castellanus praeficiendus ad nihil aliud teneretur, quam ut juret, sicut in sublatione sequestri expressum est, quod si cognitum foret, hunc statum Mti. vrae. non pertinere, ut castrum cederet illi, cui status esset adjudicatus et quod castrum hoc non daret in manus hostium caesaris. Sine his conditionibus expeditio haec fieri non potuit et difficulter, ut renovaretur, effeci. Memini superioribus ad me, Mtem. vram. sermam. de his non fuisse contentam et ego semper in hoc laboravi, ut castrum libere in potestatem Mtis. vrae. sermae deveniret, quod clare ex meis supplicationibus patebit. Atqui aliud hactenus obtinere non potui, duraturaeque sunt hae conditiones, ut reor, tam diu, donec diffamatorium contra impetitores veniat aliquando in praescriptionem; fuissetque non inutile, quod sub his turbinibus, quibus adhuc dux Franciscus Sfortia est in caesaris indignatione, collaterali comitio [1]) intimatum fuisset et publicatum, timendum est siquidem, si pax fuerit, quod etiam dux Franciscus rursus in gratiam cum caesare redire posset, unde fortasse novae possent oriri difficultates, id tamen judicio melius et acutius intelligentium permitto. Pro hac vice aliud haberi non potuit. Dnus. mg. cancellarius post mortem viceregis noluit urgere vehementius, ne videretur ratione antiquae simultatis id egisse, consuluitque mihi, ut cum ista nunc expeditione — ut illius verbis utar — contentarer, ideoque quod fieri non potuit accepi, modo aliquando castrum hoc ex manibus Alarconis eripiatur. Cum hoc, qui nunc praeficitur,

[1]) Kod. Kórn.: officio.

ficitur, erunt fortassis faciliores tractatus, ut ex fratre illius uterino Loffredo intellexi, quandoquidem apud omnes passim Hispani male audiunt et ipse non est omnimodo, quemadmodum multi alii in hac curia, contentus.

In his festis idem dnus. Sigismundus Loffredus, ut etiam alias solebat, fuit aliquoties apud me in prandio, unde inter multa alia seorsum mecum collocutus est et desiderium suum mihi exposuit, quomodo libenter hinc vellet redire Neapolim et quod caesarem desuper aliquoties convenerit, quod illi abitionem permiserit, suo tamen tempore. Quapropter me rogabat plurimum, ut ad Mtem. vram. sermam. intercederem, cum jam sic domum aliquando rediret ibidemque propter negotia publica, quae sibi possent imponi, nollet agere, ut illi a Mte. vra. serma. daretur facultas, ut in aliqua urbe Mtis. vrae. sermae. suis tamen impensis posset commorari, saltem ut illi esset quaedam praerogativa a Mte. vra. serma., qua a subditis in aliqua haberetur aestimatione, utque sub gratia Mtis. vrae. sermae. aliquantulum emineret atque observaretur, dixitque se id a multis regni baronibus obtinere posse, sed ne illis videretur addictus, malle rursus se in ditione Mtis. vrae. sermae. vivere. Cumque in hoc commodis Mtis. vrae. sermae. nihil videtur decedere, dignetur mihi cum primis mentem suam desuper significare, quo illum ad negotia Mtis. vrae. sermae. reddere possem propensiorem, nam cum vult, non parum hic potest.

Quod spectat negotium adohae, adhuc nihil efficere potui tentavique omnibus modis, ut ab hoc onere Mtas. vra. serma. posset reddi immunis, sed hucusque lavi laterem. Imperatrix se imposuerat apud Mtem. caesarem satis serio, at nihil aliud impetravit, quam quod consiliarii Aragoniae viderent, si hoc militare servitium seu adoha de jure relaxari posset nec ne? Id etiam prius per commissionem caesaris ad collaterale consilium obtinueram misique desuper Mti. vrae. sermae. literas, sed adhuc, ut video, de jure nihil actum est. Dnus. mg. cancellarius mihi nuper praesente Sigism. Loffredo nomine caesaris respondit, quod pro nunc ea in re de gratia nihil fieri potest essentque multi in regno Neapolitano, qui cum multa animi et sanguinis sui profusione per haec tempora Mti. caesareae servivissent et non forent ab hac solutione exempti, a qua nemo in regno esset immunis et quod, si haec praerogativa Mti. vrae. sermae. daretur, concurrerent multi alii, quibus hoc caesar non bene posset negare. Si vero Mtas. vra. serma. gratiam hanc et exemptionem ab illma. olim dna. matre haberet datam, ut privilegium seu literae desuper ostenderentur, sine quibus talis gratia non potest concedi. Quod autem talis solutio non fuerit a matre Mtis. vrae. sermae. exacta, factum est ex conniventia regum et exactorum ob certas fortassis causas, quibus ad praesens deficientibus effectus etiam ipse deficeret. Ex hoc responso Mtas. vra. serma. liquido intelliget, in quo adhuc res haeret. Scripsi itaque superiore die dno. Scipioni de Summa, si quid solidi juris, aut aliquam evidentiam ea in re haberet, ad me cum primis transmitteret. De gratia parum spei reliquum est, quum et imperatrix ipsa, quae, ut certo compertum habeo, in negotium nihil fere autoritatis apud caesarem habere solet, sua intercessione nihil efficere potuerit. Non tamen adhuc omittam, si quid mihi certi a dno. Scipione ad id mittetur aut si quid in discessu meo, cum me Mtas. vra. serma. revocare dignabitur, fieri poterit, quandoquidem eo tempore principes gratificari solent.

Alia, quae hic aguntur, Mtas. vra. serma. ex meis ad Mtem. regiam habitura est, hoc tamen non censui praetereundum, quod hic plurima expendo, sine quibus tamen cum autoritate. Mtum. vrarum. sermarum. hic agere neque licet neque posssum. In his festis praeteritis cum strenis et pecuniis, quibus familiam vestivi et cum multis aliis, quae hic exponere cogor, absumpsi extraordinarie non parum supra C ducatis, et ne sumptibus Mtis. vrae

sermae.

sermae. essem onerosior, accepi superioribus diebus a Fuccaris CC ducatos in mutuum, quos pro mea nesessitate et decoro Mtum. vrarum. sermarum. de meis libenter exposui. Quocirca Mti. vrae. sermae. humillime supplico, dignetur pro me ad Mtem. regiam intercedere, ut de servitio equorum meorum, quod mihi debetur, jubeat Georgio Hegel istiusmodi CC ducatos persolvi. Prius etiam in Granata C ducatos ad eum calculum a Mte. regia per Fuccaros accepi.

Serma. dna. imperatrix iterum a IV mensibus est praegnans. Infans Hispaniarum dom. Philippus adhuc recte valet, licet illi nescio quid astra minantur. Nos hic in fine istius mensis versus Valentiam sumus ituri estque constans fama, illinc caesarem in Italiam trajecturum. Utinam interea negotium Mtis. vrae. sermae. Neapoli ex sententia conficeretur et ego post quartum annum revocarer, quod una mecum gratiae Mtis. vrae. sermae. suppliciter commendo. Dat. celerrime ex Burgos, civitate Castiliae, X. Januarii. Anno 1528.

Sermae. Mtis. vrae. reginalis
servitor Jo. Dantiscus.

48. Joannes Dantiscus, orator apud caesarem, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 892 (list oryginalny).
Kod. bibl. Kórn. II, 106
Kod. Karnk. X, 46.

Serenissima Majestas regia et domine domine clementissime. Humillimam perpetuae meae servitutis commendationem. Per novissimas hinc scripsi Mti. vestrae serenissimae XV. Novembris praeteriti ea, quae tum hic agebantur. Ab eo tempore nulla certa posta se offerebat ob istorum bellorum turbinem, cum[1]) qua tuto scribere potuerim. Quae interea hic acta sunt, sic habent.

Post adventum Baiart, secretarii regis christianissimi, cum quo certae pacis conditiones exspectabantur, tractatum est per oratores Ligae continuae apud caesarem de pace hac conficienda. Quibus tandem ad eum modum, ut in hac carta inclusa[2]) habetur, prima die hujus mensis atque novi anni, in scriptis fuit per dominum magnum cancellarium responsum, unde cognoscet, quantum adhuc ab hac pace distamus, deditque mihi dominus cancellarius exemplum hujus responsi, ut hoc ad Mtem. vram. sermam. transmitterem, quo edoceretur nihil per. Mtem. caesarem stetisse, quin pax haec concluderetur; nihilo secius tamen, quum prius illi fuerit impositum, prudentius in his tractatibus egisse, utpote quod obsides hinc abire non permittet, donec pecuniae duo milliones, ut in carta habetur, integrae numerentur et exercitus ex Italia, restituta Genua, cum aliis interceptis revocetur. Quod Galli facere nolunt, donec[3]) obsides hic sunt, nisi prius illi restituerentur. Ab utraque parte graeca mercatur fide. Hic quibus prius fuit impositum, non abs re metuunt, ibi qui sibi sunt conscii, talionem timent. Sic nusquam tuta fides. Unde ad tractandum hanc securitatem unus oratorum Gallorum, episcopus de Terna, cum hoc responso ad regem christianissimum proficiscetur, quo sic tractando, ut hic passim omnes suspicantur, tempus redimant, per quod rebus suis in omnem eventum commodius consulere possint. Sit quodcunque, etiam ego firmus haereo in sententia domini magni cancellarii, qui sub his conditionibus nunquam pacem futuram sperat, nisi serio aliquando rem

[1]) Górski poprawił na oryginale c u m na p e r —, kodeksy mają przeto tę niepotrzebną poprawkę. — [2]) Zob. nr. 49 na str. 49. — [3]) Górski zmienił d o n e c na q u o s q u e.

rem caesar gerat, qui hactenus ad omnia connivere visus est. Credo etiam (quod hic credunt plurimi) firmam inter istos duos principes pacem fieri non posse, quamdiu sunt in vivis, adeo in sese animos exulceratos gerunt; manet alta mente repostum, et fides non servata, et ignominia percepta, quae duo difficulter utrinque possunt obliterari.

Dominus magnus cancellarius, ut scripsi in novissimis, postquam ex Genua rediisset ad caesarem, primum bene fuit habitus et paulo post per eos, qui in illum conspiraverant, male tractatus, sic quod a caesare longo satis tempore in rebus suis non potuit habere responsum fuitque eo redactus, quod iterum curiam linquere decreverat implicatus tot debitis, quae valorem 30 milium ducatorum excedunt. Cum vero caesar in his cum Gallis tractatibus fidem, integritatem et illius prudentiam singularem perspexisset, coepit illi confidentius quam prius unquam fidere, et cum eo libentius quam antea seorsum colloqui et quosdam suos errores fateri. Quod quum aemuli ejus viderent et gratiam caesaris erga illum in dies augeri, inierunt consilium, ut caesari persuaderent, quod illum hoc tempore post mortem viceregis cum quibusdam commissionibus mitteret in Italiam. Id cum caesar perspexisset, ingenue cum cancellario desuper contulit, et omnes suorum technas illi aperuit. Unde cum eo convenit, quod ille, qui hoc moliebatur, cum commissionibus ipsi cancellario placituris mitteretur, cancellarius vero, quo caesar commode non potest carere, in curia remanebit. Iturus est itaque his diebus dominus Joannes Emanuel in Italiam, ut turbas has utcumque componat, et cum pontifice omnia transigat, quae ad illius liberationem, et quo in fide retineatur, spectabunt.

Exercitui caesareo in Italia praefectus est capitaneus generalis dominus princeps de Orange, vir juvenis et acer, atque rerum bellicarum satis peritus; is superioribus annis fuit captus in Gallia et subinde per captivitatem regis liberatus, convaluitque ex vulnere, quod in captione urbis Romae acceperat; missaque sunt a caesare pro eo exercitu quatuor centena milia ducatorum, quibus se aliquandiu sustinere poterit. Item missa centum milia ducatorum pro recentibus militibus in Germaniam, et hic modis omnibus conquiruntur pecuniae, quo certum habeo, ut ipse dominus cancellarius mihi retulit, quod caesar omnino hoc anno iturus est in Italiam sive pax fiat sive novum bellum incrudescat. Quapropter in fine istius mensis caesar hinc versus Valentiam est iturus, habebitque, si ex ea parte solvere voluerit, 50 triremes bene armatas praeter alias naves. Si vero sibi commodum non videbitur, parabit classem ab altera parte, quasi Belgis suis contra Gallos missurus suppetias, et praeter omnium opinionem trajiciet in Flandriam. Inde sibi junctis Germanis principibus in Italiam iturus, haecque certum credat futurum Mtas. vestra serenissima, quandoquidem ab ipso fonte, non a rivulis id hausi.

Praeterea mittit hinc his diebus Mtas. caesarea ad regem Angliae alium suum oratorem, quum prius ibi semper unum habeat, virum industrium et bene doctum ex consilio Aragoniae, cui Majo nomen est; is proficiscitur ad illum regem, quo eum contineat, ne hostis fiat, et ut eum novis quibusdam conditionibus a Gallis abstrahat, et Mti. caesareae devinciat. Amicitia inter Anglos et Gallos nunquam solet esse perpetua, cum alias inter eos semper fuerit odium inexstinguibile.

In his tractatibus oratores regis Angliae habent plenum mandatum, pro octo centenis milibus ducatis reliquis Mti. caesareae fidejubere, quod quidem susceptum est, sed de securitate, quod Genua cum aliis interceptis post obsidum dimissionem deberet restitui, nihil hucusque potuit concludi. Licet rex christianissimus offerat post duodecim centena illa milia ducatorum persoluta, velle relinquere filios suos obsides in manibus regis Angliae, tam diu donec Genua cum aliis restituendis in potestatem caesaris deveniret,

et

et exercitus cum domino de Lutrecht ex Italia in Galliam retraheretur. Quod si non fieret certo et statuto tempore, rex Angliae obsides caesari remitteret. Ad haec a caesare responsum est, quod eodem modo vult dare regem Angliae fidejussorem, cum primum haec summa est persoluta, ac Genua cum aliis restituta et exercitus in Galliam reductus, quod subinde etiam ad statutum terminum remittet regi christianissimo obsides. Super his agitur adhuc. De fide est negotium, et cum jam turbulentissimo nostro tempore nemini tuto fiditur, praesertim ubi de magnis rebus fit actio, timeo, ne quid intercedat. His diebus cum aliquoties dominum magnum cancellarium convenirem, ratione solutionis adohae, ut ab ea reginalis Majestas redderetur immunis, retulit mihi aperte, quomodo hic oratores Galli passim se jactarent, Mtem. vram. serenissimam cum rege christianissimo arctum foedus confecisse, per medium Antonii Rinconis, qui hic alias quia a caesare defecit, turpe nomen obtinuit, et quod Mtas. vestra serenissima in omnem eventum ipsum regem, quoad ejus fieri posset, non esset desertura. Ad quae ego, quum etiam ea ab aliis prius audivissem, forte fortuna literas Mtis. vestrae serenissimae XV. Augusti Crac. datas mecum habens, illi ostendi, omnemque hanc historiam [1]) de palatino Siradiensi et de ipse Antonio declaravi, annectens ea, quae ad id mihi videbantur expedire, unde cum has ad me literas Mtis. vestrae serenissimae usque ad calcem accurate perlegisset, subintulit: „hic longe diversum habetur ab his, quae Galli oratores praedicant, dicunt tamen, inquit, quod idem palatinus usque ad praesens a rege vestro apud regem Galliae oratorem agat. Atqui contrarium habent literae vestrae, quae illum et ardelionem vocant, et quemadmodum dicunt in fine, quod illius legatio facta sit sine scientia et voluntate regis vestri esseque suae Serenitati plurimum molestam neque aliquando fore omnino impunitam, ita futurum credo caesarique ea hic hodie in consilio referam.“ Hactenus cancellarius, ad quae respondi ea, quae bene conveniebant, fuitque de his literis optime contentus. Haec ideo Mtem. vram. serenissimam non latere volui, licet apud nostros, si ad hujus partis notitiam pervenerint, ingens odium mihi concitabunt, quo fidei meae erga Mtem. vestram serenissimam satis factum cognoscatur, nemo est, cui plus in terris, quam Majestati vestrae serenissimae debeam.

Cum his ad me Majestatis vestrae serenissimae literis multis hic ora obstruxi valdeque ad haec tempora mihi fuerunt opportuna, factumque est inde, quod innovationes commissionum et literarum super castro et castellano Barensi facilius obtinuerim, praesertim illarum, quas superiore anno praesente adhuc vicerege Granatae impetraveram misique paulo ante omnium illarum unas Neapolim ad manus domini Scipionis de Summa, subinde duplicatas alias missurus. Speroque, quod cum hoc castro et castellano praeficiendo, in quem jam Majestas reginalis consensit, per has innovatas commissiones propediem finis habebitur. Quo fiet, quod tantis hic expensis Mtis. vestrae serenissimae non erit opus amplius, et me, cum gratia sua, quod summopere cupio, post quartum annum tum demum revocare dignabitur.

De solutione adohae remittenda, ut scripsi, parum mihi spei est, quod mera gratia caesar eam condonare debeat, nisi jura desuper aut approbatam consuetudinem vel gratiam literis firmatam habeamus, quemadmodum de his ex meis ad reginalem Mtem. latius Majestas vestra serenissima intelliget.

In festis istis Nataliciis[2]) praeteritis cum strenis, vel ut potius dicam, cum pensionibus, quas hic quolibet anno expendere cogor, praeterea pro pannis, quibus vestivi familiam, ac pro aliis

[1]) De Jeronymo Laski volante (przyp. Górskiego na marginesie). — [2]) Nataliciis dopisał Górski.

aliis rebus ad quotidianum usum necessariis, non parvam summam pecuniarum extraordinarie exposui, ordinarie revera vix centum ducatis domum sustineo, nihilque fit extra legitimum modum, nisi ut auctoritas Mtis. vestrae et serenissimae suae conjugis apud istas hic nationes debito suo sub decoro conservaretur. Mensa sub nomine Mtis. vestrae serenissimae et sub ea persona, quam fero, apud me habetur libera. Veniuntque ad me plerumque viri principes et primi de camera caesaris, qui ad alios oratores, qui hostes sunt, non solent divertere, me unum sub nomine Mtis. vestrae serenissimae amicum hic agere asserentes, unde ut Mti. vestrae serenissimae honorem faciant, me conveniunt saepius. Quo natum est, quum prius hic a multis sic quaeri solebat, Polonia qualis et quam magna esset civitas, quod jam passim scitur et regnum esse amplissimum, habereque regem, qui aetate et prudentia omnibus aliis praestat. Qua de re non pauca a me exponuntur, cum quibus mea etiam transeunt, tantum abest, ut hic possim reponere thesauros. Accepi itaque iterum a Fuccaris in mutuum, postquam illis 150 ducatos ex Columba mea persolvissem, alios ducentos ducatos, super quos meum chirographum dedi ideoque Mti. vestrae serenisimae humillime supplico, dignetur de stipendio equorum meorum, quod jam mihi ab annis quatuor debetur, clementer committere, quod istiusmodi 200 ducati in auro Georgio Hegel persolverentur, quod cum primum huc scripserit hujusmodi ducatos se percepisse, subinde hic mihi chirographus meus reddetur. Superiori anno etiam in Granata, postquam frater meus Bernardus ex Gdano a Mte. vestra serenissima ad me applicuisset, accepi similiter a Fuccaris 200 ducatos, quorum centum conversi fuere in usum Mtis. v. s., reliquos centum ducatos mihi usurpavi, petiique eosdem in servitio equorum meorum defalcari. Sic cum ad praesens isti ducenti Georgio Hegel fuerint persoluti, fatebor me super stipendio meo a Majestate vestra serenissima trecentos ducatos in auro percepisse, quo mihi, cum aliquando sospes ad Mtem. vestram serenissimam rediero, parum de reliquo supererit.

Inter scribendum ista significavit mihi dominus cancellarius, venisse hodie novum, pontificem ex Mole Adriani liberatum, datis militibus centum milibus ducatorum, pro quibus habendis quatuor paulo ante creasset cardinales et quod nescio ad quod oppidum extra Urbem commigrasset. Item quod caesariani ibidem in Italia quandam partem exercitus Gallici profligassent, et quod classis Veneta, qaae in Sicilia nuper frumenta coëmerat atque acceperat, tempestatibus adacta, circa Sardiniam fecerat naufragium, cum inaestimabili Venetorum damno et detrimento.

Venerunt hic nuper duo oratores ducis Lothoringiae, qui licet sit hostis et Gallus, tamen ratione imperii, a quo qaaedam jure feudi possidet, importuno quidem tempore, si pax non erit, huc confugit, quandoquidem malum sibi ex finibus Elsatiae non abs re timet. Superiori anno opera ipsius, ut dicitur, sub salvo conductu, quem ipse dux dederat, multa milia rusticorum in finibus Lothoringiae fuerunt occisa, estque quidam Michaël Otto mihi bene notus, qui machinis et tormentis praeclarissimi olim domini Maximiliani caesaris praeesse solebat, is etiam nescio quid injuriarum contra ducem Lothoringiae et fratrem ejus, cardinalem Franciae, episcopum Mettenensem, habere praetendit, illisque hostilitatem indixit, unde timetur, ne collectis rusticis, quorum amici occubuerunt, et quibusdam comitibus, his oris adjacentibus, quiddam perniciosum in terras ducis moliatur. Idcirco petunt a caesare, ut causam hanc cum ipso Michaële sua Majestas ad suum in Germaniam adventum velit suspendere. Credo, quod in his, si pax non fiet, nihil etiam assequentur.

Alia pro hac temporis angustia non restant, quam quod (me)[1] suppliciter Mti. vestrae serenissimae

[1]) Górski dopisał w oryginale: m e.

serenissimae ut domino meo colendissimo commendo atque rogo, velit aliquando, ubi occasio se offeret, diuturnorum et fidelium meorum servitiorum reminisci, quo cum passionibus meis artreticis, quae, uti solent, cum ceperint quempiam, non facile deserunt, post tot curas et labores quiescere possim. Datum ex Burgos civitate Castilliae in Hispania undecima mensis Januarii anno domini 1528.

Sermae. Mtis. vrae. regiae humillimus servus Jo. Dantiscus.

Cum istas vellem occludere,[1]) relatum mihi est eadem hora per medium dni. Corn. Scepperi, qui venit ex prandio a cancellario, quomodo oratores Galli rursus fuissent apud caesarem, hortantes, ut eo modo in regem Angliae confideret, ut paulo ante scripsi, addentes res reges christianissimi interea, quo coeptum est de pace tractari, in Genua et aliis prospere successisse, unde pro obsidibus regi Angliae credere posset. Haec audiens caesar pro contumelia accepit jussitque illis respondere: cum non vellent eas conditiones propositas suscipere, facerent, quod possent. Sic omnia, quae a mense Septembri hactenus sunt tractata, in nihilum sunt redacta et hoc est, quod futurum suspicabar. Quidquid inde evenerit, Mtas. vra. srma. sciet cum primis; ad praesens, cum literae jam exspectantur, non possum esse longior.

49. Responsum a caesare Carolo V. datum oratoribus regis Gallorum, prima Januarii 1528.[2])

Teki Górskiego, nr. 1024, (kopja Dantyszka). Kod. Karnk. X. 47.

Ad ea, quae pro parte serenissimorum Franciae et Angliae regum per eorum oratores caesareae Mti. proposita sunt, in hunc modum responsum est:

Tametsi caesarea Mtas. pro pristino ejus erga reipublicae christianae salutem et pacem animo atque voluntate ad honestas aequissimasque pacis conditiones nuper in civitate Palentia devenerit, hisque debito tempore nec receptis nec approbatis, recte ab eis resistere potuisset: cum haud parum jura sua tum antiqua, tum Madriciae conventionis vigore sibi pertinentia laederent, nihilominus tamen cupiens in hoc serenissimo Anglorum regi, hujus pacis mediatori et conciliatori, satisfacere, omnibus clarius in dies aperire, Mtem. suam in eo, quo publicam christianorum quietem et pacem semper optavit affectu, ferventiori adhuc animo perstare, privatis etiam commodis posthabitis, rursum ad infrascripta devenire voluit.

In primis quo ad illa vigesies centena milia scutorum auri, per regem christianissimum persolvenda, Majestas sua perseverat in his, quae Palentiae responsa sunt, vultque, ut ea sint boni ac justi auri, ponderis et valoris, juxta verum et rectum scutorum auri — (quae vocant solis) — valorem, et juxta praesentem eorum cursum. Ex quibus illa duodecies centena milia scutorum, quae praesenti pecunia persolvi debent, solvantur vel in massa auri, vel in moneta aurea, per homines expertos ad id deputandos videnda et examinanda. Quo vero in praetenso credito mutuatae pecuniae per serenissimum regem Angliae omnis confusio tollatur e medio, residuumque ipsius pecuniae per regem christianissimum persolvendae liquidetur, declarat Mtas. sua, ut sive ante conclusionem praesentis

[1]) Przypisek ten wyjęty z Kod. Karnk. X, 46 i Kod. bibl. Kórn. II, 106; w Tekach Górskiego braknie go. Prawdopodobnie napisany był na osobnej karcie, która zaginęła. — [2]) Odpowiedź powyższą dołączył Dantyszek do swego listu nr. 48, zob. str. 48.

sentis conventionis, sive in ipsamet conclusione exhibeantur omnia monumenta obligatoria, hujusmodi creditum concernentia, ut omni pecunia per caesarem ejusve nomine recepta ad verum calculum computata ea summa ex ipsis vigesies centenis aureorum milibus deducatur, et eo ipso tempore, quo christianissimi regis liberi restituentur, ipse serenissimus Anglorum rex per se vel per suos deputatos, ad id sufficiens mandatum habentes, recipiat ipsum regem christianissimum in loco caesaris pro debitore tam praefati crediti numeratae pecuniae, quam promissae indemnitatis, et quaecunque monumenta obligatoria, aliasque literas realiter et cum effectu cancellatas restituet, una cum aureis supellectilibus, pocalibus, pro ea pecunia oppignoratis, sese de omnibus contentum et satisfactum declarando, et Mtem. caesaream ab omni debito absolvendo: ita ut residuum summae pecuniarum, pro quo rex ipse sese obligare, vel securam cautionem reddere tenebitur, rectius possit declarari. Securitatem autem pro solutione ipsius residui oblatam Mtas. sua convenientem fore haud dubitat, praesertim serenissimi Angliae regis fide interveniente, quam Majestas sua tanti facit, ut hoc nequaquam obstaculo futurum sit, quominus ad pacem deveniatur.

De revocatione autem exercitus, in Italia militantis, nec non et Januae, aliarumque rerum restitutione fienda, Mtas. sua perseverat in responsionibus Palentinis, videlicet ut ea omnia adimpleantur ante libertatem filiorum regis christianissimi. Cum enim Majestas sua decreverit, hujus pacis conventione firmata rebus Italicis ita providere, ut jure merito universa Italia de eo contenta esse debeat atque in ea perpetua pax stabiliatur, quo nihil unquam antiquius chariusve Mti. suae fuit, intendat, ut, quae per ipsum regem christianissimum erunt restituenda, in eo statu, quo tempore Madriciae conventionis et ante praesens bellum fuerunt, restituantur.

Quoad comitatum Quadrilegii responsio Palentina adeo honesta videtur, ut nihil desuper amplius respondendum esse videatur, per hoc tamen non stabit, quominus pax stabiliatur. De comprehensione autem foederatorum Majestas sua quod semper optavit, id in praesentia optat, ut summus pontifex ceu communis pater ac pastor communi consensu in hac conventione comprehendatur. De Venetis autem, cum hic habeant sufficiens mandatum ad tractandum, Mtas. sua curabit eos ad honestam conventionem adducere. Qua firmata et Florentinis ad honestas conditiones devenientibus nullus in hac comprehensione scrupulus relinquetur.

Circa oblationem triremium aliarumque navium Mtas. sua perstat in responsione Palentina.

Ceterum cum in ultimo articulo, dominium Mediolanense concernenti, in quo a Mte. sua postulatum est, ut in gratiam praedictorum regum ducem Franciscum Sfortiam ipso dominio frui patiatur, venia prius ab eo precata, si hujusmodi remissio — (ut praemittitur) — postulata rebus sic stantibus concederetur, non ex gratia caesaris impetrata, sed vi extorta videretur, ob idque nullo pacto deceret Mtem. suam, eam remissionem in praesentia concedere. Post conclusionem tamen hujus conventionis, et ante restitutionem filiorum regis, Majestas sua de eo dominio ita disponet, ut re ipsa omnibus perspicuum sit, nullam in eo nec avaritiam nec ambitionem dominari, neque eum quicquam ferventiori studio optasse, quam pacem et quietem in Italia stabilire, eamque ab ea suspicione metuve, si quem licet immerito a potentia sua animo conceperat, penitus liberare, ita ut deinceps nulla armorum bellorumve causa relicta esse videatur.

Quo vero ad ea, quae secundo proposita sunt in causa Mediolanensi, casu quo praefatae remissioni locus non esset, de ministranda videlicet justitia duci Francisco Sfortiae, Mtas. sua id libentissime concedit, quod saepius ab ea oblatum est, et quod ipsimet Galli

oratores

oratores petiere. Quoniam autem omnem scrupulum, quo hujusmodi pax turbari violarive posset, e medio tolli necesse est, inter ceteros hujus conventionis articulos haec tria communi consensu inserantur: Primum ut cessio sive renuntiatio per regem christianissimum in Madricia conventione facta, omnium videlicet jurium, quae ipse ejusve successores in praefato dominio Mediolanensi praetendere possent, per praesentem conventionem renovetur, cedendo iterum pro se et ejus successoribus praefatis juribus in eum vel eos, quibus ipsum dominium sive alio quovis modo obvenerit pertinueritve. Secundum ut omnes alienationes, donationes et concessiones, per ipsum Franciscum Sfortiam in praejudicium feudi quomodolibet factae, una cum obligationibus, assignationibus et hypotecis quavis ratione vel causa, absque expresso Mtis. suae consensu impositis, annullentur, cassentur, nulliusque roboris et momenti esse censeantur, veluti contra juris formam et feudi naturam factae, ita ut casu, quo Franciscus Sfortia sive juridica sententia sive alio quovis modo in eo dominio esset restituendus, liber ab his omnino maneat atque exemptus, etiamsi hujusmodi alienationes et obligationes in quavis pacis aut foederis conventione et in rem ipsius regis christianissimi aliorumve foederatorum factae essent. Tertium: quod ipso dominio sub eodem Francisco Sfortia — (ut praemittitur) — manente, ejus persona libera et exempta sit a quibusvis foederibus et obligationibus cum ipso rege christianissimo, atque aliis in praejudicium caes. Mtis. et Sacri Romani imperii percussis, ipsius demum Romani imperii feudo superioritatisque juribus in omnibus semper inviolabiliter servatis, absque aliquo praejudicio vel derogatione.

50. Joannes Dantiscus

. . . . . [1])

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr. 242 (list orygin.)

Mgce. et observandissime dne. Commendationem plurimam. Istae sunt, quas hac vice scribo velociter cum hac posta instatque jam tabellarius, qua de re, ut jam aliquoties consuevi, cogor esse brevior, ex meis ad regiam et reginalem Mtem. omnia intelliget habunde, quae hic aguntur.

De negotio spectante dnum. Antonellum Dnis. vrae. a novissimis meis de 15 Novembris praeteriti quam potui dedi operam et hodie primum hic mihi d. Sigism. Loffredus significavit, commissum esse fieri literas ad dnum. Hugonem de Moncada atque ad collaterale consilium, quod sic pars adversa est facta contenta ac cum illa concordatur, quod indultum in personam M. vrae. debet fieri debetque die Veneris futura cum aliis in negotio castri Barensis a caesare signari speroquo, quod Mgcia. vra. ea in re deinceps non est habitura difficultatem. Quam primum indultum hoc subscriptum a caesare et sigillatum fuerit, subinde ad dnum. Scipionem de Summa transmittam unaque Mgciae. vrae. duplicatas vel exemplum earundem cum primis meis dabo; aliud hucusque non potui efficere, cum tamen nihil cupiam ardentius, quam voluntati Mgciae. vrae. inservire et meum perpetuum servitium atque obsequium in illum testatius reddere in dies.

Quod reliquum est in hoc temporis angustia commendo me Mgciae. vrae. plurimum et rogo in ea, qua coepit, erga me benivolentia perseveret, me semper et bonum fratrem atque servitorem habitura. Dat. ex Burgos civitate Castilliae 11 Januarii a. dni. 1528.

Mgciae. vrae. deditissimus servitor
Joannes Dantiscus.

[1]) List nie ma adresu; prawdopodobnie pisany do L. Alifiusza. Cfr. T. IX, nr. 330.

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr. 249 (list orygin.)

51. Matthias, epus. Cujaviensis, Mauritio, epo. Varmiensi.

Rme. in Chro. pr. et dne. Amice et frater in Chro. carissime et semper observande. Salutem in dno. cum optata felicitate et sui recommendatione. Tametsi nuper dederimus literas ex his comitiis ad vram. r. D., tamen quotiens se offeret occasio, ne cum ipsa, quam amo, sileam, libenter eidem scribam. Adhuc volvimus saxum defensionis in hoc conventu, quam ita instituere curamus, ut in omnem casum valeat, praesertim quod hoc bellum regum vicinorum nescio quid portendat futuri mali a Turcis, quos quidem scimus armare (et) parare, verendum autem est, ne Hungariam duobus litigantibus sibi vendicare velint. Heri Ferdinandi regis oratores advenere, regis vero Joannis dudum hic morantur; credo utriusque eandem esse postulationem subsidiorum. Sed huc recens novum, si verum est, advolavit, quod gentes utriusque regis prope Agriam manus conseruerint quodque victoria penes Ferdinandum remanserit; hae ejuscemodi victoriae christianitati perniciosae sunt et Turco praebent faciliorem viam regnum Hungariae occupandi et christianos impugnandi. Alia vero nova ex Augusta allata novissime ex sceda his inclusa cognoscet. Ceterum est, ut vra. r. D. non ignoret, dnos. videlicet Pomeranos sacrae Mti. r. scripsisse impudentes literas, suae Mtis. regiae latam sententiam pro ecclesia mea, ut solvant episcopalia, reprehendentes, et revera literis ipsis satis inconvenientia dogmata et ab ecclesia dampnata ex reprobro sensu manantia impudenter inserta sunt, quasi regem docere vellent, ut haeresim cum eis sentiret. Quomodo autem Mtas. r. eis rescribat manu sua, apposita ex hac copia vra. r. P. videat. Scio eandem futuram, favento dno., in conventu Elbingensi, igitur velit facere cum eis mentionem de hac re et quale rescriptum habuerint, perquirat et quod aequitas suadet, ipsis consulat. Miror certe, quod dnus. Basianus, qui novus Pomeranus est, se illis nebulonibus, qui secum sunt, seducere permittat, cum alioquin prudens est, nec dubito, quod deus eos fertilitate prosperaret, si deo, quod dei est, redderent; sed nesciunt nisi conviciis vera justitia derelicta contradicere et subducere ecclesiae justa commoda et me suum pastorem suggillare sententiis impertinentibus. Sed deus eis parcat, me tamen a justitia prosequenda non absterrebunt. Deus servet sospitem vram. r. D., quae me amet. Ex Pyotrkovia 12 Januarii 1528.

Matth. dei gratia epus. Cuyaviensis.

Rmo. in Chro. pri. et dno. Mauritio, Dei gra. epo. Varmien dno. amico et fri. in Chro. carissimo et observand.

Metryka koronna Ks. 43, fol. 264. Kod. Op. IX., 181. Kod. Sap. VI., 201.

52. Sigismundus primus, rex Poloniae, episcopis, palatinis, consiliariis Prussiae.[1])

Rde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Indixeramus quidem conventum terris nostris Prussiae atque ita et vobis consiliariis illarum terrarum in civitate Elbingensi ad feriam II-am proximam post festum Purificationis S. Mariae[2]) literasque id significantes per Prussiam

[1]) Oryginał tego listu, wystósowanego do wszystkich dygnitarzy pruskich, znajduje się w kodeksie Biblioteki ordyn. Zamoyskich w egzemplarzu wysłanym do biskupa Warmińskiego. W Metryce kor. ma ten dokument napis: Literae, quibus translatus est conventus Prussiae. — [2]) D. 3. 2. 1528.

Prussiam dimisimus certumque habebamus talem conventum omnino subsequi debuisse; dumque legatum nostrum cum mandatis ad eundem conventum hinc dimittere volebamus, supervenerunt nobis literae ab illri. dno. Alberto, marchione Brandenburgen. et Prussiae duce, nepote nostro, quibus nobis significavit, se magna et gravi necessitate adactum profectionem in Slesiam adornare et ideo legatos ad talem conventum ad tempus videlicet constitutum se minime mittere posse. Qua re ex literis ejus intellecta consideratoque, quod negotium illud, ob quod conventus ipse potissimum indictus erat, videlicet rei monetariae constituendae causa, sine legatis ejus confici non potest, necessario eundem ipsum conventum in eadem civitate Elbingensi habendum ad feriam secundam proximam post dominicam Oculi [1]) transposuimus transponimusque. Itaque Paternitatem tuam hortamur mandamusque, quatenus ad dictum locum et diem se conferat et cum reliquis consiliariis et civitatibus reliquisque subditis nostris de his omnibus rebus tractet et constituat, de quibus in novissimis literis nostris, quas ad Ptem. vram. perlatas esse minime dubitamus, abunde perscriptum est, praesertim ut res monetaria sine ulteriori dilatione constituatur. Quod pro officio suo et in nos fide facturam illam confidimus. Quam valere optamus. Datum Piotrkoviae in generali conventu fer. sexta proxima ante f. S. Priscae. [2]) Anno Dni. M. D. XXVIII. Regni nostri anno vigessimo primo.

Commissio propria regiae Majestatis.

53. Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Petro Tomicki, episcopo Cracoviensi.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1, fol. 6b.)

Rme. in Christo pater et domine amice, major et patrone observandissime. Literas sacrae regiae Majestatis domini mei clementissimi, quibus ad Elbingensem conventum ad proximam feriam secundam post Purificationem divae virginis Mariae indictum vocor, heri per suae sacrae Majestatis cubicularium accepi. Quod propter monetariae rei impendentem finem libentissime audio. Ante paucos tamen dies, cum ob alia tum etiam ob illud ipsum monetae percutiendae negotium nuntium meum ad illustrem dominum Prussiae ducem misissem, Illustritatem suam nuntius meus domi non offendit, quippe quae ad occupandum bona hereditaria per mortem illustrissimi domini olim Casimiri fratris germani ad se devoluta in Slesiam concesserit. Ex consiliariis nihilominus Illustritatis suae per nuntium meum Illtem. suam ad sacram regiam Majestatem literas dedisse, quibus peteret conventus Elbingensis indicti usque ad quadragesimam prorogationem, mihi relatum est. Quam an impetratura sit sua Illustritas nec ne, incertus sum. Ego profecto quamquam mallem paratusque essem ad feriam secundam post Purificationem Mariae praefatam regiis mandatis obsequendo Elbingum proficissi, si tamen prorogandus est dies conventus celebrandi, videlicet vel in principium quadragesimae, quando adhuc flumen Wistula constat, puta dominicam Invocavit, [3]) vel in finem ferme ejusdem quadragesimae, id est dominicam Judica, [4]) ubi idem flumen Wistula apertum fuerit, prorogetur, ne propter eorum consiliariorum, qui in terra Pomeraniae agunt, videlicet Marienburgensis et Pomeranensis palatinorum, Gdanensium quoque absentiam hujus monetarii negotii aliorumque tunc in eodem conventu tractandorum interturbatio iterum fiat, quoniam profecto, nisi Wistula constiterit vel glacies omnino resoluta fuerit, haudquaquam Elbingum venire poterunt. Haec r. D. v., cui me diligenter commendo, pro meo judicio latere nolui, quam et felicissime vivere et valere cupio. Ex arce Heilsberg, 19 Ianuarii anno 1528.

[1]) D. 16. 3. 1528. — [2]) D. 17. 1. 1528. — [3]) D. 1. 3. 1528. — [4]) D. 29. 3. 1528.

Archiwum cesarskie w Wiedniu, Hungarica. (list oryginalny).

54. Jaroslaus Łaski, palatinus Siradiensis, Sebastiano Branicio, canonico Lovicensi.

Carissime dominne canonice, non minus te esse sanum cuperem, quam aliquem fratrem meorum, utpote qui mihi tam multis annis fideliter et diligenter serviveris, nullam fidelitatis tantae suae ab me mercedem persentiendo, sed id semper faciendo, quod bonum amicum attinet, id ego si hucusque non retuli aliqua gratitudine mea, Deo dante tamen brevi cognosces, quia tui non fuerim oblitus.

Sed inter tot pericula, quibus et regiae majestati adhaerens eram obnoxius, tamen nunc maxime cum huc orator ibam, jactatus exstiti indicibilibus casibus, ita ut plus quam miraculum sit me huc incolumem pervenisse, tamen nihil me plus angebat, quam forsitan conjugis meae querimonia, qua vel crederet me illam aspernari, vel suspicaretur rem meam domesticam nihili habere pensi, et haec talis sua cura pluris torquebat animum meum, quam reliquae omnes incommoditates perpessae. Alia etiam ex parte pungebat debitorum moles, quam nescio modo quo levare potuistis humeris vestris, nihilque plus timeo, ne verbo meo fieret aliquod levipendium, quae res in nullius stabat officio nisi in tuo et domini Zawychostensis,[1]) amicorum meorum plus ceteris cariorum.

Ceterum huc perveniens quid egerim, perscribere nolo, quia incautum est, tamen scito omnia me confecisse non mea industria tantum, quantum divina clementia bona in res regnorum Hungariae et Poloniae. Qui licet Poloniae nihil ob ingratiam hujus regis servire debuissem, tamen quia patria est, servivi melius, quam omnes alii oratores Poloni, quid apud te sit secretum, quia cum hac materia vellem solus apud plebem esse nuntius etc.

Confectis itaque hic ex animo omnibus negotiis hac lunae die egredior, decem milium exercitu comitatus, cujus cura nisi mihi hic fuisset delegata, ivissem recte per Moldaviam ad Belz et deinde domum, sed ita hic habere voluerunt domini bassae, ut huic exercitui praesim, quam rem profecto omnibus rationibus tentavi, non tamen potui excutere. Ibo itaque hinc cum capitaneo Nicopolensi hoc campiductoratus officium habens recta in Hungariam, et quam primum illuc pervenerim, mox mittam pro ducenda conjuge mea carissima et liberis, quia non potero divelli jam ex Hungaria aestate hac, nam sequentur cito dies judicii, et videbitur magna sanguinis effusio, sapienti sat dictum, quia christiani principes justitiam mei regis parvi apud se faciebant etc.

Itaque rem domesticam Dominatio tua componat ad pecuniarum cumulationem, quae esse major posset, arendaque illa Woycza, Bedrzychowycze et Prussi sit, sicuti hoc anno lapso fuit, advertenda tamen est rusticorum gravedo etc. Lubnycze, Gossycze et alia praedia ordinetis ad pecuniarum cumulationem. Ego hoc tempore, quo a vobis discessi, non plus quam 300 ducatorum debitum contraxi, tamen habeo, unde solvam, et si dominus deus dederit sanitatem regi meo et mihi, nullum damnum hujus servitii habiturus sum, verum tamen quia pro expeditione facienda nunc in reditu impendium erit faciendum, tamen deo dante ex Polonicis pecuniis ultra mille unum non expendam. Itaque mi domine Sebastiane, nihil doleatis, nec vos nec aliquis amicorum meorum, quod me huc ita cum toto inclinarim, habeo enim apud istum dominum tantam gratiam, quantam non merui, habeo optimum statum et omnia deo dante meliorabuntur.

Conficiatis autem illam turrim cum coquina, et rogo tegulas terreas fieri faciatis, quia admodum timeo de igne. Praeterea rogo ferale faciatis includendo fluvium, secundum quod eundo

[1]) Kasztelanem Zawichojskim był wedle Lelewela Stanisław Mielecki.

eundo ad Kloda prata sepserant, fiatque seps pulcra et fortis, illas autem rationes, quibus oppidum Staschoff meliorari debuit, habetote in bona cura, et reliqua omnia vestrae virtuti commendo.

Ut vero domine canonice scitis, quia vestris meritis nihil ego tam dignum habeo in collatione mea persona vestra, dignum obtinui apud regem meum unum beneficium septingentorum florenorum, quod vobis asservo, sed opus sit, ut resideretis majorem anni partem, sed nolo vobis laudare residentiam ipsam, donec soli videritis, quia rogo, ut veniatis cum uxore mea, cum illam vocavero.

D. Kolaczkoffsky hic habet filium, dixit mihi unus Judaeus, sed nunquam ab illo intellexeram, quod habuisset filium in Hungaria; jussi quaerere, ubi est; si erit filius suus, ducam eum mecum.

Nunc Martius venit,[1]) rogo facitote excidere trabes pro facienda una domo in Przegrodek, quia nollem, ut omnes, qui veniunt, ascendant arcem, vellem aedificari domum pro hospitibus commodam, nihil tamen faciatur aliud, quam excidantur robora.

Deberem hinc multa scribere, sed incautum est; commendo me vobis et excusetis me apud dominum meum Zavichostensem, quia illi nihil scripserim, quia simplicia nolo et majora non audeo, tamen filius suae M. bene valet et habet et profecto est optimus adolescens.

Servitores autem meos, quos relinqueram cum uxore et mecum habui, rogo facitote solvi more solito pro quatuor temporibus, sciant tamen, quia ego non habiturus sum nisi XXVI equos gravis armaturae et duodecim levis, quos leves Hungaros habebo propter amicitiam majorum nobilium, itaque in numero istorum viginti sex equorum intrabunt duo cubicularii uxoris et sic paucos indigebo, nam oportebit me habere fabrum platnerium et alios nobiles Almanos, quia sciunt usum armorum, eo modo isti tamen, qui erant cum uxore, exspectent informationem meam. Datum Constantinopoli XXIII Januarii Anno domini 1528.

Jaroslaus de Lasco P. S. etc. manu propria sst.

Scripsi carissimae consorti meae, ut Lopateczky ad me mittat statim, itaque Dominatio tua mihi omnia perscribat, quid actum sit in conventione, sed maxime quomodo dominus Craco viensis palatinus valeat, cujus dominatio, si Poloniae est, scribat mihi etiam aliquid, sed non cum ira, quia illam plus quam aliam facio.

Adres: Venerabili viro domino Sebastiano Branicio, canonico Lovicensi, bonorum meorum Rithvani gubernatori, fratri charissimo.

55. Petrus Tomicius, epus., vicecancellarius, Mauritio, epo. Varmiensi.

Bibl. Ks. Czartoryskiego nr. 1596 (list oryg.)
Teki Górskiego nr. 894, (minuta Zambockiego z poprawkami Tomickiego).
Kod. Sap. VII, fol. 485.

Rme. in Chrto. pr. et domine fr. et amice charissime ac honorand. Accepi literas rmae. D. vestrae decimo die Januarii ad me scriptas, ex quibus illud praecipue singulari jocunditate me afficiebat, quod operam meam, qualis fuit, in promovendis rebus ejus apud regiam Mtem. habitam, tam grato animo exceperit. Dabit forsitan olim Deus occasionem, ut rma. D. vra. majores officii et mutuae nostrae benevolentiae fructus a me experiatur, ex quo pro tam exiguis et prope nullis se tam gratam exhibet.

De

[1]) Winno pewnie być: Cum Martius venerit.

De re monetaria quae sit regiae Mtis. mens et voluntas, simul de loco et tempore conventui designato intelliget ex literis ipsius Mtis. regiae, quae in hoc ipso negotio ad rmam. D. vram. mittuntur.

Quod scribit, a mgco. dno. castellano Cracoviensi se objurgatam esse, quia conventibus interesse non solet, pace ejus dictum esse velim, jure et merito mihi objurgata esse videtur rma. D. vra., tametsi id amice et humaniter ab eodem mgco. dno. castellano factum esse non dubitem sumque et ipse in ea sententia, ne deinceps in posterum talem actum unquam negligat. Quomodo enim terrarum Prussiae res commode et apposite hic a nobis tractari possunt, cum rma. D. vra. vel ceteri earum primores, qui talium rerum notitiam habent, hinc absunt? Revera et Gdanensium et Thorunensium atque Elbingensium negotia — quae sunt non vilis pars reipublicae Pruthenae — facilius fortasse et perfectius nunc absoluta fuissent, si aut ipsa rma. D. vra. aut saltem aliqui ordinis senatorii hic nobiscum hoc Sisiphi saxum volverent. Sed ut nunc factum est, existimo rmam. D. vram. sic correptam tandem ad futuros nostros conventus frequentius venturam, praesertim quod per tot annos in episcopatu suo vastato et vexato quadamtenus se jam recolligere potuit. De aliis rebus omnibus, de quibus scribit, providebitur — si Deus volet — per regiam Mtem., dnum. nostrum clementissimum, tempore suo.

Res novas, quae hesterno die allatae sunt nobis ex Venetiis et ex Augusta a dominis Fuggeris, in sceda praesentibus inclusa mitto vrae. rmae. D., quam felicissime valere cupio eidemque me ex animo commendo. Datum Piotrcoviae, die XXIV mensis Januarii anno domini M. D. XXVIII. Vrae. rmae. D. Petrus epus. Crac. et vicecancell. sst.

Rmo. in Chro. patri, domino Mauritio, Dei gratia epo. Warmiensi, fratri et amico charissimo ac honorando.

56. Sigismundus primus, rex Poloniae, Mauritio, epo. Varmiensi.

Kod. Sap. VII, fol. 483.

Probamus non vulgariter studium et sollicitudinem Ptis. vrae. de communi bono terrarum nostrarum Prussiae, quam ex novissimis ejus literis ad nos missis intelleximus consiliumque ejus de cudenda in terris Prussiae moneta nobis placet, quo etiam utemur, et talis valoris monetam cudendam mandabimus, qualem Gdani ex auctoritate Ptis. vrae. et reliquorum terrarum Prussiae consiliariorum nostrorum constitueramus, nisi forte in hoc proximo conventu, quem ad illris. domini Prussiae ducis, nunc ad Slesiam profecti, petitionem Elbingi ad feriam secundam post dominicam Oculi transposuimus, aliter et utilius per P. vram. reliquosque consiliarios nros. illic futuros, tunc etiam per legatos praedicti dni. ducis super ea re constitueretur; tunc facile ex hoc essemus contenti; alioquin si vobis utrorumque in eo ipso conventu Elbingensi futuro de ea re non convenerit, et novissime praeteriti Elbingensis conventus propositiones ad effectum prodire non poterint, non aliter rem monetariam instituemus, nisi eo modo, quem P. vra., prout supra expressum est, consulit. Volumus enim omnino, ut in ista ipsa futura monetae cusione dignitati et commodis cum regni nri. tum etiam reliquarum terrarum nostrarum efficaciter succurratur. Ptem. vram. bene valere optamus.

57. Sigismundus primus, rex Poloniae, Clementi VII, summo pontifici.

Kod. Op. IX, 11.
Kod. Sap. VI. 17.
Theiner, Vetera monumenta, II, nr. 491.

Sanctissime etc. Credo jam satis constare Scti. vrae., quantum fluctuet in his omnibus regionibus ecclesia Dei et religio sancta catholica, cum haec tempestas jam etiam ad ipsam et ejus sanctam sedem, quod cum summo dolore meo commemoro, permanaverit. Inter alia vero loca et dominia, quae haereticis turbinibus exagitantur, est maxime regnum Sweciae, ubi certissimis documentis cognovi, jam ante septem annos gravissimos tumultus in ordinem et statum ecclesiasticum excitatos, episcopos et praelatos multos partim occisos, partim in exilium actos, reliquum ordinem ecclesiasticum contemptum et oppressum, bona ecclesiastica direpta et occupata, denique humanas divinasque res omnes confusas, atque haec mala eo in dies acrius pullulasse et radices suas egisse, quo a tanto tempore regnum illud legitimis et consecratis episcopis, qui se huic tempestati opponere possent, caruit. Quo magis miror vram. Sanctem., sapientissimum praesulem, hactenus huic calamitati ecclesiae Swecanae non providisse et episcopos, qui per capitula sunt electi, non confirmasse. Ego profecto partim quia dolentissimo animo conspicio hanc temporum malignitatem et rerum christianarum confusionem, partim quia regnum Sweciae dominiis meis est vicinum, in quo, ubi haec haeresis confirmaretur, ut brevi futurum, praelatis ecclesiae sublatis et regnicolae illi societatem cum Moscis scismaticis, de qua jam tractant, inirent, possent reipublicae christianae in his praesertim partibus maximam aliquam ruinam inducere, rogo et obtestor vram. Sanctem., rogant et omnes praelati ecclesiastici regni mei, ut vra. Sanctas. citra moram ipsi ecclesiae Swecanae adeo naufraganti succurrere curet. Quod opportune faciet vra. Sanctas., si rdo. dno. patri dno. Joanni Magni Gotho,[1]) electo archiepo. Upsalensi, consecrationis munus quantocius permiserit auctoritatemque reliquis ecclesiis episcopos praeficiendi et consecrandi concesserit. Quo impetrato idem consecratus archiepus. se viriliter et cum plena auctoritate pro sancta religione christiana contra invalescentes haeresias opponeret atque principum et magistratuum auxilio innixus istius sanctae sedis apostolicae obedientiam ibidem collapsam restauraret et confirmaret bonisque ecclesiarum, quae nunc violenter occupantur, restitutis, omnia debita camerae apostolicae, si hac causa res tam salubris negligitur, plene persolvi procuraret. Cui ego omni ope et auxilio meo adessem, ut religionem et ecclesias ad pristinum statum in illo regno restitueret. Alioquin nisi vra. Sanctas. ita facere quam primum curaverit, actum erit prorsus de fide catholica in ipso regno Sweciae aliisque dominiis illi adjacentibus. Verum ego non dubito vram. Sanctem. pro sua prudentia et pietate non levipensuram hoc naufragium ecclesiae Swecanae et preces intercessionemque meam non obaudituram. Quae felicissime valeat meque regnumque et dominia mea sibi habeat commendata. Ex Piotrcovia XXIV Januarii MDXXVIII.

58. Episcopi regni Poloniae Clementi VII, summo pontifici.

Teki Górskiego, nr. 876, (kopja współczesna).
Kod. Op. IX, 18.
Kod. Sap. VI, 18.
Theiner: Vetera monum. II, nr. 490.

Sanctissime et beatissime pater et dne., domine clementissime. Post servitutis et orationum nostrarum humillimam commendationem et oscula pedum beatorum. Cum non ita pridem synodum

[1]) Kod. Op.: Scoto.

synodum ageremus partim de rebus nostris ecclesiasticis, partim vero de consulendis adversitatibus vrae. Sanctis., quae nos tanto moerore concusserunt, quantus nec verbis exprimi potest, supervenit profugus ad oras nostras rmus. dnus. Joannes Magni Gottus,[1] electus archiepus. Upsalensis, qui sua calamitate auxit vehementer dolorem et moerorem, cum ab illo et aliis intellexissemus, totum ordinem et statum ecclesiasticum regni Sweciae penitus corruisse vimque et seditionem haereticorum adeo circumquaque invalescere, ut nisi nobis in unius principis nostri pietate spes esset, etiam de nobis brevi actum judicare possemus. Ita enim divina permissione ubique nunc fremunt in nos ordines omnes saeculares, quibus nihil est jucundius, quam vrae. Sanctis. et nostrum omnium calamitates audire, tantum abest, ut ulla commiseratione in periclitantem ecclesiam moveantur. Et quia potissima fuit causa invectionis Luteranismi et corruptionis regni Sweciae, quod per tot annos deerant episcopi et pastores, qui haec curarent et rem ecclesiasticam manutenerent, haecque adhuc unica spes superest regni illius ad cor reducendi: supplicamus humiliter vrae. Sancti., ut dictum rmum. dnum. Joannem Gottum, electum archiepiscopum Upsalensem, nec non et alios episcopos per capitula sua electos confirmare et consecrandi facultatem illis praestare dignetur citra moram, donec adhuc spes aliqua salutis illorum superesse videtur; nam illi, obtenta gratia vrae. Sanctis., exponerent se velis et remis omnibus adversus haereticorum et sacrilegorum suorum tempestates pollicenturque illi, cum primum possessiones ecclesiarum suarum adepti fuerint et vindicarint illa ex manibus saecularium, omnia jura et debita camerae Sanctis. vrae. in totum exsolvere. Haec illorum et nostra supplicatio, quia non minus ad Sanctem. vram. quam ad nos universos pertinet, nam cum partes labant, summa turbatur, non dubitamus, quin vra. Sanctas. pro sua prudentia et pietate sit huic perniciosissimo incendio hoc opportuno modo provisura, quodque non pluris factura sit praesens aliquod compendium, quam tot ecclesiarum totque animarum jacturam incomparabilem. Commendamus nos etiam atque etiam vrae. Sancti., quam dnus. Deus servet semper sospitem et felicem. Datum. Epi. regni Poloniae subscripserunt.[2]

59. Sigismundus primus, rex Poloniae, archiepiscopo Upsalensi.

Kod. Op. IX. 15.
Kod. Sap. VI. 15.

Rde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Condolemus ex animo regno vestro Sweciae cum multis aliis nominibus, tum vero religione satis alias claro, quod relictis majorum suorum vestigiis et institutis delapsum sit in eas apostatarum insanias, quae divina atque humana omnia confundunt et praecipitant, sed nec minus dolemus, quod sedes apostolica tamdiu huic pernicioso incendio vestro defuerit, quominus, quod factu opportunum videtur, vram. Ptem. et alios electos episcopos consecrari permiserit. Scripsimus itaque summo pontifici diligentissime, ut tandem citra moram munus istud consecrationis eidem Pti. vrae. delegaret, et confidimus ejus Sanctem. non levipensuram esse consilium et postulationem

[1]) Theiner: Gothus. — [2]) Theiner: Datum in oppido Pyotrcow die XXVIII m. Januarii a. Dni. MDXXVIII. Ejusdem Sanctitatis vestrae devotae creaturae et humiles servitores ac capellani Joannes archiep. Gnesnensis legatus natus et primas, Petrus epus. Cracoviensis et regni Pol. vicecancellarius, Mathias epus. Vladislaviensis, Johannes epus. Posnaniensis, Andreas epus Plocensis, Johannes electus et confirmatus Premisliensis. — Umieściliśmy powyższy dokument w tem miejscu już to dla bezpośredniego związku z poprzedzającym, już to dla tego, iż domyślamy się u Theinera omyłki w dacie: XXVIII — zam. XXIIII.

postulationem nostram. Interim Ptas. vra. curet pro virili sua, ut patriae in reprobum sensum acte consulat et medeatur, qua in re nos illi opera et studio nostro non deerimus. Valeat feliciter.

60. Sigismundus primus, rex Poloniae, episcopo Lincopensi.

Kod. Op. IX, 16.
Kod. Sap. VI. 16.

Rde. in Christo pater, sincere nobis dilecte. Accepimus literas vrae. Ptis., quibus nobis et pestilentes errores suorum et suas aerumnas declaravit, cui nos profecto et saeculi hujus insanissimis turbis non parum multum indolemus; speramus tamen, quod hoc furibundum incendium, ut ab improbis improbe fovetur, ita non sit futurum diuturnum, neque ea bonum finem habitura, quae malo inchoata sunt principio. Vra. Ptas. sit infracti animi et ovile tamen suum, quantum licet, consilio et doctrina salubri non deserat, ac quantum illi libuerit vel ex usu ejus fuerit, maneat tuto in ditione nostra et quamvis non erat illi opus literis securitatis nostrae, eas tamen illi non gravatim concessimus. Bene valeat vra. Ptas. Datum.

61. Petrus Tomicius, epus., vicecancellarius, episcopo Lincopensi.

Teki Górskiego, nr. 760 (Minuta Zambockiego z poprawkami Tomickiego.)
Kod. Op. IX. 19.
Kod. Sap. VI. 19.

Rme. in Christo pater et dne., frater et amice charissime et honorande. Salutem et plurimam felicitatem. Non potui non vehementer indoluisse rerum humanarum conditionem et necessitatem quandam fatalem, cum ex literis rmae. Dtionis. vrae. accepissem, intemperiem illam et incommodum lutheranum universam ferme Europam pervagatum usque in eas orbis partes, hoc est in Sweciae quoque regnum penetrasse. Non sine acerbitate animi mei etiam tuli, rmam. Dtionem. vram. — prout ex scriptis ejus cognoscere licet — ingravescente jam aetate, tot laboribus et aerumnis afflictam esse, ut praeterquam quod gregem a domino sibi commissum patriamque ipsam, qua nihil est homini carius, relinquere, etiam hibernam saevi maris navigationem suscipere coacta sit. Fateor quidem haec gravissima esse et talia, ut vix consolationem ullam recipiant, tamen minime dubito, quin vra. rma. Dtio. pro prudentia et eruditione sua atque animi magnitudine tantis malis non succumbat, quin potius salvatoris nostri Jesu Christi exemplo, tum etiam multorum summorum virorum, quos et prisca et nostra tulit aetas, quique similes et multo duriores casus aequo animo pertulerunt, rma. quoque Dtio. vra. hunc suum casum forti et constanti animo perferat, spemque concipiat, dnum. Deum ecclesiae suae usque in consummationem saeculi non defuturum. Ego — utcunque rmae. Dtionis. vrae. res ceterae se habuerint — gratulor ei tamen, quod superatis incommodissimae navigationis periculis Gdanensem portum urbemque attigerit, non enim dubito, quin in ea urbe commode et cum dignitate commorari rebusque suis prospicere poterit. Ego vero interea — quod etiam magistro Olauo, rmi. dni. Upsalensis fratri, coram pollicitus sum — quantum studio vel potius pietate in rem Swecanae ecclesiae, tum etiam rmae. Dtionis. vrae. praestare potero, id me semper sine omni dubitatione curaturum esse polliceor. Et cum primum ab eodem magistro Olauo factus sum certior cum de ceteris rebus omnibus, tum quanto in periculo ecclesia Swecana versetur, nulla mora interposita, dedi operam, effecique

cique, ut regia Mtas. domini nostri et universi praelati regni causam ejusdem Swecanae ecclesiae atque ita et rmae. Dtionis. vrae. pontifici maximo literis suis commendarent, prout haec et alia ipse magister Olaus coram referre poterit rmae. Dtioni vrae., quam dnus. Deus diu servet incolumem et felicem et cui me ex animo commendo. Datum.

Bibl. Ks. Czartor. nr. 249, (list oryginalny).

62. Mathias, epus. Cujaviensis, Mauritio, epo. Varmiensi.

Rme. in Chro. pr. et dne. amice fraterque in Chro. carissime et observande. Salutem in dno. et optatam felicitatem cum sui recommendatione. Jam dederam magro. Jacobo literas vrae. r. D. per dnum. Ebreardum mittendas, cum is vrae. r. D. nuntius advenit et literas ejusdem mihi reddidit. In eisdem enim literis vrae. r. D. descripsi, quae tempus scribenda suggessit. Nunc autem rescribens probo consilium vrae. r. D., quod de cudenda moneta subministrat bono patriae consulens. Et licet dnus. princeps Prussiae quaerat ex monetae commodo quae sua sunt, tamen Mtas. r. consilium magis vrae. sententiae subscribit. Nam et rex Ferdinandus id maxime exposcit, ut propter hominum mutua et faciliora commercia, quae regnis utrinque sunt, moneta sub pari gradu et valore cudatur. Declarabit tamen sua Mtas. in futuro conventu mentem suam vrae. D. et ceteris dnis. Nos etiam hic consultantes modos quaerimus, ut Swidnicensem monetam minori quo possumus hominum incommodo exterminemus et fortassis inveniemus, haec enim exotica moneta non solum homines maximo dampno afficit, sed etiam adulterandae monetae audaciam praebet. Credimus, quod infra duas hebdomadas receptui ab hoc conventu celebrabimus, vaditque deinceps Mtas. r. in Lithuaniam. Reges in Hungaria delirant et plectuntur Achivi. Nescio igitur, quid boni sperandum sit, timendum potius est, ne Turcus utriusque vires fatigatas et opes exhaustas adoriatur. Huc advenit fama, quod summus pontifex datis cardinalibus nonnullis in obsides liber in Bononiam dimissus sit, sed si quid certius sciverimus, quid illic agatur, reddemus certiorem vram. D. Quam felicissime valere desideramus, quae ut nos amet, rogamus. Ex Pyotrkovia 25 Januarii 1528.

Mathias, dei gratia epus. Cujaviensis.

Rmo. in Chro. pri. et. dno. Mauritio, dei gratia epo. Varmiensi, dno. amico et fri. in Chro. carissimo et semper observandissimo.

Teki Górskiego, nr. 896, (kopja minuty Zamboc-kiego).
Kod. op. IX, 210.
Kod. Sap. VII. 185.

63. Sigismundus primus, rex Poloniae, Joachimo, marchioni Brandeburgensi.

Illustris princeps et dne. affinis nr. charissime.

Accepimus literas ab Illte vra., quibus scribit, gratum sibi esse, quod magistro Vitto, ordinis S. Joannis, qui ditionem nostram et homines tot incommodis affecerit, nos placatos praestitimus. Equidem, charissime affinis et vicine noster — ut ingenue fateamur — jure et merito contra eum commoti esse videbamur, propterea quod ipse ex conditionis et religionis, cujus se magistrum profitetur, necessitate, modestiae et quietis communis auctor exemplumque ceteris esse debuerat, is nobis et regno nostro hostilia paene arma intulerit nosque et homines nostros immodice lacessiverit; verum quo Illtis vrae. voluntati et desiderio — cui etiam in multo majoribus rebus, si occasio daretur, gratificari vellemus —

in

in hac quoque re a nobis mos gereretur, condonavimus eidem magistro non inviti omnemque memoriam injuriarum ex animo nostro penitus sustulimus. Sed quod ejusdem Illtis. vrae. literis admonemur, ut ad pacificationem et compositionem reliquorum dissidiorum et controversiarum, quaae inter utrosque populos nostros adhuc supersunt necdum sopitae existant, conventum in aliquo certo loco et tempore mutuo habendum constitueremus, prout hoc ipsum nos facturos fore prioribus literis nostris ad Illtem. vram. missis obtulimus, sciat Illtas. vra., nos in hoc esse idque praecipue carare, quo talis conventus progressum suum habere possit. Verum cum propter alia multa, quae nos nunc haud mediocriter distringunt, tum maxime propter comitiorum, quae modo in regno nostro habemus, occupationem, de tempore et loco talis conventus habendi adhuc nihil certi constituere possumus. Praeterea adigimur necessitate quadam, ut mox, peractis comitis, finium inter regnum nostrum et Slesiam revidendorum et constituendorum causam suscipiamus, ad quam provinciam obeundam missuri sumus legatos et consiliaros nostros. Imperabimus igitur mgco. Lucae de Gorka, castellano Posnaniensi et capitaneo Majoris Poloniae generali, ut cum primum ea negotia, quorum gratia a nobis cum reliquis consiliariis nostris mittitur, confecerit, Illtem. vram. sive per literas sive per nuntium certiorem efficiat eique indicet, quo tempore quove loco nos talem conventum celebrari velimus, quandoquidem summopere cupimus amicitiam et benivolentiam, ab usque avis nostris a multis annis vel potius saeculis persancte cultam et servatam, inter nos quoque augeri et confirmari, nec in ulla parte dirimi. Optamus feliciter valere vram. Illtem. — Datum Piotrkoviae, XXVII Januarii 1528.

64. Joannes Dantiscus Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 897 (list oryginalny). Kod. Karnk. X. 48.

Serenissima Majestas regia et domine domine clementissime. Humillimam perpetuae meae servitutis commendationem.

Undecima die istius mensis scripsi hinc Mti. vrae. sermae. per Velzeros, quibus 15 Novembris praeteriti alias etiam dederam, ea, quae tum se offerebant, prout ex duplicatis, quas per manum amanuensis mei scriptas his adjunxi, latius intelliget. Quae interea hic acta sunt, sic habent.

Cum oratores Galli, Angli, Mediolanensis, Venetus et Florentinus, male hic pacem tractassent, et prima die istius mensis super eorum proposita a caesare in scriptis responsum accepissent, cujus in duplicatis habetur exemplum, tandem cum nullis persuasionibus caesarem inducere potuerunt, ut regi Christianissimo de restituenda Genua et retrahendo [1]) ex Italia exercitu crederet, et ut obsides ante Genuae restitutionem redderet, in quo Lens, orator Anglus, multum rethoricabatur, ad arma res inclinabat, quandoquidem caesar hoc Ciceronianum perpendens: semel decipi incommodum, iterum turpe, et tertio stultum, non potuit traduci, ut fideret, cum ante sibi fuisset impositum.

Qua de re cum isti oratores se omnia frustra moliri cognoscerent et caesaris viderent mentem immotam, et inanes advolvi machinas, deplorata pace ad bellum spectabant, habitisque ad id secum fetialibus seu ut vocant regum suorum heraldis, XXII hujus mensis caesari bellum indixerunt, cujus indictionis caeremonias non abs re his inserendas censui, praesertim cum Majestas vestra serenissima etiam de levioribus, quae hic fiunt, rebus a me vult fieri certior.

Heraldi

[1]) Retrahendo Górski zmienił na deducendo.

Heraldi regis Christianissimi et regis Angliae impetrata prius a caesare solenni, ut vocant, audientia, quam illis in majori palatii aula in magna hominum primorum frequentia dedit, cum primum caesarem accederent, quisque arma regis sui in chlamide depicta suspensa brachio praetulit, et deinde genu in terram flexo, cartis apertis verba diffidationis publice legerunt; primum Gallus; sententia lectorum fuit haec in compendio:

Quia caesar invasisset ecclesiam Romanam et pontificem captivum detineret, obsidesque regis Christianissimi rejectis aequis pro redemptione conditionibus non redderet, bellum nomine regis sui terraque marique indiceret.

Ad quod caesar omnibus audientibus clara voce respondit:

Regem Galliae jam a septem annis bellum gessisse sine ulla diffidatione, et quod miraretur, quod nunc primum diffidaret, cum hoc juxta jus militare nequaquam posset facere, existens adhuc captivus suus, violata fide in manibus suis relicta, ipse tamen videret, et cum hoc bellum non esset novum seque hucusque contra illum bene defendisset, in posterum Deo adjuvante justitiam, se et suos etiam tutaturum. Pontificem vero non fuisse captum cum sua voluntate, sed cum sua voluntate hoc mense Decembre praeterito esse liberatum; ea in re etiam non esse causam belli. Quod autem ad propositas conditiones obsides non reddidisset, magna cum causa et ratione esse factum, cumque rex Galliae prius datam fidem nulla in re servasset, non immerito illi deinceps non crederet.

Post haec accessit etiam heraldus Angliae, qui easdem causas belli, quas Gallus, recensuit, impudentius tamen addens solummodo debitum, quod regi Angliae caesar debet. Illi caesar respondit: Regem Angliae male informatum, quod bellum indiceret, nullam habens causam. Et utinam, inquit, ille mihi non prior ansam daret belli, quam ego ei, nunquam inter nos amicitia nostra infringeretur; proinde dicebat se ad illum his diebus nuntium missurum, qui eum recte informaret.

De debito respondit, quod paulo ante cum oratoribus Anglis egisset, quodque ob hoc etiam causa esse non posset, cum illud oratoribus promisisset in spatio trium vel quatuor ad summum mensium persolvere.

Ad ea, quod legerunt, cum eis, ut vocant, diffidare Venetos, Florentinos et ducem Barii Franciscum Sfortiam, quem non nominabant ducem Mediolani, nihil respondit aliud, quam quod cum illis facile transigetur.

Deinde cum isti duo heraldi chlamides cum regum suorum armis jam redditis literis induissent, quas prius ferebant in brachio, quo post redditas literas cum ostensione armorum principum suorum securi a caesare possent abire, advocavit caesar heraldum Gallum dixitque ei secrete: vides, inquit, quod tibi permisi libere suis caeremoniis uti, tuumque exercere officium, propterea etiam ea, quae tibi a me injunguntur, debes regi tuo libere referre dicesque ei, quod non satis mirari possum, quod nihil mihi hucusque responderit ad ea, quae ei anno praeterito ex Granata per oratorem suum denuntiavi, utpote, cum fidem suam et juramenta mihi facta non servavit, ut se ad duellum ea de re mecum pararet, admonebis eum nomine meo, ac meis verbis, ut honoris sui, si quem adhuc habet, fiat aliquando memor. — Haec omnia heraldus ille flexo genu audivit et suscepit. Deinde jussit duobus nobilibus aulicis suis caesar, ut istos duos heraldos depictos armis dominorum suorum usque in diversoria sua securos conducerent, commisitque cuilibet dari catenam auream, quarum quaelibet valebat 500 ducatos.

Haec omnia a domino magno cancellario habui, cum quo eodem die fui in prandio, qui inter alia mihi retulit, Gallos imprudenter fecisse, quod bellum indixissent, cum hoc alias septem annis continue gessissent, quandoquidem animum caesaris et omnium Hispanorum

excitassent

excitassent et calcar contra se addidissent. Et revera, quantum ego conjectura possum assequi, erit bellum hoc crudelius, quam fuit ullum a multo tempore. Plaga Dei est.

His peractis cum heraldis, misit subinde caesar ad oratores hostium, ut eodem die octo abhinc leucas ad quoddam castrum se conferrent illicque manerent, donec oratores caesaris, qui apud eorum dominos agunt, in Hispaniam redirent. Vidi ego Gallos et Venetum exeuntes, fuimus enim vicini. Conducebantur a quibusdam equitibus et peditibus, qui eos ibidem in castro custodire debent. Florentinus misit ad caesarem rogando, cum Mtas. sua Florentiae nullum haberet oratorem, ut sibi liceret libere exire Hispaniam. Responsum est illi: cum ipse fuerit particeps omnium consiliorum et in societate cum aliis, quod etiam in ea quamdiu et alii perseveraret; nulli dabatur tempus, ut: vale, cuiquam diceret. Sic in eo castro hucusque agunt.

Oratores Angli miserunt ad caesarem, ne sic, ut alii tractarentur, cum adhuc esset spes amicitiae, quodque multa fecissent a Gallis inducti. Et quia unus illorum valetudinarius est, admisit Caesar, quod hic sint. Tentabiturque omnibus modis, si rex iste in amicitia posset contineri. Quod si non, habentur hic certi modi, quibus illi plurimum detrimenti inferri possit. Jam haec constans fama est, illum reginam suam, amitam caesaris, repudiasse et quod illa se in quoddam monasterium retraxerit. Quae res hic animos Hispanorum non parum incendit.

Postero die cum jam bellum esset indictum, et proclamatum omnes oratores hinc esse ablegatos: contuli me ad curiam. Conducebat me ad honorem Mtis. vestrae serenissimae illustrissimus dominus Joannes Albertus, marchio Brandeburgensis, nepos Mtis. vrae. sermae. observandissimus. Cumque jam a multis diebus non vidissem caesarem propter claudicationem, quam ex genugra hucusque habui, omnium in me oculi conjiciebantur, dicebantque palam: adhuc caesar non omnes reges habet hostes. Et credo, quod nunquam in hac curia fuerim gratior; unde cum ante conclave caesaris cum domino marchione et domino praeposito de Valtkirchen, imperii vice-cancellario, paulisper consedissem, exivit caesar, quo viso innitens mandatis Mtis. vestrae serenissimae, quae mihi in novissimis suis serio commisit, ut ea, quae ad mutuam benivolentiam et conjunctionem cum Majestate ceesarea faciunt, diligenter curarem, ad eum modum Mtem. suam sum allocutus. Primum petii, mihi dari veniam, quod tamdiu ob claudicationem meam non fuissem in curia, deinde exposui, cum intellexissem, heri Mti. suae bellum fuisse indictum, quo hoc tempore orbi christiano nihil potuit accidere perniciosius, quod mihi non potuerim temperare, licet adhuc claudus, quin Mtem. suam inviserem, et obsequium meum offerrem, si quid sua Mtas. in his rebus mihi vellet committere, quod in notitiam Mtis. vestrae sermae. deducendum per me existimaret, quandoquidem Mtas. vestra serenissima in fraterno amore atque observantia erga Mtem. suam firmiter esset semper permansura, et ego ob id potissimum hic essem a Mte. vra. serma. relictus, ut eam conjunctionem et benivolentiam mutuam inter utrasque Mtes. in dies facerem arctiorem auctioremque.

Ad haec sua Mtas. hilari vultu respondit, biretum meum aliquoties mihi in caput reponens, condolere se aegritudini meae, qua hactenus male fuerim habitus, et verum esse, quod hostes sui bellum sibi indixissent, quod alias a septem jam annis gessissent, ad quod ipse tamen nullam unquam causam praebuisset. Qua de re Deo se committere, illumque rogare, ut sibi adsit, se etiam quantum fieri posset sibi ipsi non defuturum, agereque mihi gratias de exhibitione mea, seque nullum dubium habere de propensione et benivolentia in se Mtis. vestrae serenissimae, quae idem sibi de eo deberet persuadere, seque cum magno cancellario super exhibitione mea collocuturum, qui mecum in his latius deberet conferre.

Sic

Sic me cum omnium ferme applausu humanissime a se dimissit. Sed de his cum domino cancellario, qui hoc tempore est occupatissimus, nondum conveni.

Hic omnia terra marique ad bellum parantur veniuntque hic quotidie primores istorum regnorum ad caesarem, et offerunt ultra debitum omnia, quae possunt. Habiturus est caesar ab illa parte maris Mediterranei prope 70 triremes praeter alia navigia. Item ab alia parte ad oceanum navigia parva, quae Sabros vocant, prope 60, praeter alias naves magnas ex Biscaia, Asturgia et Galicia. Nunc primum video, rem serio agi, quae prius tepide tractabatur, eritque procul dubio bellum hoc crudius, quam prius fuit, et ut suspicor, non diu duraturum, victor enim victo leges praescribet, neque credo conditionibus amplius posse tractari, adeo istorum principum animos in sese video exulceratos. Rex Portugaliae, ut ferunt, caesari classem suam promisit. In rege Ferdinando etiam magna spes hahetur el de multis pecuniis habendis multa dicuntur. In Hispania certe sunt multae pecuniae, si quo pacto ab incolis possent emungi. Caesar hinc ea de re cum imperatrice praegnante versus Madrit concedet, eamque ibidem relinquet processurus ulterius versus Valentiam, ut illic breves curtas, hoc est conventus habeat, pro nervo conflando, quem ex ea parte immensum posse colligi existimant.

Conventum est per heraldos apud caesarem, quod intra quadragesimum diem indictionis belli liceret omnibus utriusque partis subditis libere cum bonis suis, quo vellent, commeare, caesar vero terminum produxit sic, quod non a die indictionis, sed a die, quo utriusque partis subditis innotuerit, bellum esse indictum, sint XL dies pro intervallo ad commeandum. Item intellexit caesar, regem Galliae omnes Hispanos captivos triremibus indidisse, et transtris applicasse, qua de re illi significavit, si Hispanos relinquet in triremibus, ipse etiam Gallorum opera captivorum in eis uti, et praesertim illorum, qui sunt cum obsidibus, quorum non est parvus numerus, et inter eos multi sunt nobiles. Hocque erit initium belli crudioris, quam prius unquam inter eos fuerat.

Item caesar missurus est et scripturus ad omnes, qui habent portus maris in Scotia, Norvegia, Dacia, Swecia, Pomerania, et ad omnes civitates Vandalas, ut militibus suis maritimis liberas stationes in portubus, quoties illis opus fuerit, permittant, daturus est praeterea libertatem ac facultatem omnibus, qui suo periculo in hostes suae Mtis. grassari voluerint, omnia hostilia exercendi, habeturque modus, quo talium militum ingens numerus possit colligi, eruntque ista maria magis, quam ante unquam, ubique infesta.

Hic adhuc agit muntius pontificis et ducis Ferrariae orator, de quo huc paulo ante venit fama, quod ad Gallos defecisset. Quisque rem suam curat. Ego velim et summopere desidero, quod quam primum ex his turbinibus a Mte. vestra serenissima revocarer, hoc tamen adhuc in clementem voluntatem Mtis. vestrae sermae. repono. Cor regis in manu Dei est, quocunque voluerit, inclinabit illud.

Alia ad praeseus digna scientia Mtis. vestrae serenissimae non occurrunt, quaecunque in hoc se bello offerent, licet hoc tempore scriptio non satis sit tuta, nihilosecius tamen per opportunitatem scribam semper. Quaesitum est a me aliquoties, si acceperim responsum a Mte. vestra serenissima ad literas caesaris in negotio direptionis urbis Romae ex Valle oleti 16 Augusti ad Mtem. vestram serenissimam per me missas, quibus non aliter respondeo, quam quod jam longo tempore nullas a Mte. vestra serenissima et a nostris partibus viderim, neque esse aliam causam, quam quod ad praesens omnia itinera sunt impedita et quod multocies literae intercipiuntur, quemadmodum mihi factum esse cum literis reginalis Mtis. arbitror, quae superioribus diebus scripsit mihi, in negotiis suis misisse literas serenissimi Ferdinandi regis, quae etiam ad me non pervenerunt. Rogo

itaque

itaque humillime: Majestas vestra serenissima dignetur committere, ut mihi scribatur, si eas literas a caesare acceperit necne. Et si quid secretius mihi velit perscribere, quod ad haec tempora conveniret, possunt uti notis seu cifris, quas reverendissimus dominus episcopus Cracoviensis aut magnificus dominus Ludovicus Aliphius mecum habent. Quibus, si quid istiusmodi se offerret, utar vicissim, modo sciam, notas has non esse deperditas. Quod reliquum est commendo me suppliciter Majestati vestrae serenissimae ut domino meo clementissimo, et rogo: dignetur committere, prout in his duplicatis etiam attigi, quod 200 ducati, quos Fuccaris debeo, Georgio Hegel de servitio equorum meorum persolvantur. Datum ex Burgos, civitate Castiliae in Hispania 29 d. Januarii. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

Na czwartej stronie drugiego arkusza adres: Sermae. regiae Majestati Poloniae etc. dno. et domino meo clementissimo soli legendae.

65. Responsum a Sigismundo, rege Poloniae, Francisco de Frangepanibus, archiepo. Colocen. et Stephano Verbetio, cancell. regni Ungariae. Petrcoviae Januarii 1528.[1])

Teki Górskiego, nr. 1012, (z minuty Krzyckiego kopja Górskiego). Kod. Karnk. X, 34. Kod. Sap. VII, 30.

Maluisset sacra Majestas regia aliquid aliud de rebus Ungaricis, quam bellum intestinum et criminationes indignas audire. Et proinde uti haec non placent Majestati suae, ita et dolet ex animo istis modis rem agi et aures fidemque hujusmodi criminationibus minime accommodat, et praesertim cum satis cognitam et perspectam habeat virtutem et pietatem erga religionem serenissimi domini regis Ungariae, neque illum hac parte vitae vituperari posse.

Non sint igitur vestrae Dominationes de hac re sollicitae. Nam hujusmodi criminationes neque existimationem neque amorem Mtis. suae erga ipsum serenissimum dominum regem Ungariae quidquam immutare vel minuere unquam poterunt.

66. Responsum a rege Sigismundo datum Stephano Broderico, epo. Sirmiensi, regis Joannis oratori.[2])

Kod. Karnk. X. 35. Kod. Sap. VII. 31.

Sacra Majestas regia, reverendissime domine, notam habens virtutem et merita Dominationis vestrae reverendissimae, quae non solum erga serenissimum olim nepotem suum, dominum Ludovicum

[1]) Datę: Petrcoviae... Januarii 1528 — ma tylko kod. Karnk. — Kod. Sap. ma tylko: Petrcoviae 1528, — w Tekach braknie daty zupełnie. Jan Zapolya miał równocześnie dwa poselstwa na dworze króla Zygmunta: Statiliusa, który odebrał odpowiedź 8 stycznia (cfr. nr. 41) i drugie poselstwo składające się z wymienionych w nagłówku dwóch dygnitarzy i biskupa Broderyka, który atoli z powodu choroby opóźnił swe przybycie. To drugie poselstwo odebrało odpowiedź 20 lutego. Nasuwa się przeto powątpiewanie, czy powyższy dokument był istotnie odprawą posłów Zapolyi. Przemawia przeciwko temu i krótkość dokumentu i niezwykle ostry ton jego. Był to więc może tylko projekt odprawy, który nakreślił Krzycki, a który nie zyskał aprobaty królewskiej, albo też pierwsza odpowiedź po przywitaniu króla przez posłów. Owe criminationes odnoszą się może do starań Zapolyi o pomoc turecką. — [2]) W kod. Sap. dopisek Górskiego: qui in itinere aegritudine correptus sero post collegas oratores Petrcoviam ad regem venit et salutavit.

Ludovicum, Ungariae et Bohemiae regem, sed etiam erga Mtem. suam regiam, cum Romae, tum vero alibi exhibuit, et indoluit ex animo ejus adversae valetudini, quae illi in regno suo contigerat et rursus videt libentissime Dominationem vestram reverendissimam convaluisse et tandem huc ad se venisse. Quae autem nomine serenissimi domini regis Ungariae retulit, audivit et intellexit abunde omnia sua Majestas, et brevi, cum paululum adhuc super his deliberaverit, vestrae Dominationi et aliis dominis collegis ejus respondere dignabitur.

67. Sigismundus primus, rex Poloniae, Clementi VII., pontifici maximo.

Kod. Sap. XVII, 229.

Sanctissime etc. Declaravit nobis rmus. dominus cardinalis, protector regni mei, quanta sit benignitas et favor erga me vestrae Sanctitatis, pro quo immensas illi ago et habeo gratias, mererique hanc gratiam apud Sanctitatem vestram in dies magis contendam. Verum non satis mirari possum, quod in meis aequis ac piis postulatis nequeo ipsam gratiam usque adeo experiri. Supplicaveram jam pridem vestrae Sanctitati pro ordinariis regni mei, ut liberas collationes in mensibus suis haberent, neque ullis modis reservationum, impetrationum, coadjutoriarum, accessuum, regressuum unionumque impediri possent. Praterea quod in his depravatis et religioni adversissimis temporibus maxime curari oportet, ut viri digni et hominibus accepti ad ecclesias recipiantur, et nemo melius novit, quam episcopi ipsi, quales personae sint illis et ecclesiastico statui magis conducibiles, supplico itaque Sanctitati vestrae, dignetur tandem huic justissimae petitioni meae annuere, et bullam ipsam ordinariis concessam, juxta eam supplicationem, quam vestrae Sanctitati manu mea subscriptam mitto, extendi et reformari mandare. Supplicavi etiam vestrae Sanctitati,[1]) ut pensionem, super episcopatu Plocensi constitutam cum maxima injuria mea ab Adriano pontifice, cassare dignaretur. Ego enim nihil tale suspicatus miseram defunctum dnum. Erasmum episcopum istuc ad Urbem honoris causa sedis apostolicae, sperans me pro hac observantia mea debuisse aliquid non vulgaris gratiae ab ipsa sede apostolica obtinere. In quo adeo frustratus sum spe mea, ut etiam episcopatus juris patronatus mei sit contra voluntatem meam et jura regni mei alteri collatus, alteri pensio reservata. Fieri quidem potest, ut jus sit Romanae curiae decedentium istic sacerdotia in dispositionem sedis apostolicae venire, verum nullum est jus etiam apud infideles, quod legatos et oratores comprehendat, qui ubique immunes sunt et exempti, alioquin si id scivissem, nunquam illum ad hoc munus destinassem, nam propterea et sumptus sunt graves facti, et regnicolae mei exacerbati. Supplico itaque Sanctitati vestrae iterum, ut cum haec pensio constituta sit contra jus meum, qui patronus sum ecclesiarum mearum, et contra constitutiones publicas regni, contra etiam jus legatorum apud omnes gentes exemptissimum, dignetur tandem ipsam pensionem cassare, et rmum. dnum. cardinalem Sancti Sixti ab impetendo domino episcopo Plocensi continere, nam et in hoc conventu magnam habui difficultatem cum regnicolis meis, de hac re mecum expostulantibus, quod jura regni sic violari permitterem et episcopatus, quibus magnum onus incumbit non solum ecclesiasticum sed etiam defensionis adversus infideles, ita distrahi et diminui paterer. Supplico igitur Sanctitati vestrae etiam atque etiam, ut jam causa ista praecidatur

[1]) Cfr. Acta Tom. IX. nr. 305, Sigismundus I — Laurentio, cardinali protectori.

datur tumultuandi subditis meis, ne res diutius protracta aliquod in statum ecclesiasticum grave incendium excitet, nam ea nunc sunt tempora, ut saeculares quamlibet occasionem libenter arripiant adversus ecclesiasticos et sedem apostolicam clamitandi et res novas moliendi. Non dubito vestram Sanctitatem ut sapientissimum pontificem, his malis imminentibus consulturam esse et meis justissimis postulatis subscripturam. Cui me etiam atque etiam commendo humiliter et quam pro incolumitate rei christianae cupio esse quam diutissime sanam et felicem. Datum.

68. Petrus Tomicius, episcopus Cracoviensis, vicecancellarius, Joanni Karnkowski, electo episcopo Premisliensi.

Kod. Sap. XVII, 251.

Rme. in Christo pater etc. Perspexi ex literis Dtionis. vestrae rmae., illam plurimum angi et esse sollicitam, quod in his literis et diplomatibus, quae nuper allata sunt, non fuerit inserta reservatio sacerdotiorum suorum, quo quidem metu vestra rma. Dominatio perculsa plena literarum pagina disceptat et exaggerat fore pernecessarium et [1]) infelicissimo negotio novo deinceps consilio occurrere, mittendo videlicet celerem et proprium in Urbem nuntium, qui plenam ejus rei in novis iterum pontificis maximi literis ac diplomatibus securitatem afferat, intermisso interim et prorogato munere consecrationis suae, quam etiam et cum episcopatu exiguo non tanti esse putat, ut sacerdotiis suis longa cura conquisitis, illisque satis amplis, cedere vel spoliari debeat; in qua tamen re praecipue consilium et operam meam requirit. Ego pro eo, quod Dtionem. vestram rmam. plurimum amo, exponam illi brevibus in ea re, quod sentio.

Et ante omnia quidem non videri jam sacerdotia Dtionis. vestrae in aliquod esse conjecta periculum, et propterea non esse de iis ita dubitandum, ut consecrationis munus differatur, quippe quod credi non possit rmum. dnum cardinalem Sanctorum quatuor petitionem regiam in aliquo comminuere voluisse, quin potius crediderim eum in negotio Dtionis. vestrae rmae. pariter ut fecit in ceteris, dum scedula pronuntiationis conficeretur, regiae voluntati etiam quo ad reservationem beneficiorum vestrae rmae. Dtionis. satisfecisse. Cujus tamen scedulae fortasse tempore, quo haec diplomata scriberentur, quae recens allata sunt, cum non posset habere propter Urbis distantiam praesentem copiam, oblitus est inscribi mandare, id quod erat vestrae rmae. Dtioni. necessarium de retentione beneficiorum ipsius. Quare ego bono animo Dtionem. vestram rmam. debere esse censeo, et ad suscipiendam quamprimum consecrationem plurimum hortor et moneo, namque id, quod per proprium nuntium Romae conferre Dtio. vestra rma. voluerat, curabo ego regio quam citissimo nuntio confici, brevi enim mittam literas regiae Mtis. ad dominum Boner, quibus illi mandatur, ut per dispositos equos Romam usque Andreolum cum literis Mtis. suae mittat, qui omnia, de quibus scribemus, referet egregie confecta et expedita, ubi ego etiam Dtionis. vestrae rmae. negotii diligentem habebo curam, et commendabo illud diligenter rmo. dno. cardinali Sanctorum quatuor regiae Mtis. et meis literis, quem nihil dubito Mti. suae esse obtemperaturum, vestra autem rma. Dominatio si quas volet illuc literas mittere, interim illas scribat et me, uti debet, amet, felixque sit et incolumis et se ulterius non afflictet, sed bono ac laeto animo esse velit. Datum.

[1]) W kod. et zdaje się być zbyteczne.

Kod. Op. IX. 128.
Kod. Sap. VI, 132.

69. Sigismundus primus, rex Poloniae, Jacobo Tornay, Ungaro.

Magce. sincere nobis dilecte. Constat nobis, ut scribit Stas. tua, qua fide quaque dexteritate Tranczinensi domui atque novissime sermo. quoque dno. Joanni, Hungariae regi, per tot annos servierit, quibus rebus effectum est, ut nos etiam Stem. tuam peculiari gratia nostra complectamur eamque in numerum familiarium et subditorum nostrorum suscipiamus. Et ideo receptum in regno nostro eidem Sti. tuae non gravatim contulimus conferimusque, quo cum rebus et familia et reliqua suppellectili sua tuto se recipere poterit, quocunque tempore ei libuerit. Nos vero interea de loco in regno nostro ei accommodo deliberabimus de eoque tuam Stem. alias certiorem reddemus. Gratum insuper nobis est, quod etiam commodis nostris pro facultate sua prospicit et fodinarum ac minerarum magistros ad nos adducere vult, experietur a nobis etiam tempore suo dignam meritis suis gratiam Stas. tua, quae bene valeat.

Kod. Op. IX, 129.
Kod. Sap. VI, 133.

70. Petrus Tomicki, epus., vicecancellarius, Stephano Verbetio, cancellario regni Ungariae.

Magce. dne., amice charissime et honorandissime. Dnus. Silvester Ozarowski, praefectus cubiculi sermi. dni. regis mei, cum me magnis precibus adortus esset, ut affini ejus dno. Jacobo de Tornay, quo clementiam istius Mtis. regiae, a quo non tam culpa sua quam inimicorum malevolentia excidit, rursus consequi posset, adjutor essem et pro eo ad eandem Mtem. scriberem, ostendit mihi exemplaria variarum epistolarum, quibus se idem dnus. Jacobus de Tornay declarabat, quoad viveret, in fide illius Mtis. permanere velle, ita ut minime verisimile sit, eum, qui sic erga principem suum affectus fuerit, tam subito sententiam mutavisse et in perfidiam prolapsum esse. Sed utcumque est, ego sum precibus sollicitatus, ut pro eo simul ad Mtem. regiam simul et ad Mgciam. vram. scriberem. Perhumanum mihi visum est, si homo homini prodessem, itaque feci haud invitus. Et ad regiam quidem Mtem. scripsi, ut rei ratio exposcebat, Mgciam. vestram etiam rogo: juvet auctoritate et prudentia sua apud regiam Mtem. suam hominem, et de sua Mte. olim bene meritum et, ut fama fert, plus invidia inimicorum, quam delicti alicujus conscientia oppressum. In quo rem virtute et humanitate sua dignam mihique pergratam efficiet Mgcia. vra., quam feliciter valere cupio. Datum etc.

Teki Górskiego, nr. 898, (list oryginalny z własnoręcznym podpisem i pieczęcią wielką).
Kod. Karnk. X, 50.
Kod. Sap. VII, 40.

71. Joannes, rex Ungariae, Dalmatiae, Croatiae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Serenissime princeps affinis, et tanquam pater noster charissime. Reddidit nobis literas Majestatis vestrae ejus cubicularius, quibus Majestas vestra commendat nobis rem Jacobi Thornalii, per nos detenti, petitque, ut eum liberum dimitteremus, tum ob servitutem fidelem, quam magnificus Silvester de Ozarow, vestrae Mtis. succamerarius etc. eidem ex-

exhibet, tum ob innocentiam ejusdem Jacobi, utpote qui res et liberos suos in regna Mtis. vestrae mittere voluerit, quo nobis melius servire posset. Sciat Mtas. vestra commendationes ejus maximi apud nos esse momenti, ita ut nihil sit ita arduum, quod nos intuitu Mtis. vestrae facere nolimus. Nec Jacobo parum profuisset commendatio Mtis. vestrae quantumvis nocenti, si contra datam fidem fuga potius quam innocentia sibi salutem non quaesivisset, pecunias et suppellectilem aliquam argenteam scimus eum in regnum Mtis. vestrae misisse. Quod autem de liberis et de aliis rebus suis agere voluerit, id quoque plane nobis constat, quod et causam ejus detentionis pluribus scribere non videtur, cum id Joannes Statilius, praepositus, satis clare Mti. vestrae de nostra voluntate declaravit. Hoc tamen Mtas. vestra noverit, nos ipsum Jacobum sincero affectu et dilexisse et ditasse et ejus animi erga eum fuisse, ut ad majora eum promoveremus, sed ea gratitudine omnia nobis rependit, ut coacti fuerimus id agere, quod fecimus, non inhiantes ejus thesauris (ut falso quidam dicunt), nam id a nobis valde alienum est. Dolemus ex animo, quod non sit nobis integrum declarare, quem fructum ipse Jacobus potuisset ex intercessione Mtis. vestrae percipere. Sed si resipiscere voluerit et sui ipsius non oblivisci ac nostrae gratiae se subjecerit, sentiet magnum commodum se ex Majestate vestra percepisse. Et Majestatem vestram, ut patrem nostrum charissimum, una cum charissimis liberis suis diu et feliciter valere optamus. Datum in Debreczen die quinta mensis Februarii anno millesimo quingentesimo vigesimo octavo, regnorum vero nostrorum anno secundo.

Joannes rex manu propria.

Serenissimo principi domino Sigismundo, dei gratia regi Poloniae, magno duci Lythwaniae ac Russiae totiusque Prussiae etc. domino et heredi affini et tanquam patri nro. charissimo.

72. Decreta et constitutiones Piotrcoviensis conventus a. dni. 1528.[1])

Metryka koronna Ks. 43. str. 404.
Metryka koronna Ks. 44, str. 29.
Teki Górskiego nr. 1057, (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X 10.
Kod. Sap. VII, 10.

Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae etc. dnus. et heres. Universis et singulis ecclesiasticis et saecularibus consiliariis regni nostri ceterisque subditis nostris quibuscunque, tam terrestribus, quam civitatum et oppidorum, honoribus et officiis insignitis, ad quorum notitiam praesentes literae nostrae pervenerint et praesertim in palatinatu..... et districtibus ejus consistentibus, sincere nobis et fidelibus dilectis. Salutem et gratiam regiam. Rmi. ac reveren. in Christo patres, necnon magnifici, generosi, nobiles, famati et providi sincere nobis et fideles dilecti. Jam nulli incognitum est, aucto in immensum perpetuo et anniversario hoste nostro Thartaro et Thurcorum imperatore viribus et conatibus suis omnibus in nostrum et Ungariae regnum converso, quantum discrimen et periculum ipsi regno nostro immineat. Cui nos opportune consulere volentes, conventum hunc generalem Pyotrkoviensem instituerimus, in quo pro servandis praesidiis in terris Russiae decretae sunt contributiones infrascriptae, quas tametsi omni uti sensu volenti constare potest sufficere non posse, cum alias in minoribus necessitatibus et periculis regni majores decernebantur, quae nihilominus aegre ad tutandos

[1]) Taki tytuł jest w ks. 44 Metryki koronnej. W ks. 43 i w Tekach Górskiego jest dokument ten zatytułowany: Literae universales contributionum in conventu Piotrkoviensi a. dni. 1528 decretarum, — w Kod. Sap.: Contributio universalis in conventu Petrcoviensi decreta a. 1528. — Volumina legum konstytucyi tej nie mają.

tutandos fines suppetebant, tamen cum ita visum est, nos ex eisdem contributionibus defensionem, uti maxime et quoad fieri poterit, sarcire curabimus, neque aliquid officii nostri, quantum vires sufficient, praetermittemus, quo res publica servari et defendi possit, id quod omnibus est testatum, quominus accedente aliquo motu et discrimine, quod omen Deus avertat, jure a quoquam culpari poterimus. Sunt autem hae ipsae contributiones.

In primis coloni seu kmethones tam villarum nostrarum regalium quam omnium spiritualium et saecularium subditorum nostrorum de singulo manso seu laneo possessionato sexdecim grossos, de medio laneo octo grossos, de quarta parte lanei quatuor grossos et reliquum pro quantitate laneorum ad duas temporis ratas infrascriptas solvere debent secundum antiquas quitantias, sive ipsi lanei in antiquis quitantiis descripti et contenti sint possessionati, sive deserti, hoc est duodecim grossos pro dominica Judica proxima,[1]) ita quod omnes solvant et contribuant, incipiendo a dominica Judica usque ad dominicam secundam post festum Paschae proximum, quae Misericordia domini vocatur,[2]) sub poena dupli, quae exigi debet ab omnibus negligentibus aut solvere non curantibus mox post dominicam praedictam Misericordia domini. Quatuor vero grossos reliquos pro festo Sancti Bartholomaei proximo solvent.

Item burgrabii terrestres et exactores, qui quodam abusu publicas contributiones pro regni defensione decretas de bonis suis non solvebant, contribuere debent de omnibus bonis suis, quae habent modo et ordine suprascripto, quemadmodum alii, solvent ac contribuent.

Item advocati et sculteti colonos seu cmethones non habentes solvent de suis laneis per unum fertonem. Et similiter coloni seu cmethones ipsorum advocatorum de quolibet manso per sexdecim grossos solvent secundum antiquas quitantias, ita ut cmethones aliorum dominorum, ad ratas temporum suprascriptas, sub poena dupli. Ipsi vero advocati colonos seu cmethones habentes nihil solvent, sed eorum coloni seu cmethones.

Item tabernatores hereditarii, sive sint dominorum sive advocatorum seu scultetorum, qui agros habent ab illis, contributionem solvent pro temporibus superius designatis secundum antiquas quitantias, juxta agrorum quantitatem, hoc est de singulo laneo pro prima rata praedicta unum fertonem, de medio laneo sex grossos, de una quarta tres grossos, pro secunda vero rata de singulo laneo agri quatuor grossos, de medio laneo duos grossos, de quarta parte lanei unum grossum, et reliquum de quantitate laneorum. Exactionem vero ducillorum a singulis cocturis cervisiae, more consueto, solvere nihilominus erunt astricti.

Alii autem tabernatores manuales, qui propinant cervisiam, ex civitatibus et oppidis quibuscunque regni nostri advectam, per sex grossos hoc anno solvent, tres videlicet pro prima rata et alios tres pro secunda rata, cum non coquunt ipsam cervisiam, sed illam aliunde ad proprinandum adducunt. Illi vero tabernatores manuales, qui propinant cervisiam a suis dominis sibi ad propinandum datam, solvet quisque illorum hoc anno de taberna sua manuali unum fertonem, sex grossos videlicet pro prima rata temporis et alios sex pro secunda rata supradicta sub poena dupli.

Item nobiles pauperes colonos non habentes de quolibet laneo culto solvent duodecim grossos. Qui vero non habent laneos, sed praedia, computatis ejusmodi eorum praediis in laneos, solvent de quolibet laneo duodecim grossos, de medio laneo sex grossos, de quarta parte lanei tres grossos, et reliquum de quantitate laneorum. Ubi autem duo, tres aut quatuor pauperes nobiles unum laneum agricolunt, solvent omnes simul de hujusmodi uno

[1]) D. 29. 3. 1528. — [2]) D. 26. 4. 1528.

uno laneo duodecim grossos, alias quisque illorum solvet secundum quantitatem agri et portionis lanei, medietatem videlicet pro prima et aliam medietatem pro secuda rata temporis praedicta, sub poena dupli.

Item villae vastatae et exustae per hostes aut aliquo casu fortuito et a suis dominis libertatem habentes, quarum videlicet incolae dominis suis nihil solvunt, siquidem hoc probaverint testimonio duorum hominum ex una quaque villa medio corporali eorum juramento, quod suis dominis nihil solvunt, liberi esse debent a solutione contributionis in praesenti conventu institutae, exactione czopowe excepta.

Item civitates et oppida tam nostra regia quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium in toto regno nostro exactionem civilem, quam Schoss vocant, unam integram cum tertia ejus parte, juxta antiquas quitantias solvent et contribuent. Quae quidem exactio civilis integra solvi debet per easdem civitates et oppida pro prima rata supradicta, tertia vero pars ejusdem exactionis civilis contribuetur pro festo Sancti Bartholomaei proxime futuri sub poena dupli.

Item inquilini in civitatibus et villis existentes, qui neque exactionem civilem, neque de laneis solvunt, pro utraque rata semel duntaxat per sex grossos solvent; exceptis viduis, pauperibus et hortulanis et familia artificum.

Item contributio cervisiae, vini, medonis, malmatici, muscatelli, czopowe dicta, in iisdem civitatibus et oppidis ac etiam tabernis villarum tam nostris quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, incipiendo a festo Annuntiationis Beatae Mariae proxime venturo, ad integrum annum, a singulis cervisiae coctoribus more solito solvi debet, ex quibuscunque braseis fuerit eadem cervisia cocta, sive brasea ipsa sint civium et dominorum ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta.

Item etiam de cervisia externa, quae de externis regionibus et ducatibus nobis et regno nostro non subjectis ad regnum nostrum ducitur, ut Swidnicensis, Theschnensis, Bernoviensis, et alia quaecunque externa de terris regno nostro non subjectis, contributio ipsa Czopowe solvatur secundum antiquam consuetudinem.

Item molendina omnium villarum tam nostrarum quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium, quae poysrzebne vocantur, manuales seu anniversarios molendinatores habentia ex singulis rotis sex grossos semel duntaxat hoc anno solvent.

Hereditarii vero molendinatores dictarum villarum et folusche ex singulis rotis molendinorum suorum, quae valne dicuntur, duodecim grossos persolvent, ad ratas temporum suprascriptas, videlicet grossos sex pro prima et alios sex grossos pro secunda rata.

Item molendina brasealia et hereditaria, aquatica et equestria, in omnibus civititatibus et oppidis more veteri taxata et secundum antiquas quitantias contributionem unam cum ejus tertia parte, quae Schoss dicitur, a qualibet marca taxae duos grossos persolvent, pro dominica videlicet Judica proxima integram contributionem Schoss, tertiam vero ejus partem pro festo Scti. Bartholomaei proximo, sub poena dupli.

Et similiter illa molendina, quorum tertias mensuras tenutarii bonorum nostrorum regiorum exemerunt, et illas a se emptas seu in summis pecuniarum obligatas tenent, solvent contributionem, quae Schoss dicitur, sicut reliqua omnia molendina in regno seu illorum molendinatores eam solvere solent, contraria consuetudine, quae corruptela potius dici debet, penitus non obstante.

Minerariae vero officinae, alias ferrum facientes, et serrae hereditariae ex singulis rotis duodecim grossos; annales autem officinae minerariae et similiter annales serrae, hoc est locatae seu conductitiae, a qualibet rota sex grossos solvent.

Item

Item molendina ventilia hereditaria duodecim grossos, illa vero molendina ventilia, quae anniversarios molendinatores habent, sex grossos solvent, ad ratas temporum suprascriptas, hoc est medietatem pro dominica Judica proxima et aliam medietatem pro festo Sancti Bartholomaei proximo.

Item protopopones, alias Namiesthnici, per duos florenos, sacerdotes vero Rutheni, qui popones vocantur, ex singulis ecclesiis et synagogis per mediam sexagenam grossorum, medietatem videlicet pro prima, et aliam medietatem pro secunda rata praedicta persolvent.

Item Valachi ex singulis laneis integris, si illos habent, vel areis, quae dworzisca[1] dicuntur, duodecim grossos solvent. Et qui agros non habent, a singulo centenario ovium similiter duodecim grossos persolvent, sex grossos pro prima et reliquos sex grossos pro secunda rata superius expressa.

Ut autem supradicta ordinatio, in exigendis eisdem contributionibus facta, debitae executioni demandetur, generosum N. ad eas colligendas in palatinatu P... et districtibus ejus exactorem designavimus, et constituimus praesentibus literis.[2] Mandamusque, ut in manus illius designato tempore easdem contributiones persolvere curetis. Vobis vero capitaneis, quorum interest, mandamus, ut praedictas contributiones in praesenti generali conventu decretas publicari et in foris civitatum et oppidorum ac aliis locis publicis proclamari, et praefato exactori nostro pro tempore et termino superius expresso sub poenis ad hoc constitutis, absque cujusvis morae et dilationis interventu, de iisdem contributionibus per eos, ad quos pertinet, responderi faciatis, et vos ipsi respondeatis, negligentes vero in solvendo et contumaces modo infrascripto ad solvendum easdem contributiones compellatis, pro officio vestro et gratia nostra facturi. Quicunque enim infra tempus superius expressum contributiones ipsas non solverit et vobis aut alicui vestrum per exactorem nostrum delatus fuerit, vos id domino seu tenutario ac possessori bonorum, de quibus non sunt solutae ipsae contributiones, declaretis admoneatisque illum, aut ejus procuratorem seu officialem per vestras literas, quas per ministerialem ad eum mittere aut in ejus absentia in bonis illius, de quibus non fuerint solutae publicae contributiones, poni illas facere debetis, ut easdem contributiones, alias poenam dupli infra octo

[1]) Kod. Karnk.: dworziscza. — [2]) Wymieniamy poborców wedle Metryki koronnej ks. 43, str. 419 i ks. 44 str. 55:

Exactores in Majori Polonia MDXXVIII.

In palatinatu Posnaniensi: Joannes Giwienski (ks. 44 Iwienski) succamerarius Calissiensis.
In palat. Calissiensi: ..... notarius terrestris Calissien.
In palat. Siradiensi: Stanislaus Gomolinski, notarius terrestris Siradien.
In palat. Lanciciensi: ..... vicecapitaneus castri Lancicien.
In palat. Brestensi et Junivladislaviensi: Goczanowski.
In palat. Plocensi: Paulus Sulenski.
In palat. Rawensi: Paulus de Volya, vicecapit. Gostinensis.
In terra Dobrinensi: Petrus Misliborski, pincerna Dobrin.

Exactores in Minori Polonia.

In palat. Cracoviensi: Joannes Pyenyążek de Crustowa, judex Cracov.
In palat. Sandomiriensi: Paulus Lypnyczky.
In palat. Lublinensi: Georgius Czarny de Wythowycze, tenutarius Urzandoviensis.
In palat. Russiae: Nicolaus Dersnyak, judex Premisliensis.
In palat. Belsensi et terra Chelmensi: Felix Zamosczki, judex Chelmensis.
In palat. Podoliae: Andreas Czermyenski, qui exiget tantummodo de civitatibus et oppidis exactionem civilem et contributionem czopowe, quoniam in conventu Pyotrkoviensi praeterito remissae atque indultae sunt contributiones in eodem conventu institutae nobilitati terrae Podoliae et ejus colonis propter illorum inopiam et destructionem.

octo dies a die praesentationis et positionis literarum vestrarum computandos extradat seu extradi faciat. Quod si id non fecerit, vos, capitanei, possessionem eorundem bonorum adeatis et accipiatis in illaque vos auctoritate nostra intromittatis, et teneatis ea tam diu, donec poena dupli hoc est principalis summa contributionis debita et non soluta et tantumdem ratione poenae exsolvatur.

Quodsi quispiam dominus, tenutarius et possessor vobis intromissionem in bona sua prohibuerit, seque vobis opposuerit aut vos postea de possessione eorundem bonorum ejecerit, talis citatus per vos ad jus castrense banniri et proscribi de regno debet tanquam rebellis et publicis decretis se opponens.

Si vero exactor noster detulerit vobis aliquem tanquam negligentem in solvendis publicis contributionibus et ille per vos monitus ostenderit quitantiam ejusdem exactoris, a poena dupli se illa tuendo, exactor ipse solvere eandem poenam dupli teneatur, quam vos capitanei ab eo omnino exigatis et exigere curetis pro gratia nostra.

Quod si exactor ipse in capitaneatu vestro possessionatus non fuerit, illi capitaneo illum deferatis, sub cujus capitaneatu bona et possessiones suas habuerit, qui ab illo poenam dupli exigere teneatur.

Ut autem via calumniis praecludatur, volumus et mandamus, ut exactor noster nomina eorum, qui contributiones ipsas ad ratas temporum supradictas solvere neglexerint, in scedula diligenter conscribat, in qua annotet diem, qua illam scripserit et ad capitaneum perferendam dederit, et illam vobis sigillo suo obsignatam et manu sua propria vel sui notarii subscriptam mittere teneatur.

Et quoniam magna vis monetae Swidnicensis contra prohibitionem nostram in regnum et dominia nostra est invecta, praesertim vero ad terras Majoris Poloniae, Cujaviae, Mazoviae et alias terras illis vicinas, adeo quod pauca admodum bona moneta illic reperiatur, providere volentes, ne quid negligentiae committeretur in communi defensione, de consilio et consensu universi senatus et nuntiorum terrestrium permittimus, ut exactores earundem terrarum Majoris Poloniae, Cujaviae, Mazoviae et aliarum illis vicinarum pro prima rata temporis praedicta publicas contributiones in hoc generali conventu regni nostri decretas in moneta Swidnicensi ab hominibus, qui bonam monetam non habuerint, accipiant, computando quemlibet medium grossum Swidnicensem per octo denarios minutos regni nostri, ita ut pro singulis duodecim grossis bonae monetae regni nostri iidem ipsi exactores tredecim cum medio grossos Swidnicensis monetae, quae dudum e regno nostro explosa et recipi prohibita est, accipiant, eandemque Swidnicensem monetam pro prima duntaxat rata, ut praemissum est, receptam ad officinam nostram monetariam et magnificum Nicolaum de Schidlowiecz, castellanum Sandomiriensem et regni nostri thesaurarium, transmittant, qui pro ea bonam monetam numerabit, dando videlicet pro singulis tredecim cum medio grossis Swidnicensibus grossos duodecim bonae monetae, alias pro singula marca et sex grossis monetae Swidnicensis unam marcam bonae monetae, ut eadem bona moneta detur et distribuatur militibus mercenariis, qui ad praesidia terrarum Russiae scribi et suscipi in palatinatibus regni nostri debent.

Exactor autem praedictus habebit mercedem seu salarium pro labore et expensis suis de publicis contributionibus secundum constitutionem conventus Thoruniensis ..... marcas[1]) pecuniarum,

[1]) Próżne miejsce do wpisania odpowiedniej kwoty. W kod. Karnk. mylnie dopisał Górski: Cracovien. videlicet XX. Tę kwotę bowiem pobierali za swe trudy wojewodowie; cfr. Acta Tomic. IX, nr. 72. Wynagrodzenie pobórców wymienia Metryka koronna, ks. 43, str. 422: Salaria exactoribus suprascriptis in

pecuniarum, eaque mercede contentus esse debet, nec quicquam ultra illam de ipsis publicis contributionibus recipere sibi audeat.

Item exactor in conventu particulari, qui praecedet generalem regni conventum futurum, faciet facereque tenebitur rationem de pecuniis contributionum a se perceptarum et expositarum coram palatino, castellanis, dignitariis et officialibus palatinatus sui ac etiam nobilitate, facietque eandem rationem distincte, demonstrando singillatim, quantum ex contributione laneorum, quantum ex civili exactione, quae Schoss dicitur, quantum ex Czopowe et quantum ex nobilibus pauperibus, qui colonos non habent, perceperit et distribuerit, ut sciri possit in futuro regni conventu, ad quem ratio et calculus omnium exactorum per palatinos terrarum aut aliquem ex castellanis referri et comportari debet, quae summa pecuniarum ex unaquaque contributionum praedictarum colligatur. Datum in conventu generali Pyotrkoviensi sabbato proximo post festum Sancti Valentini. Anno domini millesimo quingentesimo octavo, regni vero nostri anno vigesimo secundo.[1])

73. Constitutio et ordinatio facta de suscipiendis militibus mercenariis ad praesidia terrarum Russiae.

Metryka koronna Ks. 43, str. 440. Teki Górskiego, nr. 3211, (minuta z poprawkami Tomickiego). Kod. Karnk. X. 16. Kod. Sap. VII. 17.

Sigismundus rex Poloniae etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis. Quia considerantes, quae et quanta incommoda reipublicae regni nostri ex dispensatione pecuniarum de publicis contributionibus pro defensione regni nostri provenientium, quae annis transactis in singulis palatinatibus militibus mercenariis distribuebantur, obveniebant, tum quia hi ipsi milites minus idonei et sufficientes ad arma ferenda conscribebantur, tum quia in profectione et reditu innumera damna subditis nostris tam spiritualibus quam saecularibus inferebant, nulla disciplina militari sese gubernari permittentes, volentesque ejusmodi dispendiis atque incommodis pro debito officii nostri obviare, de unanimi consilio et assensu consiliariorum regni nostri et nuntiorum terrestrium in praesenti conventu generali congregatorum, infrascriptas constitutiones et ordinationes sanximus et decrevimus:

Inprimis quia capitaneus exercituum generalis et thesaurarius regni nostri eligent praefectos militum, hoc est poruczniki, viros rei militaris peritos, in singulis palatinatibus. Ipsi vero praefecti militum conscribent milites eisdem capitaneo et thesaurario praesentandos, prout ad unumquemqe palatinatum numerus militum conscribendorum est infra designatus.

Quisque praefectus militum ad singulos equos, quorum numerum idem capitaneus illis praescribere debebit, habita ratione minorationis contributionis anni praesentis, habebit stipendium decem florenorum per quatuordecim scotos numeratorum.

Reliqui vero milites habebunt stipendium super quemlibet equum ad quodlibet quartale anni per sex florenos per mediam sexagenam.

Quilibet autem praefectus non per substitutum, sed solus per se ipsum ducere debet comites seu commilitones suos tam eundo ad terras Russiae quam inde redeundo et prospicere, ne damna fiant hominibus spiritualibus vel saecularibus ac eorum subditis neve ab illis stationes exigantur. Quae damna si facta fuerint et aliquis militum vel ejus praefectus

literis universalibus designata. Cracoviensi nonaginta marcae. Sandomiriensi centum marc. Russiae centum marc. Lublinensi quinquaginta quinque marc. Chelmensi et Belsensi quinquaginta marc. Podoliae triginta marcae. — [1]) D. 15. 2. 1528.

praefectus pro illis convictus fuerit, thesaurarius regni nostri solutionem illorum facere debebit ad rationem stipendii illius, qui damnum intulerit vel sui praefecti circa ultimae ratae solutionem.

Idem praefecti post finitum seu exspiratum servitium suum et comitivarum suarum de castris et terris Russiae discedentes, comitivas suas sub obedientia sua habeant et in officio contineant prohibeantque, ne damna hominibus et miseris colonis ac spiritualibus inferantur.

Idem praefecti militum providere debebunt, ut neminem suscipiant ad militiam nisi ad summum in octo equis et inferius in septem, sex, quinque, quatuor et ut quisque militum solus per se ipsum serviat et non per substitutum et servos suos.

Conscribentur autem in omnibus palatinatibus milites: equites tria milia trecenti et decem septem simul cum praefectis equitum et peditum et notario exercitus computatis, pedites vero trecenti, ordine infrascripto:

In terra et palatinatu Cracoviensi: equites quingenti et quadraginta, pedites vero centum quinquaginta.

In Sandomiriensi palatinatu: equites quingenti quadraginta.

In Russiae et Belzensi palatinatibus: equites quingenti quadraginta.

In Lublinensi palatinatu: equites octoginta.

In terra et palatinatu Posnaniensi: equites centum sexaginta.

In terra et palatinatu Calisiensi: equites ducenti et in iisdem duobus palatinatibus Posnaniensi et Calisiensi pedites centum quinquaginta.

In terra et palatinatu Siradiensi: equites trecenti viginti.

In Lanciciensi: centum sexaginta
In Ravensi: ducenti quadraginta } equites
In Plocensi: centum viginti

In Brzestensi et Junivladislaviensi palatinatibus: equites centum sexaginta.

In terra Dobrzinensi: equites quinquaginta.

Ex ducatu et terris Mazoviae de contributionibus publicis, quae illic instituentur et solventur, servari et conscribi debebunt equites quingenti, quibus servitium et damna solvi debebunt de contributionibus in eodem ducatu compositis seu collatis similiter per thesaurarium regni nostri.

Praefecti equitum licet anno superiori habuerint equos conscriptos centum nonaginta tres, videlicet ad quodlibet centum equorum quinque equos, tamen anno praesenti capitaneus exercituum habita ratione minorationis contributionis moderari debebit eum numerum pro suo arbitrio.

Praefecti vero peditum seu rothmagistri habebunt duntaxat sex equos, quibus solvetur ad singulos per decem florenos similiter per quatuordecim scotos numeratos.

Notarius exercitus habebit equos decem conscriptos, ad quorum singulos ei solvetur etiam per decem florenos similiter per quatuordecim scotos numeratos.

Qui quidem omnes equi praefectorum equitum et peditum simul et notarii includi debent in summam equitum superius expressam.

Vexilliferi rothmagistrorum peditum, seu illorum vexilla computari et includi debent in numerum peditum etiam supra expressum juxta morem antiquum. [1]

Debita

[1]) W Tekach Górskiego tak daleko sięga nr. 3211. Dalszy tekst zawarty jest w numerze 1073.

Debita vero militibus mercenariis pro servitio et damnis anni praeteriti 1527 solventur eisdem ex residuitatibus contributionum ejusdem anni praeteriti, videlicet militibus ex terris Majoris Poloniae in civitate Lanciciensi, ex terris vero Minoris Poloniae in civitate Cracoviensi.

Ne autem in repetendis iisdem debitis error aliquis admittatur in damnum Reipublicae, si assertioni simplici cujuslibet staretur: tenebuntur servitium aut damna repetentes firmare assertionem suam militari sacramento coram suis praefectis, quia ejusmodi damna in servitio nostro et Reipublicae regni nostri perpessi sunt et quia illis tanta summa pro servitio debetur et hoc quidem, ubi id in regestris scriptum non reperiretur, juxta antiquam consuetudinem et tandem praefecti ejusmodi probatione a suis commilitonibus accepta simili modo suam relationem firmabunt, pecuniam recepturi in locis supra expressis.

Si vero ex causa quacunque ad tempus constitutum propter summae de contributionibus retentis comportandae defectum omnibus militibus, quibus anni praeteriti debetur solutio, impendi non posset, extunc summa, quae fuerit comportata, aequaliter dividetur inter omnes solutionem petentes juxta quotam unicuique debitam, ut unusquisque consolatus reliquum solutionis exspectare valeat commodius, donec residuum contributionum retentarum comportetur. Dat. in conventu Piotrkoviensi generali feria secunda prox. post dominicam Sexagesimae, anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo. [1])

74. Ordinatio de permutanda et abolenda moneta Swidnicensi et in aliam monetam grossorum majorum transcudenda.[2])

Metryka koronna Ks. 43, fol. 445.
Metryka koronna Ks. 44, str. 43.
Teki Górskiego, nr. 1067, (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 17.
Kod. Sap. VII, 12.

Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis. Quia cum annis superioribus cognovissemus grave damnum ac non modicam jacturam, qua regnum hoc nostrum ex Swidnicensis monetae inductione affectum fuerat et in dies magis ac magis afficitur, quod item praeter illius monetae et pondere et grano levitatem subinde varia falsi genera fiant et misceantur, ut paulatim bona regni nri. moneta educta sola levis Swidnicensis variae quidem sortis et diversa falsa remaneat, cupientes his ac futuris malis maturo remedio consulere, consiliariorum nostrorum ac omnium ordinum regni nri. in proxime praeterito Cracoviensi conventu generali congregatorum accedente expresso consilio, statueramus praedictam Swidnicensem monetam per decursum unius anni in hoc regno nro. adhuc recipiendam, ita tamen quod singuli medientes non nisi per quinque denarios Polonicales darentur et reciperentur, ut per illud tempus unusquisque se ab eo monetae genere exoneraret, transacto vero anno eadem Swidnicensis moneta in regno nro. pro falsa haberetur, ut quotienscunque duo grossi in una marca apud aliquem reperirentur, poena tunc statuta plecteretur. Cognoscentes autem re ipsa, praedictam constitutionem nostram mediocribus ac infimae sortis hominibus non parvum damnum facere, quippe si ea moneta, cujus maximus est numerus, hoc modo abrogaretur, futurum esse, quod per eos, per quos magno Reipublicae malo inducta est, non sine magno privato lucro, per eosdem iterum cum pauperum damno et eorum ingenti lucro educeretur,

[1]) D. 17. 2. 1528. — [2]) W kod. Sap. ma ten dokument napis: De abolenda Swidnicensi moneta et in Polonicam transcudenda. W tymże kodeksie zrobił Górski na brzegu uwagę: Justus Ludovicus has literas conscripsit et ex hac officina multam pecuniam furatus est, et bona sibi coëmerat, et per Slesitas in itinere captivatus multa pecunia se redemit. Dokument powyższy jest ordynacyą czyli konstytucyą sejmową, uchwaloną dnia 17 lutego. Pod nr. 75 porównaj uniwersał królewski z datą 26 lutego, odnoszący się do tejże sprawy.

educeretur, levibus, falsis ac adulterinis nihilominus in regno nro. remanentibus: volentes igitur omnium nostrorum subditorum indemnitati, quanto melius fieri posset, hoc decreto nostro consulere, in praesenti Piotrkowiensi conventu generali cum consiliariis nostris ac omnibus omnium terrarum nuntiis statuimus, quod praedicta Swidnicensis moneta a solutione hujus conventus deinceps a nemine, cujuscunque conditionis, status ac dignitatis existat, ullo modo recipiatur qualicunque pretio, prout hac de re statutum conventus hujus latius declarat, sed ab omnibus eam habentibus in officinam nostram monetariam nunc Cracoviae existentem, aut in aliis locis, videlicet in civitate nostra Thorunensi proxime, quamprimum id commode fieri poterit, erigendam, futuram comportari debet, ibidem in aliam monetam transcudenda et unicuique juxta hoc statutum nostrum solvenda. Ita videlicet quicunque partem aliquam praedictae monetae Swidnicensis in aliquam officinam portaverit, quae pondus sive parvum sive magnum attigerit, illa mox conflari et probari debet et quotiescunque in tali massa pagamenti reperti fuerint quindecim lothi argenti puri, totiens solvi debent floreni septem et grossi viginti per triginta grossos. Ubi vero portati fuerint, qui pondus non attigerint, illi solvi debent per denarios octo singuli medientes, falsis tamen ac adulterinis semper exceptis. Solventur autem omnes cum his monetis novis excudendis aut grossis, ternariis vel denariis, secundum quod in officina monetaria moneta fuerit parata. Denarios vero vel ternarios nullus praeter suam voluntatem in magna summa cogetur recipere.

Ut autem ipsa Swidnicensis moneta citius et minori qua fieri possit sumptu transcudatur, laudavimus et statuimus, ut ex eadem transcudantur grossi majores duplici genere, quorum alii sint ponderis unius lothi et valoris sex grossorum usualium Polonicalium, ita quod quinque in florenum seu mediam sexagenam, octo in marcam numerari et sedecim in marcam Cracovien. ponderis ingrediantur. Mixtura vero eorum sit in marcam quamlibet argenti fini lothi sex aut minus uno vel duobus denariis, secundum quod fieri possit, illud sine ullo praejudicio officialium esse debet.

Ab una parte effigies: imago regia, in circuitu textus: Sigismundus primus, rex Poloniae 1528. Ab altera parte seu in altero latere: arma seu insignia, in medio scilicet aquila regni, a dextris Lithuaniae, a sinistris Austriae, inferius Russiae et Prussiae insignia, superius corona regia, textus in circuitu: Deus in virtute tua laetabitur rex.

Alii vero grossi ita fiant, ut per omnia duo ex istis, unum ex superioribus pondere ac valore constituant, effigies vero sit hujusmodi: ab una parte et in uno latere aquila magna, textus: Moneta regni Poloniae 1528, vel currentis anni, in alio latere: imago regis. Textus in circuitu: Sigismundus primus rex Poloniae.

Istius vero generis ultimi propter competentiorem usum plures, quam alterius, esse volumus.

Ut autem ejusmodi moneta diligentius et citius cudatur, demandavimus hujusmodi operis curam cum magnifico Nicolao de Schidlowiecz, castellano Sandomirien. et regni nostri thesaurario, nobili Josto Ludovico Decio, carbario Wieliciensi, tanquam vices illius gerenti.

Volentes, ut inprimis haec moneta utriusque generis Cracoviae cudatur et interim paratis ad hoc instrumentis ac familia et officialibus necessariis, paulo postquam negotium progressum acceperit, in civitate nostra Thorunensi alia officina instituatur, quo commodius ex Majoris Polonia et ducatu Mazoviae illic convehi possit; ubi vero necessarium et expedire videbitur, in civitate nostra Posnaniensi et alibi locis aliquot ordinentur, qui eandem monetam coëmant et in officinas deducant aut transmittant. Si vero ultra hoc videbitur expedire, poterit demum in civitate Posnaniensi et Warsoviensi, altera videlicet earum civitatum aut in ambabus tertia vel etiam quarta officina institui, id quod thesaurarii nostri et officialis vices gerentis illius industriae et cognitioni committimus.

Ut

Ut autem ista moneta minori sumptu transcudatur, commisimus eidem thesaurario nostro et ejus vices gerenti, omnes impensas moderari et restringere quanto melius fieri poterit, sine quibus vero esse non poterit, illa semper septimanatim solventur, quae vero amputari possunt, in caput anni et rationis reserventur, ubi nos cum consiliariis nostris habito benigno ac laborum digno respectu, secundum excrescentis summae exigentiam alios officiales renumerabinus. Ne tamen toto hoc tempore ipse thesaurarius noster et ejus vices gerens praedictus propriis impensis rem tantam curare cogantur, decernimus et volumus, quotienscunque extra civitatem Cracoviensem hujus operis gratia vel in propria persona quomodocunque ire sive mittere contigerit, hoc ad monetae dictae impensa facere possint ac debeant.

Ut autem praedictus vices gerens thesaurarii nostri laborum suorum et industriae condignam habeat pro meritis remunerationem, decernimus, ut eidem trecenti floreni per mediam sexagenam computati ex officina nostra monetaria ad annum currentem solvantur.

Volentes autem omnem fraudem tollere, prohibemus, ne ulla alia moneta conflata in massaque portata hoc pretio ematur, sed alio pretio secundum communem argenti valorem, prout idem thesaurarii nostri officialis noverit expedire, solvatur.

Item constituimus ad majorem certitudinem rectae administrationis, ut de moneta ista probanda, antequam exierit in publicum, in civitate Cracoviensi solita a probatoribus regni nostri servetur consuetudo, similiter hoc idem in civitate Thorunensi vel alibi, ubi officinas institui contigerit, personis juratis ac fide dignis, qui a locis illis non recedant, committant iidem probatores.

Quia autem negotium totum propter difficultatem ejus maxime in fide et virtute officialium nostrorum, hoc est mgci. thesaurarii regni nostri et Josti Ludovici, ejus vices gerentis, consistit, promittimus in capite anni rationem administrationis hujus suscipere et eande n, quam in fide nobis debita facient, ratam habere neque illos neque heredes illorum in casu mortis ipsorum quoquomodo molestare aut turbare, sed tantam illorum fidem, curam et diligens nobis et reipublicae nostrae serviendi studium regia nostra gratia semper compensare.

Hoc modo itaque transcusa et emissa praedicta moneta probatorum nostrorum testimonio confirmata, volumus, ut deinceps magnificus Nicolaus de Schidlowiecz, castellanus Sandomiriensis et regni nostri thesaurarius, et dictus Jostus Ludovicus Decius, ejus vices gerens, ab omni molestia et impetitione casu quocunque et a quibuscunque sint liberi et immunes perpetuo et in aevum. Harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum est appensum. Datum in conventu generali Pyotrkoviensi fer. II prox. post dominicam Sexagesimae. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo, regni nostri vigesimo secundo.[1])

75. Literae universales contra monetam Swidnicensem.[2])

Metryka koronna Ks. 43. str. 426. Kod. Karnk. X, 18. Kod. Sap. VII, 19.

Sigismundus, rex Poloniae etc. Universis et singulis principibus tam spiritualibus quam saecularibus, reverendissimis ac reverendis in Christo patribus dominis archiepiscopis, episcopis

[1]) D. 17. 2. 1528. — [2]) W kod. Karnk. ma powyższy dokument napis: Ad monetam Swidnicensem e Polonia exterminandam, w kod. Sap.: Ad abolendam monetam Swidnicensem in Polonia. Dokument ten uważamy za edykt czyli uniwersał królewski, objaśniający i ogłaszający konstytucyą sejmową o monecie Świdnickiej, wydrukowaną pod numerem 74. Jest on w pewnej części równobrzmiący

episcopis, nec non magnificis, generosis, nobilibus, famatis et providis palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, terrigenis et quibusvis aliis dignitariis, officialibus et eorum vices gerentibus, heredibus, advocatis, scultetis civitatumque et oppidorum nostrorum et quorumcunque subditorum nostrorum magistris civium consulibusque ac comitatibus et generaliter omnibus subditis nostris cujuscunque conditionis et praeeminentiae existentibus, ad quos praesentes literae nostrae pervenerint et ad quorum notitiam verisimiliter infrascriptum edictum nostrum perlatum fuerit, sincere et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Sincere et fideles dilecti. Quum annis superioribus cognovissemus grave damnum ac non modicam jacturam, quae regnum hoc nostrum ex inductione monetae Swidnicensis affectum fuerat et in dies magis ac magis afficitur, quod item praeter illius monetae et pondere et grano levitatem subinde varia falsi genera fiant et misceantur, ut paulatim bona regni nri. moneta educta sola levis Swidnicensis variae quidem sortis et diversa falsa remaneat, cupientes his ac futuris malis maturo remedio consulere, consiliariorum nostrorum ac omnium ordinum regni nri. in proxime praeterito Cracoviensi conventu generali congregatorum accedente expresso consilio, statueramus praedictam Swidnicensem monetam per decursum unius anni in hoc regno nro. adhuc recipiendam, ita tamen quod singuli medientes non nisi per quinque denarios Polonicales darentur et reciperentur, ut per illud tempus unusquisque se ab eo monetae genere exoneraret, transacto vero anno eadem Swidnicensis moneta in regno nro. pro falsa haberetur, ut quotienscunque duo grossi in una marca apud aliquem reperirentur, poena tunc statuta plecteretur. Cognoscentes autem re ipsa, praedictam constitutionem nostram mediocribus ac infimae sortis hominibus non parvum damnum facere, quippe si ea moneta, cujus maximus est numerus, hoc modo abrogaretur, futurum esse, quod per eos, per quos magno Reipublicae malo inducta est, non sine privato lucro per eosdem iterum cum pauperum damno et eorum ingenti lucro educeretur, levibus falsis ac adulterinis nihilominus in regno nro. remanentibus: volentes igitur omnium nostrorum subditorum indemnitati, quanto melius fieri posset, consulere, statuimus in proxime praeterito conventu generali Piotrkoviensi cum consiliariis nostris ac omnibus omnium terrarum nuntiis, quod praedicta Swidnicensis moneta a solutione hujus proxime praeteriti conventus Piotrkoviensis deinceps a nemine, cujuscunque conditionis, status ac dignitatis existat, ullo modo recipiatur qualicunque pretio, prout hac de re statutum ejusdem conventus latius disponit, sed ab omnibus eam habentibus in officinam nostram monetariam nunc Cracoviae existentem, aut in civitate nostra Thorunensi proxime, quamprimum id commode fieri poterit, futuram comportari debet hinc ad festum Nativitatis S. Joannis Baptistae proxime futurum, ibidem in aliam monetam sub signis nostris regiis transcudenda: grossorum videlicet majorum duplicis generis, quorum alii sint valoris sex grossorum, ita quod quinque illorum in unum florenum seu mediam sexagenam computentur, alii vero valoris trium grossorum usualium Polonicalium, ita quod decem illorum pro triginta grossis usualibus numerentur. Quibus quidem grossis majoribus, sic ut praemissum est, excudendis aut ipsis grossis usualibus vel ternariis aut denariis minutis jam pridem excussis, secundum quod in officina monetaria moneta fuerit parata, solventur omnes in eadem officina infra tempus supra expressum pro ipsa moneta Swidnicensi, quam ad cambiendum attulerint, modo infrascripto, ita videlicet: quod quicunque partem aliquam praedictae monetae Swidnicensis in

z konstytucyą, w pewnej odmienny; pomija niektóre ustępy mieszczące się w konstytucyi, a zawiera znów inne, których tamże braknie. Dla bezpośredniego związku i dla łatwiejszego porównania z poprzedzającym dokumentem umieszczamy go już tutaj, jakkolwiek ma datę późniejszą — z Radomia 26 lutego.

in aliquam officinam portaverit, quae pondus sive parvum sive magnum attigerit, illa mox conflari et probari debet et quotienscunque in tali massa pagamenti reperti fuerint quindecim lothi argenti puri, totiens solvi debent floreni septem et grossi viginti per triginta grossos; ubi vero portati fuerint, qui pondus non attigerint, illi solvi debent singuli medii grossi per octo denarios, falsis tamen ac adulterinis semper exceptis, denarios autem vel ternarios nullus monetam ipsam Swidnicensem cambiens, praeter suam ipsius voluntatem in magna summa recipere minime cogatur. Volentes autem omnem fraudem tollere, prohibemus, ne illa alia moneta conflata in massaque portata hoc pretio ematur, sed alio pretio secundum communem argenti valorem, prout magnificus thesaurarius regni nostri vel ejus officialis noverit expedire, solvatur in praedictis officinis monetariis Cracoviensi et Thorunensi, ad quas si ex Majori Polonia et Ducatu Mazoviae praefata moneta Swidnicensis commode deferri, seu convehi non possit, commisimus ipsi magco. thesaurario nostro, ut si necessarium et expediens fore videbitur, aliqui probati viri in civitate nostra Posnaniensi et Warschoviensi, et alibi aliquot locis ab eo constituantur, qui eandem monetam Swidnicensem ad festum praedictum Sancti Joannis Baptistae coëmant et in officinas praefatas deducant aut transmittant. Si vero ultra hoc illi videbitur expedire, poterit demum in civitate Posnaniensi et Warschoviensi, altera videlicet earum civitatum aut in ambabus tertia vel etiam quarta officina institui, id quod ipsius thesaurarii nostri et officialis ejus vices gerentis industriae et cognitioni committimus. Quia vero major vis dictae monetae Swidnicensis contra prohibitionem nostram ad terras Majoris Poloniae, Cujaviae, Mazoviae et alias terras illis vicinas, quam ad alia loca regni nostri, est invecta, adeo quod pauca admodum bona moneta illic reperiatur, providere volentes, ne quid negligentiae committeretur in communi defensione, permittimus, ut exactores earundem terrarum Majoris Poloniae, Cujaviae, Mazoviae et aliarum illis vicinarum pro prima rata temporis, hoc est pro dominica Judica proxime futura publicas contributiones in proxime transacto conventu generali Piotrkoviensi decretas, in moneta Swidnicensi ab hominibus praedictarum terrarum, qui bonam monetam non habuerint, accipiant, computando quemlibet medium grossum Swidnicensem per octo denarios minutos regni nostri, ita ut pro singulis duodecim grossis bonae monetae regni nostri iidem ipsi exactores tredecim cum medio grossos Swidnicensis monetae, quae dudum ex regno nostro explosa et recipi prohibita est, accipiant eandemque monetam Swidnicensem pro prima duntaxat rata, ut praemissum est, receptam ad officinam nostram monetariam et magnificum thesaurarium regni nostri transmittant, qui pro ea bonam monetam numerabit, dando videlicet pro singulis tredecim et medio grossis Swidnicensibus grossos duodecim bonae monetae, alias pro singula marca et sex grossis monetae Swidnicensis unam marcam bonae monetae, ut eadem bona moneta detur et distribuatur militibus mercenariis, qui ad praesidia terrarum Russiae scribi et suscipi in palatinatibus regni nostri debent. Quod si hominibus praedictarum terrarum Majoris Poloniae et Mazoviae ultra solutas per eos contributiones pro prima rata, ut perfertur, aliquid monetae Swidnicensis superfuerit, hi ipsi homines et alii subditi nostri cujuscunque status, conditionis, dignitatis et praeeminentiae existentes totum ejus reliquum in supradictis officinis et locis cambire ad festum Sancti Joannis proxime futurum omnino curent; nam postea ea ipsa moneta Swidnicensis, per quam splendor et decus Mtis. nostrae regiae imminuitur et toti regno nostro non mediocre damnum infertur, nullo modo recipi, sed tanquam falsa ac noxia ab omnibus vitari debet sub amissione bonae monetae, cui fuerit intermixta, et sub poenis nostris regalibus in Cracoviensi conventu generali constitutis, sic quod apud quemcunque duo

grossi

grossi ejusdem monetae Swidnicensis in una marca inventi fuerint, totam illam marcam perdat absque spe alicujus veniae et poena quatuordecim marcarum puniatur. Quocirca vobis supradictis et praesertim locorum capitaneis et eorum vices gerentibus committimus praesentibus, mandantes, quotinus hoc edictum nostrum per loca, civitates et oppida et apud parrochiales ecclesias diebus festis per publicas proclamationes ad universorum notitiam denuntiari exemplaque seu copias praesentium ad valvas praetorii et ecclesiarum affigi faciatis custodesque et inquisitores tam in finibus regni quam etiam intra ipsum regnum in vestris capitaneatibus constituatis, qui diligenter inquirant, ne deinceps ipsa moneta Swidnicensis in regnum nostrum inferatur, vel quispiam amplius pro mercibus et aliis rebus illam expendendo vel recipiendo ea utatur. Qui quidem custodes apud quemcunque illam invenerint, recipere eam possint et debeant, non habendo respectum ad quempiam et pro fisco nostro regio conservare. Quae omnia et singula praemissa sedulo exsequi volumus per eos, quorum interest, sub poenis contra negligentes capitaneos et officiales statutis pro eorum officio et fide gratiaque nostra. Datum in Radom fer. quarta Cinerum. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo, regni nostri anno vigesimo secundo. [1])

76. Cusio aureorum Polonicorum.

Metryka koronna Ks. 43, str. 450. Teki Górskiego, nr. 1013, (minuta z poprawkami Tomickiego). Kod. Karnk. X, 19. Kod. Sap. VII, 21.

Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae etc. Manifestum facimus tenore praesentium universis quibus expedit. Quia considerantes, non parvam jacturam reipublicae regni nostri per annos retroactos ex monetaria varietate illatam esse, ita ut crescente moneta mala et adulterata regni nostri moneta in malam pervenerit aestimationem, aureorum pretium subinde creverit et per hoc pretia rerum omnium aucta et nostra moneta vilescere coeperit, proinde nos in hoc conventu generali omnium consiliariorum nostrorum utriusque status ac ordinum omnium regni nostri accedente consilio, de moneta in hoc regno et dominiis nostris deinceps accipienda vel exstirpanda satis copiose ordinavimus ac statuimus, uti per alias literas nostras, super ea re emanatas, abunde declaratur. Quia vero aureorum non parva est penuria in regno nostro et moneta nostra nullo modo in suam aestimationem nisi crescente aureorum numero redire posse videtur, praeterea nullum sit regnum inter omnia christiana regna, in quo aurea moneta non cudatur, et quod auri etiam quantitas in hoc regno nostro, cum pro plumbo tum etiam a mercatoribus, qui alioqui in alia loca illud ducant, haberi possit: volentes igitur et nos regni nostri decori atque subditorum nostrorum utilitati consulere, statuimus supradictorum omnium ordinum regni nostri accedente consilio, in hoc regno nostro aureos novos cudere ordine et modo infrascripto. — Ejus rei curam magnifico Nicolao de Schidlowiecz, castellano Sandomiriensi, regni nostri thesaurario etc. et illius in officio cudendae monetae vicesgerenti, nobili Josto Ludovico Decio, secretario nostro et carbario Wielicen., demandantes, videlicet in civitate nostra Cracoviensi eosdem aureos cudere mandavimus, pondere ac grano Ungaricis modernis aureis per omnia aequivalentes, hoc est in marcam ponderis Cracovien. aureos quinquaginta sex, et quia in marcam ponderis ingrediuntur scoti viginti quatuor, qui scoti in aureo pondere apud hujus artis peritos k a r a t i vocantur: volumus, quod viginti tres cum medio scoti sive k a r a t i sint in marca ponderis de puro auro et reliquus medius scotus seu k a r a t u s sit argenteus, ita quod quadraginta septem partes unius

[1]) D. 26. 2. 1528.

unius marcae sint de puro auro et una duntaxat, scilicet quadragesima octava pars unius marcae sit argentea. Quia tamen haec mixtura propter argenti albedinem et auri puri mollitiem nimium pallida foret, commisimus argento addere granum ex cupro, ut colorem suscipiant magis rubeum. Quod granum in marca ponderis tres denarios ponderis excedere non debet, denarius autem ponderis est ducentesima quinquagesima sexta pars unius marcae ponderis, et ex ista mixtura cudi debent aurei, qui in una parte effigiem nostrum habeant, textum vero: Sigismundus primus, rex Poloniae, in circuitu, sub pectore anni currentis numerus. In alio autem latere scutum cum quadra, in cujus prima quadra superius aquilam, regni nostri insigne, in secunda insigne Magni Ducatus Lithuaniae, in prima quadra interius leonem, insigne terrarum Russiae, in secunda aquilam cum gladio, insigne terrarum Prussiae, fieri et poni ordinavimus. In scuti vero medio ceu in pectore, ubi quadrarum lineae in crucis formam coëunt, minutissimum insigne ponatur domus Austriae, superne supra scutum corona parvula. Textus vero in circuitu: Justus ut palma florebit,[1]) a latere scuti dextero: C litera, Cracoviam, a sinistro vero latere litera N. nomen officialis et thesaurarii regni nostri, ut aliorum principum mos est, designans. Ut autem omnis generis homines majorem convehendi auri habeant occasionem, statuimus, ut quotiens aliquis in officinam nostram monetariam auri pondus portaverit, quod laudatam bonitatem attinget, illi ex suo auro cudantur juxta decretum et laudum nostrum aurei, recepta ab eo solutione a labore duntaxat pro singulis aureis unum grossum Polonicalem, idque propterea, ut hujus aureae monetae cusionis commodum ad omnes ex aequo perveniat, nostro aut reipublicae regni commodo minime quaesito. Hujucemodi autem aureos, antequam in publicum exeant, volumus diligenti cura per Hieronimum, monetariae officinae aut pro tempore existentem juratum probatorem, praesentibus regni nostri ad hoc ordinatis probatoribus, vel eorum vices gerentibus, semper prius ad artis ingenium ac industriam summam probari et examinari; ubi vero servato hoc ordine secundum laudum et decretum nostrum juste examinati recteque elaborati comperti fuerint, volumus et mandamus harum literarum serie, ut in publicum exeant et ab omnibus in regnis ac dominiis nostris pro et loco aureorum ungaricalium in aequivalente valore recipiantur et a nemine, cujuscunque status et conditionis fuerit, in solutionibus seu cambiis excludantur. Si vero contigerit — (quae hominum aetatis hujus est malitia) — in futurum falsos aureos aliunde immisceri seu immitti, hoc praefato magnifico thesaurario nostro vel vices gerenti illius imputari seu nocere nullo modo debet. De praedictis autem grossis pro singulis aureis accipiendis imprimis volumus hujus operis sumptus solvi, et de reliquo, si quid supra accreverit, rationem nobis convenienti tempore reddi, ubi nos quoque meritorum et industriae officialium benignam rationem habituri sumus harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum est appensum. Datum in conventu Pyotrkoviensi generali etc. 1528.[2])

77. Literae universales contributionis Czopowe.

Metryka koronna
Ks. 43, str. 415.
Teki Górskiego, nr. 1007, (odpis współczesny).
Kod. Karnk. X, 11.
Kod. Sap. VII, 11.

Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et heres. Universis et singulis principibus tam spiritualibus quam saecularibus, reverendissimis

[1]) W kod. Sap. braknie tej dewizy, która zdaje się być aluzyą do imienia Decyusza. Może ją przeto umyślnie opuścił Górski, który — jak widać z poprzedniego dokumentu — nie łaskaw był na Decyusza. — [2]) D. 17, 2, 1528, gdyż w Metryce koronnej jest: datum ut supra, a poprzedni dokument ma powyższą datę.

reverendissimis et reverendis in Christo patribus, dominis archiepiscopis, episcopis, nec non magnificis, generosis, nobilibus, famatis et providis palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, terrigenis, nobilibus, officialibus et eorum vicesgerentibus, heredibus, advocatis, scultetis, civitatumque et oppidorum tam nostrorum quam quorumcunque subditorum nostrorum magistris civium, consulibus et communitatibus et generaliter omnibus subditis nostris spiritualibus et saecularibus cujuscunque status, conditionis et praeeminentiae existentibus, bona quaecumque tam spiritualia quam saecularia, civitates, oppida, villas, tabernas, possessiones et alia bona quocunque nomine nuncupata habentibus, et signanter in terra... et districtibus ejus existentibus, sincere et fidelibus nostris dilectis salutem et gratiam nostram regiam. Sincere et fideles nostri dilecti. Noveritis communi omnium tam spiritualium quam saecularium consiliariorum nostrorum et nuntiorum terrestrium in praesenti conventu generali Pyotrkoviensi congregatorum voto et concordi voluntate exactionem ducillorum, quae czopowe dicitur, multis et arduis necessitatibus reipublicae ita exigentibus, decretam esse, quae inchoari debet a festo Annuntiationis Sanctae Mariae proximo et continuari per integrum annum ad aliud festum Annuntiationis Mariae anni millesimi quingentesimi vigesimi noni. Exigetur autem ac solvi et exigi debebit eadem ipsa contributio ducillorum secundum antiquam consuetudinem, modo videlicet infrascripto, ut quilibet cervisiam coquens venalem, ex quibuscunque braseis fuerit ipsa cervisia cocta, hoc est sive brasea ipsa sint civium et dominorum, sive ex molendinis provenientia et emensurata, sive domi facta, a quolibet vase singillatim vel coctura ipsius cervisiae, juxta locorum consuetudinem antehac observatam, exactionem ipsam ducillorum in manus infrascripti exactoris fideliter solvat, ita, ut a majori coctura alias waru plures grossi solvantur, et a minori pauciores juxta vasorum numerum et quantitatem et exactorum ordinationem, quam ubi opus et quoties expediens erit, nostra autoritate facient et constituent, notariosque et custodes in civitatibus et oppidis, quam etiam in villis juxta arbitrium suum exactores etiam ipsi deputabunt, et juramento corporali ad fidelitatem illos astringent; ternarii vero more vetusto circa quemlibet grossum solvendi pro civitatum et oppidorum reparatione conserventur. Tabernatores vero singuli cervisiam coquentes vel coctam a dominis tam spiritualibus quam saecularibus ad propinandum recipientes, a quolibet vase mensurae civilis teneantur per unum grossum in manus exactorum solvere; item a medio vase vini alias połkufek florenus cum triginta quadrantibus solvendus; item a drelynk sive Seremiensi vase vini duo floreni cum sexagiata quadrantibus solvendi. Item a quolibet barili malmatici vel vini Italici unus orth cum septem ternariis solvatur, a barili vero simplicis vini duo grossi solvantur et duo ternarii, a medonis vase communi duo grossi cum duobus ternariis. A cervisia advectitia sive externa, ut Swidnicensis, Glogoviensis, Theschinensis, Bernowiensis et alia quacumque, a quolibet ejus vase duo grossi, et quicunque non soluta prius exactione praefata, cervisiam, vinum, medonem, malmaticum et alium quemcunque potum ex praedictis vendere et propinare in fraudem Reipublicae praesumpserit, totum illud, in quo fraudem commisit seu committere voluit, irremissibiliter amittet et ad poenam regalem solvendam, quoties id fecerit, obligabitur, capitaneusque loci in tales omnes et singulos fraudem hujusmodi committentes animadversionem debitam, veritate rei cognita, non habendo respectum ad quempiam, irremissibiliter exsequatur. Ad quam quidem exactionem colligendam diligenterque et fideliter exigendam in ipsa terra... et districtibus ejus generosum...[1]) vobis omnibus et singulis, quorum interest mandantes, quatenus praefato exactori

[1]) W kod. Sap. dopisał Górski: exactorem constituimus.

exactori sive ab eo substituto de ipsa exactione ducillorum respondeatis et responderi faciatis. Vos vero locorum capitanei, eos, qui rebelles vel negligentes erunt, et quos ipsi exactores deferent, per pignorationes solitas ad solutionem hujusmodi exactionis compellatis, sub poenis nostris contra negligentes capitaneos in novis et antiquis statutis descriptis, et pro gratia nostra aliter non facturi. Datum in conventu generali Pyotrkowiensi feria quarta proxima post dominicam Sexagesimae anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo, regni vero nri. vigesimo secundo.[1]) Ad mandatum regiae Majestatis proprium.

Teki Górskiego, nr. 3222, (list własnoręczny).
Kod. Karnk. X, 51.
Kod. Sap. VII. 41.

78. Andreas Cricius, epus. Plocensis, Petro Tomicio, epo. vicecancellario.[2])

Reverendissime mi domine. Scripsi ea, quae videntur opportune respondenda ad generalia, quae vestrae rmae. Dominationi mitto. Ceterum vero dominus Brodericus egit mecum multa cum quodem pudore et tristitia de instituto manendi in isto regno, donec tragoedia haec finietur, et de egestate sua. Ego nescivi aliud respondre homini mihi veteri amicitia juncto nisi id, quod fides et jus amicitiae postulat. Obtuli illi, si aliter fieri non posset, mansionem in bonis meis, quoad illi visum fuerit, et profecto tales homines non solum ex regno amico, sed etiam ex hostili terra, ut ex Moscovia et Valachia, qui huc se per adversam fortunam recipiunt, volet Mtas. regia providere. Itaque oro, de hac re faciat me rma. D. vra. de sententia sua certiorem. Ego febricula et dolore capitis ita affligor, ut domo exire nequaquam possim. Servitor Plocensis.

Teki Górskiego, nr. 3219, (list oryginalny własnoręczny).
Kod. Karnk. X, 55.
Kod. Sap. VII, 43.

79. Andreas Cricius. epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Reverendissime mi domine. Mitto haec aegre et tumultuarie scripta, quae in praesens magis necessaria videntur. Reliqua ex Wolborz mittam et quae deinceps commiserit, exsequar sedulo, ut debeo. Dominus Brodericus vult hinc recta post expeditionem suam ad me proficisci. Eum, ut sarcinis vacuum, posset dominus capitaneus commodius et honestius in Ploczkam deducere, illinc vero in Poltowsko per officiales meos facillime conducetur. Dignetur itaque rma. Dominatio vestra domino capitaneo Plocensi de hac re verbum aliquod facere. Me reverendissimae Dominationi vestrae humiliter commendo. Petrcoviae in fine comitiorum. Stor. Plocensis.

Teki Górskiego, nr. 3221, (list własnoręczny, bez podpisu).
Kod. Karnk. X, 57.
Kod. Sap. VII. 49.

80. Andreas Cricius, epus. Plocensis, Petro Tomicio, epo. Crac., avunculo.

Reverendissime mi domine. In ipso jam meo discessu[3]) significavit mihi secreto per suum nepotem dominus archiepiscopus, quod impetravit a Mte. regia, ut de resignando archiepiscopatu

[1]) D. 19. 2. 1528. — [2]) W kod. Karnk. dopisek Górskiego: Cedula. Paulo ante discessum e comitiis Petrcoviensibus. — [3]) W kod. Karnk. dopisek Górskiego: ex conventu Petrcoviensi.

episcopatu posset cum alio tractare, quam cum illo, quem Mtas. suae designaverat,[1]) sed ea lege, ut per reginam id fieret, ad ejus enim preces designationem illam Cracoviae factam fuisse, cum nos modis omnibus impedire studebat. Significavit etiam se perquisivisse, qui magis esset ex animo suae Mtis., cui archiepiscopatum resignaret, sed non aliud habuisse responsum, quam quod praeter Dominationem vestram rmam. nullus esset, qui conditionem hanc rejiceret, et proinde tractaret, cum quo vellet, modo per scientiam et medium reginae. Miratus fui animum principis et quorsum haec significatio tenderet, mecum cogitabam, verum non comperio aliud, nisi illum quaerere, per quem nepotem suum[2]) evehat, nec dubito, quin eadem significarit Bacho,[3]) ut hac atque illac rem hanc evolvere posset. Ego aliud ex tempore non potui respondere, quam me gratum quidem esse hujus favoris, sed non audere me his practicis committere, quae neque mihi juniori congruunt neque stabiles esse re ipsa saepius expertus sum, verum tamen consulturum me esse rmam. D. vram., ut, si illi videretur, ageret illa, ut melius censeret. Nunc, mi rme. domine, non eorsum haec scribo, ut offam hanc captem, sed quod nimis vereor, ne nobis oscitantibus vanitas illa[4]) habenas suas sumat nosque et rem ecclesiasticam temulentus moderetur, qualis qualis est alter ille aridus et minimi pretii apud omnes,[5]) expediret tamen hunc, quam illum, praeferri. Videretur itaque mihi, ut rma. Do. vra. cum erit Radomiae, expiscaretur mentem reginae et cum ea haec confirmaret, quae honestiora utilioraque videbuntur. Ego multum doleo, misisse me illius Mti. munus nunc per Carolum, quod dudum constitueram, ne, cum Mtas. regia de sermone domini archiepiscopi et responso suo cum illa conferet, credat me ea causa captare illius favorem, verum nunquam illa a me verbum de hac re audiet, nisi forte quid vestrae rmae. D. illic loquendum videretur pro sua et nostrum omnium honestate. Ex animo et arbitrio meo nihil de me omnino esset agendum, nisi obstandum, ne in Bachanal[6]) praecipitemur. Supplico, ut has literas vra. rma. D. concerpere vel ita recludere, ut nemo videat, dignetur. Cui me ex corde commendo.[7])

81. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 900, (list oryginalny). Kod. Karnk. X, 56. Kod. Sap. VII, 48.

W kod. Karnk. dopisek Górskiego: Cricius non exspecata conclusione conventus discesserat ex Petrkow.

Reverendissime domine. Mitto vestrae Dominationi rmae. id, quod mandavit scribi Basileam, et oro illam commitere dignetur alicui, ut per hunc puerum describat mihi omnia, quae istic conclusa sunt, nam hoc labore nolim vram. rmam. Dominationem multo occupatissimam gravare, et praesertim, quod ad continendas gentes attinet; id si fiet, profecto non servabitur, praesertim reclamantibus nuntiis terrarum, unde et ignominia sequetur et collusio videbitur. Unam hanc haberemus excusationem, quod et ipsius serenissimi regis Ferdinandi edicta non servantur a subditis, nam praeter alia Lutheranismus nihilominus perstat in Slesia, ut fuit ante edictum. Scripsit ad me reverendissimus dominus episcopus Wratislaviensis

[1]) W kod. Karnk. dopisek Górskiego: Mathia Drevicio, epo. Cujaviensi. — [2]) W kod. Sap. dopisek Górskiego: Joannem Laski, praepositum. — [3]) W kod. Karnk. i Sap. dopisek Górskiego: Jo. Latalski, epo. Posnanien. — [4]) W kod. Karnk. i Sap. dopisek Górskiego: Jo. Latalski, epo. Posnanien. — [5]) W kod. Karnk. i Sap. dopisek Górskiego: Math. Drevicius, epus. Cujav. — [6]) W kod. Karnk. dopisek Górskiego: Latalicii archiepiscopatum. — [7]) W kod. Karnk. dopisek Górskiego: ex Volborz. 1528.

slaviensis rogans impense, ut de hac re comitteretur aliquid nomine regio his oratoribus illius Majestatis, quod rma. Dominatio vra. vel tribus verbis facere dignetur. Ego gratia Dei a febricula melius aliquanto valeo, a capite nondum. Me reverendissimae Dominationi vestrae unice commendo. Ex taberna Wolboriensi XIX. Februarii 1528.

Servitor Plocensis.

Adres: Rmo. meo dno. Crac. ad manus proprias.

82. Sigismundus primus, rex Poloniae, Erasmo Roterodamo.

Teki Górskiego, nr. 784, (minuta Krzyckiego). Kod. Sap. XI. Des. Erasmi Roterodami Epistolarum opus, Basileae 1541, str. 827.

Redditae nobis fuerunt literae tuae, Erasme doctissime, kalendis Juniis[1]) scriptae, ex quibus facile perspeximus, te vere eum esse, qui diceris, hoc est virum praeter summam eruditionem ac prudentiam tum integerrimum tum publicae tranquillitatis concordiaeque christianae studiosissimum, quod etsi nobis dubium nunquam fuit, vehementer tamen apud nos confirmavit eam de te opinionem epistola haec tua, in qua plane agnoscimus animum istum tuum vere christianum, nec dubitamus, quin ubique sis tui similis, seu ludicra tractes seu seria. Imprimis vero tibi gratias agimus non vulgares, quod nos tali ornaveris elogio, quale veremur, ut in nos tam plene, quam tu videri vis, competat. Nam etsi nobis maxime cordi est, ut et rempublicam christianam adeo inclinatam pro virili nostra juvemus et regna nostra tranquilla (quoad fieri potest)[2]) atque ab illa plusquam Lutherana[3]) lue, qua nunc sursum ac deorsum fertur Germania, incontaminata servemus, tamen quod hactenus id nobis feliciter cesserit, Deo potius acceptum ferimus, quam ut inde nobis laudem aliquam aut arrogemus aut petamus, immo etiam hoc ardentioribus votis domini misericordiam imploramus, ut quemadmodum nos regnaque nostra hactenus integra illaesaque servavit, ita adhuc servet imposterum, quousque illius visum fuerit voluntati; alioqui nobis frustra facturi videmur omnia, nisi ille coepta nostra fortunet. Non potest autem hoc tuum erga nos officium nobis non esse gratissimum, qui cum semper alioqui magnifice de te senserimus, tum vero hac humanitate tua provocati tanto etiam libentius tibi, si quomodo possimus, gratificabimur, quanto tu nos literis tuis fecisti apud omnes homines commendatiores, quod equidem praestare possemus multo cumulatius, si forte adduci possis, ut te huc ad nos conferas. Sed cum ex tui studiosis intelleximus, frustra idem tentasse alios principes, qui magnis hactenus tum precibus tum praemiis te sibi adjungere cupiebant, veremur, ne et nobis frustra sumeretur haec opera. Ut tamen interim habeas aliquod nostrae erga te benevolentiae gratique animi argumentum, mittimus tibi dono centum aureos,[4]) quos in praesens grato animo suscipias, deinceps uberiorem ex nobis fructum benevolentiae et favoris nostri habiturus. Vale. Datum in oppido nostro Pyotrkov, die XIX mensis Februarii a. d. MDXXVIII regni nostri XXII.[5])

[1]) Data listu Erazma mylnie tu przytoczona, list ten bowiem pisany był 15 maja 1527 r., zob. Acta Tomiciana t. IX., nr. 167. — [2]) Wyrazów w nawiasie umieszczonych braknie w kod. Sap. i w druku bazylejskim; w minucie są podkreślone — może na znak, iż mają być wypuszczone. — [3]) W druku zam. plusquam Lutherana jest: dissidiorum. — [4]) W druku zam. tibi dono centum aureos, quos — jest: honorarium munus, quod. — [5]) Data wzięta z druku. W minucie i kodeksie Sap. braknie daty.

83. P. Tomicius, epus. Cracoviensis, vicecancellarius, clarissimo et doctissimo viro Desiderio Erasmo Roterdamo, amico suo charissimo.

Teki Górskiego nr. 1005, (odpis współczesny). Kod. Sap. XI, 327. Des. Er. Roterodami, Epistolarum opus. Basileae, 1541, str. 1104.

S. P. Etsi mihi jam dudum aute cum ex tuis perdoctis lucubrationibus tum etiam ex Antonini medici relatione et notus eras et charissimus, nunc tamen literis tuis ultro in amicitiam provocatus tanto te impensius amare coepi, quo nullis meis de te meritis, sed sola humanitate tua adductus non gravatus sis inter tot labores et vigilias tuas incomparabiles non minus eleganter, quam humaniter ad me scribere, unde quantum tibi debeam, quanti hanc tuam amicitiam faciam, non facile dixerim. Accipe igitur, Erasme doctissime, hoc a me homine occupatissimo laconicum quidem sed integerrimi animi erga te mei responsum: nempe eum esse me et futurum semper, qui nulli in te amando et tuam istam eruditionem suspiciendo cedat quique felicitatis loco habeat, si qua in re gratificari tibi possit, tu modo ea benevolentia, qua coepisti, me complecti non desinas et munusculuu hoc, quod tibi mittimus in pignus et testimonium amoris nostri mutui, grato accipias animo. De Antonini tui adversa valetudine equidem molestum est scribere, id malim, ut ex aliis cognoscas. Vale optime, vir eruditissime, et sis felix. Ex conventu generali Piotrkoviensi, die XX mens. Februarii a. dni. 1528.

84. Joannes Dantiscus Sigismundo primo, regi Poloniae.

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr. 242 (list orygin.) Kod. bibl. Kórnickiej Nr. II. 106. Kod. bibl. polskiej w Paryżu (kopja).

Serma. Mtas. regia, dne. dne. clementissime. Humillimam perpetuae meae fidelis servitutis commendationem. Mitto cum his Mtis. vrae. sermae. exemplum illarum, quas hinc XI. et XXIX mensis Januarii praeteriti scripsi, fecique per amanuensem meum, qui satis inepte scripsit, de utrisque duplicatas et triplicatas fieri, ut in his temporum turbinibus, in quibus plerumque intercipiuntur literae, aliquae saltem illarum ad Mtem. vram. sermam. perveniant, unde de his, quae hic aguntur, Mtas. vra. serma. certior fieri possit, dabitque istiusmodi curiositati meae dignam veniam.

Ea, quae post novissimas se obtulerunt, sic habent. Post indictum a Gallis et Anglis bellum hic omnibus modis Mtas. caesarea studuit vires et nervum colligere factaque classe ad Betine,[1]) in quam prope IV milia Hispanorum imposuit duce domino de Branvei, illam versus Angliam grassatum mittet pro primo praeludio belli. Haecque classis hinc inde in oceano observabitur, donec fiat ex Biscaya et aliis partibus ad hoc litus jacentibus fortior, jamque ex Biscaya mille naves egressae sunt, quae aliquot hostium naves ceperunt. Haec sunt istius belli initia. Anglos audio cepisse in Anglia homines nationis Belgicae, qui ibidem erant artifices et cum conjugibus suis commorabantur, supra XV milia. Galli adhuc feruntur nihil fecisse, nisi quod rex ingentem auri vim a suis exigit, ut is, qui habet duos lotos,[2]) cogitur vendere unum pro contributione. Post 3 aut 4 menses primum audietur, quale sit bellum.

De

[1]) Miejscowość ta w kodeksach rozmaicie przytoczona: Betine, Bebim, Bebine. Nazwa zdaje się zepsuta, nie wiemy, coby oznaczała. — [2]) Wyraz w kopjaryuszach opuszczony.

De oratoribus scripsi, quomodo hinc in captivitate, donec caesaris oratores redeant, ad octo leucas sunt perducti; remanserunt hic oratores Angli, ducis Mediolanensis et boni nostri ducis Ferrariensis, qui hinc omnes pridie ad alios (locos) perducti, nemo nisi ego nomine Mtis. vrae. sermae. et Portugalensis restamus. Item obsides regis Christianissimi sunt perducti ad castrum super Segoviam et omnes, qui cum eis erant ex Gallia, adempti et in singularem custodiam positi, quod si illi Hispani, qui in Gallicis sunt triremibus, restituentur, isti etiam exibunt, si non, imponentur Hispanis triremibus. Fertur Delphinus major natu quaesivisse a contestabili Castiliae, qui illum cum duce Aureliensi habet in custodia, cur sibi familiares suo ademisset? qui respondit: quia rex Franciae, pater suus, non servasset pacta et juramenta caesari facta et hoc tempore existens adhuc captivus bellum indixisset, igitur ista fieri, unde deberet habere patientiam. Ad haec dicitur bonus puer illacrimasse et cum se post lacrimas recollegisset, respondisse: si pater meus moreretur et ego rex fierem, juberem omnes illos, qui hoc patri meo consuluerunt, decollare. — Item edictum est, quod omnes Galli, qui in his regnis fuerunt mercatores et hic victum quaerebant, inter certum temporis spatium discederent; ab oratoribus, qui habentur, ut scripsi, in custodia, ablati sunt omnes servitores Hispanici et pauci de suis cum eis relicti. Ista sunt illius belli initia, quid subsequetur, paulo post experiemur.

His diebus post bellum indictum Mtas. caesarea expedivit hinc in Germaniam ad principes dnum. praepositum de Waldkirchen, imperialem vicecancellarium, cui praeter id, quod est coadjutor Constantiensis et postulatus Ilsheimensis, Mtas. sua dedit pro hac legatione obeunda episcopatum Melitensem in Melita, insula e regione Siciliae. Cum eo misit quosdam alios, quorum opera utetur pro inducendis hic in Hispaniam 6 milibus peditum Germanorum factumque est cambium desuper in Brabantia per Fuccaros et Velzeros ad 80 milia ducatorum. Ille habet multa mandata et commissiones, quae tamen sine pecuniis in Germania nauci habebuntur.

Mittit Mtas. caes. ad Mtem. vram. sermam. mgcum. Cornelium Duplicium Sceperum, consiliarium suum, juvenem multis virtutibus praeditum atque apprime eruditum. Is fecit opus quoddam contra astrologos, qui ad annum XXIV post millesimum et quingentesimum diluvium et pleraque alia terribilia futura praedixerant, et si Mtas. vra. serma. recte meminit, ostendi rationes illius, per quas illa astrologorum vaticinia evenire non poterant, Cracoviae Mti. vrae. sermae., ubi tamen sibi aliqui metuebant ob terrae motum, non tamen Mtem. vram., Deo fidentem, ex castro educere poterant; fuitque iste juvenis aliquamdiu in servitio regis Daciae extorris et post mortem conjugis illius, quae erat soror caesaris, venit Granatam ibidemque Mtis. caes. servitio se addixit, habitus passim in omnium favore, caesaris imprimis et praesertim dni. mg. cancellarii, cum quo se Genuam contulerat et post illam captam huc rediit, in meo fere semper agens contubernio, negotiis Mtis. vrae. sermae. addictissimus, quandoquidem ad ea, ubi et quantum potuit esse ex re, semper se propensissimum exhibuit. Cumque intellexissem, illum ad Mtem. vram. sermam. mitti, subinde me ad caesarem contuli et ultimos conatus pro remissione Adohae impendi, quemadmodum de his satis diffuse ad reginalen Mtem. scripsi, ad quae me refero. Ibidem inter alia caesar ore suo proprio mihi injunxit, ut eundem oratorem suum cum negotiis sibi commissis summopere Mti. vrae. sermae. commendarem, quod et libens facio et supplex oro, si quid preces meae possunt, Mtas. vra. serma. egregium hunc juvenem, cum applicuerit, et commendatum habere et gratia sua prosequi dignetur. Commissum est illi imprimis Mtem. vram. sermam. nomine Mtis. caes. invisere et Mti. vrae. gratias agere, quod se a mittendis suppetiis palatino Transsilvaniae continuerit et

se

se firmo foedere sermo. Ungariae et Bohemiae regi conjunxerit, demum pro educendo ex Gedano in partes Germaniae inferioris ac pro aliis quibusdam rebus nomine caesaris cum Mte. vra. tractabit, ac subinde a Mte. vra. expeditus ad caesarem, ubicunque tum fuerit, se conferet. Is hic in curia caesaris, cum hinc fuero revocatus, sub parva pensione rebus et negotiis reginalis Mtis. commode posset inservire, habens dnum. mg. cancellarium ad manum, qui eum cum magno amore prosequitur; posset etiam hic Mti. vrae. sermae. non esse inutilis eandemque fere quolibet mense de his, quae hic aguntur, reddere certiorem. Haec omnia Mtas. vra. serma. pro incomparabili sua prudentia exactius, quam ego scribere possum, apud se perpendet.

Multa hic pro novis dicuntur, quae cum vana mihi videntur, transeo. Venit huc nuper rumor, regem Gallum gravissimo morbo — ut vocant Gallico — laborare adeo, quod jam aliquot ei exciderint, unde de morte ejus quidam nescio etiam quid dicebant. Quisque id, quod sentit et sicut afficitur, loqui solet. Fuit unus de primis hic, qui voluit accipere 100 ducatos et, si rex Franciae ante mensem Septembrem novissime futurum non esset mortuus, reddere pro 100 ducatos 300. Sic varii varia dicunt. Fui superiori die, ut scripsi reginali Mti., cum dno. comite de Nassaw in prandio, ubi multa dicebantur; deventum est ad regem Angliae, quem dnus. comes, non ut Gallis faveret, bellum indixisse caesari asseruit, sed quod jam pridem in quandam accensus puellam in Anglia, reginam suam repudiare statuisset, quod sine bello ab Hispanis fieri non potuit, ea de re, repudiata conjuge factaque filia sua illegitima, Gallis sub praetextu pietatis [1]) in ecclesiam Romanam adhaesisset et antequam sibi bellum indiceretur, sub hac diffidatione facta praevenisset. Est profecto mirabilis haec et turbulentissima inter istos principes tempestas, et ubi se isti fluctus frangent, praeter Deum, nemo scit.

Scripsit iterum Mti. vrae. sermae. illmus. dnus. Joannes Albertus, marchio Brandeburgensis, nepos Mtis. vrae. observandissimus, qui mecum ad honorem Mtis. vrae. sermae. in arctissima hic vivit consuetudine. Ex illius literis propensionem suam, quam hic quotidie experior, erga Mtem. vram. sermam. abunde intelliget. Princeps est humanissimus et bene industrius et qui nihil cupit ardentius, quam ut in hac curia ex usu Mtis. vrae. esse posset illique obsequi ac inservire, dignus revera, cui Mtas. vra. serma. omni benevolentia sua respondeat.

Qualis hic status meus est et quae aestimatio apud has nationes de Mte. vra. serma. habetur, orator iste, de quo scripsi, coram latius referet. Ego cum hic solus pro amico caesaris sub nomine Mtis. vrae. sermae. habeor, frequentant me crebro primi aulici et primi de camera caesaris, etiam quidem de privato caesaris consilio, unde superiori die praeter praescientiam meam cum multis de camera caesaris venit ad me pro coena dnus. Ludovicus de Prato, magnus balinus Gandavensis, qui est de privatis caesaris consiliariis. Is de Mte. vra. serma. multa honestissime mecum colloquebatur, persuadens mihi, Mtem. caesaream non minorem habere in Mtem. sermam. vram. fiduciam, quam in ipso fratre suo germano, sermo. Ungariae rege, et quod omnes in privato consilio caesaris optime de Mte. vra. serma. sentirent ac loquerentur rogavitque me, ut mutuam eam benevolentiam, qua cum caesare Mtas. vra. serma. jungitur, literis meis per omnem occasionem semper redderem arctiorem. Praeterea mecum locutum de domo Austriae et sanguinis necessitudine inter caesarem et Mtem. vram. sermam., quae longum esset recensere. Cumque Mtas. vra. serma. de omnibus, quae hic fiunt, vult habere scientiam, haec sic in notitiam Mtis. vrae. sermae. deducenda existimavi.

Alia

[1]) W kopjaryuszach wyraz opuszczony, może: pietatis.

Alia ad praesens non restant, quam quod me humillime Mti. vrae. sermae., ut dno. meo clementissimo, commendo et illi a Deo opt. max. salutem, longaevam aetatem atque omnia fausta precor et ut mihi aliquando liceat more harum gentium manus Mtis. vrae. sermae. suppliciter exosculari, quod si fiet cito, multum mihi vitae et felicitatis accrevisse arbitrabor. Datum ex Burgos in Hisp. eo die, quo hinc caesar versus Madrit solvit, fuitque XX-a Februarii. Anno dni. 1528.

Sermae. Mtis. vrae. regiae humillimus servus
Joannes Dantiscus.

85. Joannes Dantiscus Bonae, reginae Poloniae.

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr. 242, (list orygin.) Kod. bibl. Kórn. II, 106.

Serma. reginalis Mtas. et dna. dna. mea clementissima. Ea, quae Mti. vrae. sermae. X et XXIX-a Januarii praeteriti scripsi, ex his hic adjunctis duplicatis et triplicatis habunde intelliget, quae licet sunt per amanuensem meum satis inepte scripta, cum alium hic non habeam, cui fidere possem, boni, quaeso, consulatur. Visum mihi est non abs re sub his bellorum motibus ea, quae scribo et scripturus sum, per plura exempla ad Mtem. vram. sermam. transmittere, quo hic omnium, quae geruntur, certam cognitionem habere possit. Quae interea se obtulerunt, sic habent. Post hoc indictum bellum caesar decreverat ad regem Scotiae, Germanos principes et ad vestram sermamque. regiam Mtem. oratorem suum mittere. Quo intellecto subinde me ad dnum. cancellarium contuli et ne quippiam intentatum relinquerem, iterum cum eo de Adohae remissione agere coepi, fore ducens apprime commodum, quod rebus ut tunc stantibus Mtas. caesarea ea in re reginali vrae. et regiae Mti. gratificaretur, quo illam sibi nulla alia re magis posset reddere amicas, ut ad haec tempora propensas. Ad haec primum respondit, quod caesar ad tractandas istiusmodi res privatas esset valde difficilis et non posset induci, ut illis intenderet habereque multa memoralia etiam in negotiis suis propriis et quae etiam ipsum concernerent caesarem, de quibus jam a multo tempore non posset habere resolutionem; nihilominus tamen se tentaturum, si quid fieri posset, antequam iste hinc a curia absolveretur. Deinde cum pransi fuissemus iterum seorsum, id quod prius refutavi, non esse incommodum, quod caesar hoc tempore sermae. regiae. et reginali Mti. in relaxatione Adohae gratificaretur, addens hoc, quod mihi paulo ante Sigism. Loffredus retulerat, spurios utpote etiam in regno Neapolitano fuisse ab solutione Adohae immunes et exemptos, quodque caesar non rem novam faceret, si hanc solutionem remitteret, idque bene posse ac debere etiam merito fieri. Quae cum audisset, in hunc modum respondit libuitque illius verba annotare: „plane," inquit, „ut vobis veritatem dicam, iste Loffredus „hactenus negotium hoc detinuit, quominus fieret, mihi conatus fuit persuadere, ut a cae„sare pro mercede, ut hic vocant, impetrarem idque tempore matris sermae. reginae „vestrae in Adohis praeteritis non fuit exactum et persolutum, quod cum non esse „sciam, facere nolui, immo etiam si foret, foret justissimum, nequaquam id contra dnos. „vros. petere velim." Ad quod illi non immerito magnas egi gratias nomine sermae. reginalis vrae. Mtis. ac regiae, pollicitus illi vicissim omnem Mtum. vrarum. favorem et benevolentiam, addidique, quod ex his posset intelligere, qualis iste esset nebulo quodque id jam pridem de eo sum suspicatus mirarerque multum, quod tales in consilium caesaris admittuntur. Super hoc contractis humeris „quid vultis," inquit, „quod ego faciam

faciam, cum caesar eum ferat?“ Subintuli, si videretur sibi, quod iterum ea de re convenirem caesarem; consuluit, ut facerem diceremque caesari, quod non novam peterem gratiam, sed eam, quam praedecessores suae Mtis., sed ipsa etiam Mtas. sua matri sermae. Mtis. vrae. usque ad ultimos vitae dies dederint et in ea conservaverint. Quod me facturum suscepi.

Ex his habet Mtas. vra. serma., quomodo hucusque ab illo proditore hic sumus decepti habetque hoc nomen, ut intellexi, et Neapoli et passim hic ab omnibus et nisi fuissent literae et mandata Mtis. vrae., nunquam in familiaritatem meam advenisset; semper animus meus ab eo abhorruit, tale quiddam in eo perspiciens. Cum autem sic res cecidit, arte eum adhuc tractabo, dissimulabo quantum possum, donec, quid mihi ulterius sit faciendum, Mtas. vra. serma. statuerit. Ille fuit profecto, nec me sententia fallit, qui una cum vicerege omnia contra Mtem. vram. egit, et idcirco ut tanto facilius machinas et molimina sua perficeret, impositum fuit, Mtas. vra. ut fratrem ejus uterinum Scipionem de Summa statui et alium Colamariam castro Barensi praeficeret, quo, cum vellent, omnia ex re sua haberent.

Superiore die III. hujus bonus iste vir, quasi magnum gaudium nuntiaturus, venit ad me dicens, se accepisse literas a quodam suo amico legitque mihi articulum, quomodo castri Barensis possessio Colamariae de Summa jam data fuisset quodque jam Mtas. vra. de suo castro et toto statu esset secura. Ad quod illi, sed certe non ex animo, qui nescio quid istiusmodi praesagiebat, gratias habui rogans, ut mihi diceret, quibus conditionibus suscepiset castrum, ne forte ad plura esset adstrictus, quam conveniret, cum castellanus juxta commissiones Granatae expeditas et hic renovatas ad aliud non teneatur, quam ut juret: quod si quando cognitum foret statum hunc Mti. vrae. non pertinere, ut castrum huic redderet, cui esset status adjudicatus et aliud juraret, se castrum hoc in manus hostium caesaris non daturum. Ille respondit, se nescire, quibus pactis intromissus foret in castrum, nam non a Colamaria, sed ab alio amico desuper se literas accepisse. Inde mihi nascitur suspicio, quod caesarianis graviora fidelitatis et nescio quae alia juramenta facta sunt. Igitur idem ipse Loffredus Granatae admisit, ut istae expeditiones desuper Granatae obtentae denuo renovarentur, nisi quod per illum easdem duplicatas credoque adhuc illas apud se habeat triplicatas, igitur cum suis exemplis ad praesens Mti. vrae. sermae. mitto, alias, quae erant pro Colamaria, triplicatas accepit a me dudum, quarum etiam his exemplum adjunxi; ex eo videbit, quam sunt magnifice scriptae; illas, ut reor, transmisit subito. Quid in his sit factum, cum jam a septem mensibus nullas a Mte. vra. serma. neque etiam ex Neapoli acceperim literas, me praeterit, timeo, quod sub istis officialibus Mtas. vra. serma. in statu Barensi mixtum habitura est imperium et quod ea de re diutius me hic, quam velim, detinebit; male me affliget, si multo adhuc tempore mihi hic erit morandum, levius tamen laturus, si in istum nebulonem aliquo pacto possem ulcisci, qui hic toties in mense mea cura cum filio et aliis suis panem Mtis. vrae. sermae. comedit illumque adhuc in ore habens contra negotia Mtis. vrae. sermae. evomuit. Sed de his hactenus.

Contuli me, ut dnus. cancellarius consuluerat, die IX. hujus ad Mtem. caesaream cumque accessissem, statim biretum meum arripuit, ut illud in caput reponerem, sumque cum sua Mte., captans benevolentiam, eum in modum collocutus, quando intellexissem Mtem. suam caesaream ad sermum. dnum. meum oratorem suum mittere, quod mihi esse apprime gratum eumque oratorem et regiae et reginali Mti. vrae. acceptissimum futurum et sine dubio omnia impetraturum, quae postulabit, modo sint in facultate sermi. dni. mei, proinde

proinde Mtas. sua mihi quippiam velit committere, quae per scripta mea ad dominum meum sermum. deferri deberent, me omnia oppido diligentissime executurum. Haec fuit summa. Respondit mihi Mtas. sua valde humaniter, quod essent quaedam negotia cum sermo. dno. meo tractanda, quae haec tempora spectarent, qua de re ad eum oratorem suum mitteret et non dubitaret, quin dnus. meus, bonus suus frater et amicus, facturus esset omnia, quae ad mutuam benevolentiam et conjunctionem conservandam convenirent, quod sibi vicissim dnus. meus semper deberet persuadere, mihi vero pro mea exhibitione habere gratias rogareque, ut oratorem suum dno. meo commendarem, seque velle, si quid mihi esset injungendum, cum dno. cancellario conferre, qui super his mecum latius deberet colloqui. Post haec cum ad hunc modum caesarem bene dispositum sentirem, subintuli: quomodo Mti. suae saepius fuissem molestus in sollicitatione relaxationis Adohae, ad quod sua Mtas. gravioribus occupata non responderit, rogavi iterum igitur, cum ad praesens orator iste ad dnum. meum sermum. proficiscetur, ut ea in re mentem suam declararet gratificaretque et vrae. et regiae Mti. in remissione istius Adohae per gratiam solitam, quae non esset nova, quandoquidem illma. olim dna. dux, mater Mtis. vrae. sermae., in ea praerogativa et immunitate per praedecessores suae Mtis., Fridericum et Ferdinandum, regem catholicum, ac etiam per suam Mtem. usque ad ultimos dies fuisset conservata, quodque nulla alia in re ad praesens magis vrae. reginali et regiae Mti. posset gratificari, qua sibi Mtes. vras. cum fortunis et facultatibus suis perpetuo reddet devinctas. Ad haec cum prius graviter bis aut ter sternutasset, respondit, quod videre velit omnia, quae in his posset facere et quae forent possibilia, seque ea facturum libenter, desuper mihi per dnum. cancellarium respondere. Unde, ne istius rei oblivisceretur, conscriptum ad haec a me memoriale ei obtuli, quod accepit et dixit ad cancellarium missurum, ut relationem faceret. Sic humaniter dimisso contendit ad missam. Subsecutus fui eum cum dno. comite de Nassaw usque ad capellam et inde me dnus. comes secum ad prandium accepit et laute tractavit rogavique illum, ut in hoc negotio operam suam interponeret, quod se libenter facturum pollicebatur.

Postero die, cum dnus. cancellarius memoriale accepisset, fecerat, ut intellexi, ea in re dignam relationem in consilio, quam cum caesar audivisset, repetiit a cancellario memoriale meum, dicens, se velle deliberare et omnino, antequam hinc discederet, determinare negotium. In dno. cancellario nihil defuit, ille hucusque fecit, quod potuit et praesertim mgcus. dnus. Cornelius Duplicius Sceperus, consiliarius caesareae Mtis., elaboravit, quoad ejus fieri potuit, ut antequam hinc ad sermam. vram. reginalem et regiam Mtem. solveret, istius negotii absolutionem secum ferret. Ceterum cum in hoc hic exitu, ut semper fieri solet, tot negotia caesari se obtulissent, ut caesar nullis privatis rebus intendere voluisset, resolutionem istius Adohae usque in Madrit, quo nunc ituri sumus, rejecit. Si quid ibidem expediri poterit, velis et remis incumbam, ut cum primis Mtem. vram. sermam. certiorem reddam.

Orator iste, qui ad vram. regiam Mtem. proficiscitur, ut caesari gratus est, ut dno. mg. cancellario intimus plurimumque rebus Mtis. vrae. sermae. affectus, quod hic non semel re ipsa comprobavit, estque mihi cum eo propter egregias suas virtutes et summam prudentiam vetus consuetudo et familiaritas fuitque hic mecum in continuo contubernio non secus atque frater germanus amatus a me eoque mihi semper fuit charior, quo illum cognovi in dies ad inserviendum rebus Mtis. vrae. sermae. magis atque magis propensum. Non abs re igitur illum sermae. Mti. vrae. summopere commendo. Ab eo, cum applicuerit, omnia, quae hic in rebus Mtis. vrae. acta sunt, libere intelliget poteritque Mtas. vra. illi tuto credere et ita sibi obligatum facere, ut semper hic eum in omnem eventum

bonum

bonum servitorem habeat; multum enim hic apud dnum. cancellarium potest et est in magno illius favore, et si huc, Deo bene favente, sospes redierit, crescet et plura poterit. Is Mtem. caesaream excusabit, quod tanto tempore hic detineor et qua de re causae Mtis. vrae. sermae. tantam moram habuerint; id enim potissimum est, quod habet in commissis. Non diu, ut reor, erit in itinere, in postis fere advolabit et literas subinde, quae illum praecedunt, sequetur.

Cum sobellis, quos nomine Mtis. vrae. sermae. dnae. imperatrici dedi, parum profecimus, illa enim in negotiis parum aut fere nihil potest apud caesarem, fecit tamen, ut ex illius ad Mtem. vram. smam. literis, quas idem dnus. orator secum fert, intelliget, quantum potuit.

Mitto cum his expeditionibus Mti. vrae. historiam indictionis belli seu, ut vocant, diffidationis caesari factae in lingua hispana, quae Mti. vrae. sermae. non est incognita; inde habebit fere omnia, quae hucusque hic acta sunt et istius belli causas. Incidimus in haec misera et turbulentissima tempora, quorum finem, praeter Deum, scit nemo. Velim, nisi esset servitium Mtis. vrae. sermae., alicubi in tuguriolo delitescere et sic, quod vitae reliquum est, absumere.

Si fortunis meis nihil aliud, quam quod in praesentia mihi est, accedet, ferendum erit aequiori animo, nam me et canum et valetudinarium omnis ambitio deseruit, quae prius non admodum in me magna fuit. Quare si cum gratia Mtis. vrae. sermae. fieri potest, humillime supplico, dignetur me tandem post quartum annum ex gravibus suis impensis revocare, quae me plus, cum in dies accrescunt, quam omnia alia, affligunt. In hoc exitu iterum extraordinarie plurima cogor exponere dedique paulo ante pro uno mulo ad ferendum onera XXVIII ducatos et pro mula, quae me feret in itinere, XXX ducatos, praeter alia, quae longum esset enumerare. Unde nihil tum demum mihi a Deo et a Mte. vra. serma. gratius posset dari, quam ex ista captivitate ad meos redeundi libertas, quae non bene pro toto auro venditur.

Alia, quae hic aguntur, Mtas. vra. serma. ex meis ad Mtem. regiam accipiet, ad quae me refero et suppliciter rogo, reditus mei clementem rationem habere dignetur Mtas. vra. serma., cui me humillime ut dnae. meae clementissimae commendo. Datum ex Burgos in Hisp. d. XX. Februarii. 1528.

Sermae. reginalis Mtis. vrae. humillimus servitor
Joannes Dantiscus.

86. Joannes Dantiscus — Petro Tomicio.[1])

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr. 242 (list orygin.)

Reverendissime in Chro. pr. et domine, dne. gratiosissime. Humillimam commendationem. Cum superioribus diebus regiae et reginali Mti. scriberem, dedi etiam pro temporis augustia breves et laconicas ad D. vram. rmam., ex quibus tamen fere omnia, quae me hic affligunt, intellexit, unde ea refricare supervacaneum censui.

Scripsi Mti. regiae et reginali cum his duplicatas et triplicatas d. 11 i 29 Januarii praeteriti; ex his omnia, quae hic hucusque acta sunt, habebit. Id solum addendum putavi, quod in literis ad Mtem. regiam omisi, caesarem omnino adhuc persistere in praesentiam, collectis ex his regnis pecuniis, pro mense ad summum Septembre, ut in Flandriam trajiciat

[1]) W oryginale braknie adresu, — niewątpliwie jednakże list ten pisany był do Tomickiego.

jiciat aut Italiam, ex re capturus consilium, ceterum, ut suspicor, citius ad Belgas cum classe bene armata se conferet; ibi inter eundum quaeret fortassis opportunitatem, ut noceat suis hostibus. Qua de re hodie hinc discessit versus Madrit, ibidem non diu mansurus, decrevit enim pro nervo conquirendo ire versus Valentiam, et in Mozon, quod oppidum est in finibus Arragoniae et Castiliae, conventus celebrabit, ex quibus immensa pecuniarum vis proventura creditur; ea et non alia re eget serio et non conniventer, sicut prius, hoc bellum geritur, hinc suspicor non diu duraturum. Utinam nunquam fuisset inceptum. Misera ambitio in quod discrimen totum Christianorum orbem induxit!

Mittit Mtas. caesarea oratorem suum in postis magnificum et juvenem doctissimum dnum. Cornelium Duplicium Sceperum ad Mtem. regiam ac reginalem in negotiis, ut ex meis ad regem literis intelliget. Ille omnia ex mea persuasione cum D. v. rma. communicabit et cum ea de omnibus confidenter conferet. Scio, quod Dni. v. non displacebit, qui alioquin viris bonis et literatis favere plurimum consuevit. Quapropter in illo commendando D. vrae. rmae. mihi temperabo, ex eo ipso, cum aderit, ea, quae laudanda sunt, cognoscet; videretur mihi non incommodum, quod regia et reginalis Mtas. illum aliqua pensione seu alio quovis bono modo sibi devincirent; posset hic post meam ex hac curia abitionem rebus Barensibus et aliis quibuscunque bene inservire. Juvenis est virtuosus et integer et mihi longa hic consuetudine et familiaritate bene notus; is de omnibus, quae hic aguntur, et de practicis hujus curiae atque de successibus magni cancellarii, cui intimus est, ingenue D. v. rmam. certiorem reddet; ab eo etiam, quod mecum agitur, ad puram veritatem singula audiet. Quocirca illum non secus atque me ipsum commendo. Deus Optimus Maximus statuat eum vobis sospitem et me paulo post, quod mihi in votis est summum, subsequi faciat.

Quomodo actum est de castro Barensi, et de remissione adohae ex meis ad reginalem Mtem. accipiet; timeo, ne illi aliquando ex officialibus, quos ibidem in statu Barensi habet, periculum eveniat. Sunt duo fratres de Summa, qui statum et castrum gubernant et tertius hic illorum ulterius Sigismundus Loffredus, omnium, quos terra sustinet etc. Ille hic mirabiles facit sicophantias, quemadmodum latius ex reginali Mte. intelliget, ad quam me confero.

Alia non restant ad praesens, quam quod me Dtioni. vrae. rmae. humiliter commendo et rogo, dignetur interdum captivitatis hic meae reminiscere.. Nihil est, quod aliud a regia et reginali Mte. petam, quam ut cum gratia sua quam primum revocarer, quod pro summo beneficio, si quid unquam merui, sum habiturus. Datum ex Burgos in Hispania 20 Februarii anno 1528.

Rmae. Dtionis. vrae. humillimus Jo. Dantiscus.

87. Responsum a Sigismundo primo, rege Poloniae, oratoribus Ferdinandi, regis Ungariae et Bohemiae, archiducis Austriae.[1])

Teki Górskiego, nr. 3850, (minuta Krzyckiego z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X. 37.
Kod. Sap. VII. 33.

Sacra Mtas. regia, reverendi et magnifici domini, quemadmodum alias semper curavit modis omnibus omnia quecunque potuit fraterna officia cum erga caesaream Mtem., tum etiam erga

[1]) Na marginesie minuty dopisek Tomickiego: Responsum hoc datum est in Pyothrkow feria quinta ante cathedram Petri. W kodeksie Karnkowskiego dopisał Górski tęsamą datę: In conventu generali Petrcoviensi, XX. Februarii 1528.

erga serenissimum dominum Ungariae et Bohemiae regem exhibere, ita et nunc Mtas. sua memor necessitudinis et benivolentiae mutuae, quae illi cum Mtibus. suis intercedit, quicquid praestare poterit officii sui erga ipsum serenissimum dominum regem Ferdinandum, id factura est quam libentissime.

Et quod ad rem Ungaricam attinet, jam alias illius Mtas. satis cognovit desiderium et consilium Mtis. suae ad eam ipsam rem aliquibus aliis modis potius, quam armis, transigendam, idque non privato aliquo affectu, aut quod impedire vellet jus ac institutum illius Mtis., sed quod maxime verebatur, ne pro regno illo satis alioquin fracto et calamitoso, duobus inter se digladiantibus, tertius superveniens, communis omnium hostis, tanto facilius illud totum occuparet. Et quidem si regnum ipsum longius abesset, nihil ea res Mtem. suam permoveret; nunc cum utrumque hoc regnum sibi invicem parietes sunt communisque est fortuna utriusque, ac, ut Mtas. sua ab exploratoribus suis didicit, quanto apparatu ipse communis hostis accingit se ad regnum ipsum Ungariae occupandum, non potest non curare et maxima sollicitudine distineri Mtas. sua de statu ipsius regni conservando. Eaque fuit causa, quod Mtas. sua hactenus concordiam suadebat et illam magno etiam impendio suo tractari curabat.

Itaque et nunc rogat et obtestatur Mtas. sua serenissimum dominum regem Ferdinandum fraterno et integerrimo animo, perpendere secum dignetur illius Mtas. praesentem reipublicae christianae statum turbatissimum: consideret vires regni Ungariae fractas et collapsas: metiatur inimici nominis christiani magnitudinem et vicinitatem, disquirat secum ejus Mtas., si aliquis adhuc modus inveniri possit pacis et concordiae. In eo negotio offert Mtas. sua omnem curam et operam suam; nam et victi, in rebus desperatis, non minorem plerumque ruinam adducere solent, quam si victores essent.

Quod autem illius Mtas. postulat, ut Mtas. sua non praestaret illum subsidium adversario suo, id Mtas. sua hactenus omnibus modis curavit, ne se bello tam funesto immisceret, neve, cum regnum Ungariae sit secum et cum regno suo dudum confoederatum, sitque nunc in se scissum et divisum, si unam partem juvaret, cum altera foedus infringere videretur, atque haec utcunque satis rationis habent; si tamen maxime liceret Mti. suae alterutri parti suppetias ferre, nequaquam id praestare posset Mtas. sua tot assidue domesticis bellis et necessitatibus exposita. Et proinde non est opus adeo postulare illius Mtem., ut adversario suo nullum auxilium Mtas. sua praebeat, nam id facere neque sibi licere putat, neque si liceret, praestare posset, aut si maxime vel liceret, vel praestare posset, nollet tamen illius Mti. ullo modo aliqua in re incommodare, cui prae omnibus favet ex animo non secus, quam filio suo, successus quam felicissimos.

Quod autem ad dominum (Petrum Kmitam)[1] marsalcum curiae attinet, questus est ille vicissim graviter de civibus Bardejowiensibus, quod cum ex praefectura sua Scepusiensi rediret ad Russiam et iter illi per Ungariam commodius esset et compendiosius, cives Bardejowienses insidias illi in via libera et in locis angustis locaverunt, aliquot centena peditum cum pixidibus et aliis bellicis instrumentis, qui ipsum dominum marsalcum nihil tale suspicantem et qui nullam unquam hostilitatis causam vel signum illis praebuit, adorti sunt ex improviso et plerosque viros nobiles ex suis partim occiderunt, partim etiam vulneraverunt, ipseque, nisi animo praesenti et singulari dexteritate sua se tutatus fuisset, in summum discrimen adduci potuisset, unde nobilitas hujus regni, et praesertim illi finitimi, adeo sunt commoti et exacerbati, ut nisi Mtas. regia illos severo edicto continuisset, jam hactenus aliqua gravis vindicta et perturbatio secuta fuisset, et fatetur quidem

[1]) Petrum Kmitam dopisał Górski w kod. Karnk.

quidem ipse dominus marsalcus, cum illud iter faceret, comitem sibi contigisse oratorem regis Christianissimi, quem neque a se repellere illi licebat, neque, si maxime licuisset, aliquid hinc sinistri suspicabatur, cum jure gentium legati non solum principum christianorum, sed etiam infidelium et inimicorum ubique tuti sint et immunes. Quare cum ipse dominus marsalcus hanc gravissimam injuriam suam retulerat in Mtem. regiam, et Mtas. sua pollicita est illi providere de sarcienda hac ejus injuria, rogat plurimum Majestas sua serenissimum dominum regem Ferdinandum, ut illius Mtas. ipsos cives Bardejovienses coërcere et ipsi dno. marsalco justitiam cum [1]) illis ministrare dignetur. Interim Mtas. sua mandabit, ut omnibus subditis illius Majestatis ex regno Ungariae liceat versari libere et secure in hoc regno Majestatis suae, praeter Bardejovienses, veretur enim Mtas. sua, ne se absente consanguinei et amici eorum nobilium, quos illi trucidarunt, cum eos viderent apud se versari, dolore commoti aliquid hostile in illos committerent, praesertim ut sunt plerique non possessionati, quos coërcere difficillimum esset, et proinde censet Mtas. sua, ut ipsi Bardejovienses contineant se tantisper a commercio in hoc regno, donec animi nobilium exulcerati mitescant et justitia domino marsalco ministretur.

De occlusione itineris in Slesiam jam alias significavit Mtas. serenissimo domino regi Ferdinando causas, propter quas coacta fuit hoc iter occludere et prohibere, nempe ob cusionem monetae Swidnicensis ad instar monetae hujus regni, in collusionem subditorum Majestatis suae et summum regni detrimentum, deinde propter Luteranismum in Slesia vigentem, quo nollet ejus Majestas subditos suos per commercia illorum hominum corrumpi, quas rationes justissimas ipse serenissimus dominus rex Ferdinandus approbaverat et in eam partem acceperat. Cum itaque et moneta Swidnicensis etiamnum cum titulo serenissimi olim regis Ludovici, quod profecto indignissimum est, cudatur, data opera in maximum damnum hujus regni, et Luteranismus nihilominus viget, ut prius, neque edicta regia quicquam prosunt, non est integrum et licitum Mti. suae, nisi cessantibus ipsis causis et repenso regni damno, edictum suum et occlusionem viae in Slesiam relaxare. Nam quod ad cusionem novae monetae attinet, quae in his dominiis utriusque Mtis. in gradu et valore conveniret, Majestas sua jam cudere coepit novam monetam sibi et regno suo competentem, quam illi jam citra magnam jacturam mutare non licet.

Quod ad rem Moscoviticam attinet, agit et habet immensas gratias sacra Mtas. regia cum caesareae Mti., tum etiam serenissimo domino regi Ferdinando, de hac cura et studio componendae pacis inter Mtem. suam et illum ducem, quam tametsi ille ex re sua et facere et servare solet, suumque inde commodum magis metitur, quam operam et auctoritatem tantorum principum: tamen est haec opera Mtum. suarum tam sedula et fraterna ejus Mti. multo gratissima, quam illis vicissim omnibus fraternis officiis semper referre curabit.

De ducatu Mazoviae nunquam sibi persuaderi passa est Majestas sua, quod serenissimus dominus rex Ferdinandus aliquid adversus Mtem. suam et hoc regnum committere deberet, cum nulli incognitum sit, eum ipsum ducatum esse corpus et hereditatem regni Poloniae, neque ad alium, quam ad Mtem. suam et hoc regnum, non solum jure feudi, sed etiam jure hereditario pertinere.

Quod serenissimus dominus rex Ferdinandus cupiat affinitatem inter filiam suam et filium Mtis. suae regiae inire, est Majestati suae multo quam dici potest gratissimum, annuitque Majestas sua tam libenter quam quod maxime huic instituto de affinitate ipsa contrahenda, quam Mtas. sua curabit omni studio integram et inviolatam conservare.

Offert

[1]) W kod. Karnk. poprawił Górski c u m na d e.

Offert demum Majestas sua se, liberos, regnum, dominia et facultates suas ipsi serenissimo domino regi Ferdinando ad omnia officia, quae proficisci [1]) a Mte. sua possunt, praestanda, et se illi, ut fratri et tanquam filio charissimo in amorem commendat.

Teki Górskiego, nr. 901 i 3850 (minuta Krzyckiego z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 36.
Kod. Sap. VII, 32.

88. Responsum a Sigismundo primo, rege Poloniae, oratoribus Joannis, regis Ungariae.

Francisco de Frangepanibus archiepo. Colocensi, Stephano Broderico, epo. Sirmiensi,[1]) datum in conventu Pyetrkoviensi generali XX. Febr., qui erat feria quinta ante cathedram Petri a. 1528.

Sacra Mtas. regia, reverendissimi domini, meminit quidem necessitudinis et affinitatis, quae illi cum serenissimo domino Joanne, Ungariae rege, intercedit, meminit item communium foederum horum regnorum, considerat plane, quod fortuna et successus unius regni communis esse videtur utriusque, ac proinde cupit et optat ex animo Mtas. sua regia, ut ipsi serenissimo domino regi et regno Ungariae omnia prospere et feliciter succedant non secus, quam sibi ipsi et regno suo proprio.

Verum quod ad suppetias illius Mti. ferendas attinet, cogitavit et consultavit hactenus secum et cum subditis suis ejus Mtas., quo pacto posset illius Mti. non deesse, eaque fuit causa, quod tantisper hic vras. reverendissimas Dominationes retinuit. Non potuit autem Mtas. sua ullum modum vel rationem invenire dandi suppetias illius Mti. inprimis propter ingens domesticum periculum, quod, ut Mtas. sua ab exploratoribus suis didicit, imminet huic regno a Turcis et Tartaris, qui sese ad invadendum illud ipso primo vere modis omnibus accingunt. Deinde cum Majestas sua et regnum hoc suum foedus habeat cum regno Ungariae, et illud, quod dictu est dolendum, et duos reges habet et bifariam scissum est: si Majestas sua uni parti suppetias ferret, cum altera adversus foedus agere videretur, cum utraque pars sibi jus, sibi regnum et dominium totum vendicat.

Porro non censuit ab initio, neque etiam nunc censet Mtas. sua, esse christiani principis, nedum utrique parti necessitudine juncti, immiscere se bello tam funesto et exitiabili, proindeque ita secum statuit, neutri parti quo ad bellum, utrique vero quo ad pacem et concordiam adesse, quod institutum suum cum jam alias utrique parti declaravit, et alteri etiam sese obstrinxit, non est illi jam nunc integrum contra fidem et bonam existimationem suam quicquam aliter agere.

Postulat itaque Majestas sua a vestris reverendissimis Dtionibus., ut illius Mti. has justissimas rationes declarare [3]) et Mtem. suam excusare velint. Cum autem Mtas. sua certissimum habet documentum, quod imperator Turcorum constituerit omnino primum Ungariae, deinde etiam hoc regnum occupare, rogat et obtestatur Mtas. sua serenissimum dominum regem Ungariae, rationem habere dignetur illius Mtas. tanti discriminis sui ipsius et patriae suae, perpendat vires suas ad tot talesque hostium impetus reprimendos, non inurat hanc notam perpetuam nomini suo, si per illam regnum tam nobile interire et in potestatem immanissimi hostis venire deberet.

Disquirat adhuc secum illius Majestas modos et conditiones aliquas pacis et concordiae cum serenissimo rege Ferdinando, ut unitis viribus tanto discrimini occurri possit, qua in re offert

[1]) Proficisci dopisał Górski w kod. Karnk. — [2]) Nazwiska posłów dopisał Górski w kod. Karnk. — [3]) Do tego ustępu sięga tekst w nr. 901 Tek Górskiego, dalszy tekst aż do końca dokumentu mieści się w nr. 3850 Tek G.

offert Mtas. sua illi omnem operam, studium et facultatem suam; alioquin videre videtur Mtas. sua, si illi duo reges pergent diutius inter se digladiari, tertius superveniens utrumque explodat et regnum intereat. Itaque rogat etiam atque etiam Mtas. sua, ut si quid adhuc salutis reperiri potest, cogitare secum illius Mtas. et significare ejus Majestati dignetur, non gravabitur enim id omne facere Majestas sua, quodcunque opportunum videbitur ad statum illius Majestatis et regni Ungariae salvandum et dissidia intestina honestis mediis componenda.

Cum autem Majestas regia plane videat regnum Ungariae sub hac controversia in praeceps ire, et interest Mtis. suae, ruenti vicino parieti providere, statuit iterum apud utrumque regem concordiam per oratores suos tentare rogatque plurimum Mtas. sua vestras reverendissimas D., cum ad serenissimum regem suum redibunt, persuadeant illi, ut potius quaslibet alias conditiones pacis ineat, quam ut se et regnum suum vel ad interitum, vel ad aliquam indignam servitutem redigat; permoverunt enim multum ejus Mtem. verba novissima vestrarum reverendissimarum D. de instituto principis sui. Nam si illius Mtas. aliquid committeret, quod et minime congrueret regi christiano et in discrimen universam rempublicam christianam secum traheret, quod praemium a Deo, et quale nomen apud posteros sibi compararet, vestrae. rmae. Dominationes secum expendant. Et proinde persuadeant ejus Mti. modis omnibus, ut hujusmodi funestas rationes in animum suum non inducat, sed illa, quae pacis et salutis sunt, potius sectetur.

89. Sententia regis Sigismundi occasione certae insinuationis et infamationis quorundum nobilium ducatus Masoviae de vita ducali.

Metryka koronna Ks. 44, str. 102.
Kod. bibl. Ks. Czartor. Akta za panowania Zygmunta I, 1519—1528.

Nos Sigismundus etc. Significamus etc. Quomodo cum anno superiore mortuus esset ill. olim dnus. Janussius, dux Masoviae, antecessor noster immediatus, sincere nobis dilectus, nosque eo vita functo illius ducatus ad nos et regnum nostrum devoluti possessionem accepissemus, delatumque fuisset ad nos, quomodo ipse dominus dux ex veneno sibi dato obiisset: Nos intelligentes tam detestandum scelus et salutem principis tangens, rejeceramus primum causam ipsam ad nostrum in ducatum Masoviae tunc proxime felicem adventum et ulteriorem debitam instructionem in ea re accipiendam. Venientibus tandem nobis ad insignem illius ducatus civitatem Varschoviam maturo apud se consilio et frequenti consultatione causam eandem diligentius modis omnibus perquirentes et intra se cum consiliariis nostris expendentes, uti gravem et principis salutem spectantem distulimus usque ad primum et proximum totius regni nostri conventum generalem ex tunc celebrandum, quo una cum consiliariis nostris omnibus negotium hoc tantae importantiae maturo et communi consilio transigamus utque interdum temporis consiliarii ducatus Masoviae de praemissis debitam inquisitionem facerent et nobis significarent, commiseramus; adveniente deinde conventu generali Cracoviense totius regni pro festo S. Luciae per nos celebrato, dum ipsi consiliarii Masoviae nullum legitimum documentum, sed neque verisimilem notam super praemissis fecissent, apud nos existentes personaliter retulerunt, ideo iterum causam ipsam et ejus circumstantias et suspiciones omnes debite et legitime dispicere et perquirere volentes rursus in conventum Piotrkoviensem modernum rejecimus, in quo vocatis etiam ad se illius ducatus Masoviae consiliariis et terrarum nuntiis cum universo

universo senatu regni nostri negotium hoc maximae, ut praefati sumus, importantiae recensuimus, discussimus et rite examinavimus, et tamen nullam notam sed neque aliquod vestigium aut verisimile signum comperimus de violenta et artificiali morte ipsius olim dni. ducis Janussii, quin immo aperte constitisse et luce meridiana clarius fuisse et esse notorium, dictum dnum. Janussium, ducem, omnibus ecclesiasticis sacramentis devote susceptis morte naturali obiisse et mortuum esse. Et propterea pronuntiavimus et praesenti publico edicto pronuntiamus, decernimus et declaramus omnes delationes, accusationes, testimonia de intoxicatione, morte artificiali praefati dni. ducis, quomodolibet et ubilibet facta, fuisse et esse vana, invalida et nullius roboris ac momenti, neque alicui personae vel aliquibus personis cujuscunque sexus, status et conditionis existentibus honori et bonae famae nocuisse, neque unquam temporibus perpetuis nocere posse, cum, ut praemissum est, manifeste constet, ipsum dnum. ducem non arte nec opera humana, sed solius domini Dei omnipotentis, qui mortis et vitae ordinariam habet potestatem, voluntate ex hac vita sublatum et mortuum esse; nam sicut in vita de intoxicata et artificiali morte ejusdem dni. ducis nihil penitus constabat, ita in ejus corpore mortuo nulla, sed neque minima signa veneni sibi dati apparuerunt. Quod ut ad omnium et singulorum notitiam deveniat, mandamus omnibus et singulis harum notitiam habituris, quatenus praesens decretum nostrum, dum requisiti fuerint, ad libros judiciorum et officiorum quorumvis judiciorum inducant. In quorum omnium et singulorum praemissorum testimonium sigillum nostrum proprium est subappensum. Actum et datum Petricoviae in conventu generali fer. V. prox. ante f. S. Petri ad Cathedram. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo, regni vero nostri XXII.[1])

Relatio magnifici Christophori de Schidlowiec,
castellani et capitanei Cracoviensis ac regni Poloniae cancellarii.

90. Literae conventuales ad primores ducatus Masoviae.[2])

Kod. Karnk. X, 23.
Kod. Sap. VII, 23.

Sigismundus, rex Poloniae etc. Magnifice sincere nobis dilecte. Nunquam existimavimus evenire potuisse, ut ex ducatu nostro Mazoviae tot difficultates, omnes nostras et Reipublicae actiones renovantes, exoriri debuissent, ac exortas esse re ipsa comperimus, ita ut etiam conventum hunc regni nostri, quem modo hic Piotrkowiae agimus, in tam longum tempus produxerint. Quam rem tametsi non satis aequo animo ferimus, tamen quantum ad reductionem ducatus ipsius ad ferenda onera regni nostri, quam omnino consequi volumus, attinet: ne in hac parte videamur communi bono et defensioni publicae deesse, praesertim cum legati Mazoviae, qui hic apud nos sunt, id a nobis instanter contenderent, conventum generalem, quem etiam particulares de more praecedent, toti ducatui Mazoviae, nuper

[1]) D. 20. 2. 1528. — [2]) W kod. Sapieżyńskim znajduje się następująca zapiska, pochodząca niewątpliwie od Górskiego: Quia nuntii Masoviensis ducatus ex conventu illorum particulari Varssoviensi Piotrcoviam venerant ad comitia regni generalia non habentes plenam facultatem, idcirco nuntii aliarum terrarum regni nolebant de republica consultare. Quam ob rem rex mox intra illa comitia regni generalia alterum conventum Masovitis indixit Varsseviae post festum Sanctorum trium regum et legatos illuc misit. At Masovitae in eo ipso conventu Varsseviensi non nisi de jure feudi ac de Masovia duci Annae virgini tradenda consilia habebant et idcirco nihil certi ad regem Piotrcoviam ad comitia ille generalia attulerunt praeter ipsam feudi petitionem. Rex finitis illis comitiis Piotrcoviensibus tertium Masovitis indixit conventum Varsseviae pro dominica Judica per literas infrascriptas.

nuper in potestatem nostram devoluto, ad feriam sextam proximam ante dominicam Judica proxime venturam [1]) Warschoviae celebrandum indiximus indicimusque per praesentes. Qua propter S. tuam hortamur, mandantes, ut se ad eundem conventum ad locum et diem superius designatum conferat et cum reliquis ejusdem ducatus consiliaris et nuntiis terrarum, audita legatione nostra, quam oratores nostri, quos de medio consili nostri ad eum ipsum conventum missuri sumus, in commune consulat cum de ceteris Reipublicae ac ipsius ducatus rebus, tum ut ipsa reductio ducatus Mazoviae, ex qua multa commoda consecutura speramus, sine ulteriori dilatione tandem ad effectum deducatur, pro fide erga nos tua et gratia nostra aliter non factura. Datum.

91. Sigismundus, rex Poloniae, capitaneis ducatus Masoviae.

Kod. Karnk. X, 24.
Kod. Sap. VII, 25.

Generose fidelis nobis dilecte. Non potuimus satis aequis auribus audire, quod subjecti nostri ducatus Mazoviae in conventu Warszoviensi, quem eis feria quarta post Trium Regum festum proxime praeteritum indixeramus, non modo mandatis nostris, quae eis per consiliarios nostros, reverendum d. Joannem, episcopum Posnaniensem, et magnificum Andream de Nyszczicze, palatinum Plocensem, significaveramus, non acquieverunt, -verum nuntios suos non cum pleno mandato, sed cum praescripto quodam ex eodem conventu huc ad nos Pyotrkoviam miserunt, quibus rebus effectum est, ut praeter alia multa incommoda, quae ex tali eorum adversus nos contumacia Reipublicae obtigerunt, etiam omnes actiones praesentis conventus intermissae sunt, et conventus ipse in tam longum tempus est protractus. Quae ut res nobis praeter opinionem et voluntatem nostram evenit, ita nobis non potest non plurimum displicere, nemini enim incognitum est, quot et quanta commoda et fructus secum adfert concordia et unitas, rursus scissio, disparitas atque inaequalitas quibus periculis et ruinis exposita est. Quod nos quoque considerantes et volebamus jam pridem et modo volumus, ut ducatus ipse noster Mazoviae in ferendis communibus oneribus regni nostri se, prout merito debet, conformaret oneraque belli et contributionum aequaliter ferret, quo junctis viribus et consiliis perpetuis hostibus nostris, regnum nostrum undique lacessentibus, resisti posset, et inde honor, decus, tranquillitas, immo salus universis subditis nostris proveniret. Quod quo tandem ad effectum deducatur, praesertim cum nuntii ipsi istius ducatus nostri Mazoviae, ad nos huc missi, etiam hoc ipsum instantissime flagitaverint, ex superabundanti iterum alium conventum generalem Warssoviae ad feriam sextam ante dominicam Judica proximam indiximus, quem ut particulares conventus de more praecederent, indiximus conventum particularem in districtu Zakroczimensi capitaneatus tui ad feriam secundam post dominicam N. De quorum conventuum indictione, ne quisquam subjectorum nostrorum ignorantiam praetegere valeat, quominus conventui interesset, Fti. tuae mandamus, quatenus visis his literis nostris, mox talem conventum particularem in capitaneatu tuo ubique in locis celebribus, prout moris est, denuntiari, publicari et proclamari facias et universae illius districtus nobilitati in tali conventu futuro nomine nostro denunties ea, quae ad te perscripsimus, eisque verbis nostris mandes: ut in primis nuntios viros graves et prudentes eligant, et eos ad conventum Warschoviensem proximum cum plena facultate mittant, deinde ut ulteriori dilatione et tergiversatione posthabita, cum quantum ad annexionem ducatus ipsius regno nostro Poloniae et ferenda aequaliter cum illo onera belli et contributionum attinet, tum in aliis rebus omnibus mandatis nostris, quae

[1]) D. 27. 3. 1528.

quae eis per consiliarios nostros, quos ad conventum Warschoviensem proximum hinc mittemus, per omnia acquiescant et pareant et quumprimum generalem conventum regni nostri Piotrkoviae aut alias, ubi nobis collibuerit, nos agere contigerit, ad eum consiliario et honorarios atque etiam terrarum Mazoviae nuntios mittant, ea conditione, ut tam ipsi consiliarii quam terrarum nuntii inter reliquos senatores et nuntios consedeant pariterque cum eis de Republica ceterisque regni negotiis et necessitatibus tractent et consulant, pro gratia nostra non aliter factura. Datum etc.

92. Legatio a Sigismundo, rege Poloniae, ad conventum ducatui Mazoviae in Varssevia indictum.

Kod. Karnk. X, 25.
Kod. Sap. VII. 26.

Post denuntiatam regiae Mtis. salutem et gratiam, postque literas creditorias exhibitas domini oratores vel unus eorum verba faciet in hunc qui sequitur modum.

Regia Mtas., dominus noster gratiosissimus, non sine maxima gravitate animi sui fert, quod vos semel atque iterum per binos legatos, eosque insignes, a sua Mte. ad vos missos, humanissime simul et clementissime admoniti, quo justitia, ratione et debito vestro ita exigentibus, regno Poloniae, a quo tot annos sejuncti eratis, rursus vos uniretis, adnecteretis et onera defensionis publicae subiretis, cui tamen suae Mtis. admonitioni, tam justae tamque clementi, parere contempsistis et usque in hanc diem contumaciter resistitis et adversamini.

Mandaverat siquidem vobis eadem Mtas. regia inter cetera mandata hoc praecipuum, ut consiliarios ducatus hujus et nuntios terrarum Mazoviae Piotrkowiam ad conventum generalem regni novissime Piotrkowiae habitum, cum plenaria facultate et mandato mitteretis, qui pariter et concorditer cum ceteris consiliariis et nuntiis regni cum de defensione publica tum de aliis totius regni necessitatibus in locis suis considentes tractarent et consulerent.

Vos vero misistis quidem nuntios vestros, sed eo modo, ut perinde factum est, acsi eos non misissetis, non enim cum plenaria facultate omnia tractandi eos misistis, sed cum limitatione et praescripto quodam, ita ut idem ipsi nuntii vestri ad nullum Reipublicae et publicae defensionis negotium apparuerint esse utiles, quin ob eam rem omnes supranominati conventus actiones interturbatae et plurima Reipublicae negotia impedita et remorata exstiterunt.

Quae contumacia et inobedientia vestra non modo ipsam regiam Mtem., clementissimum dnum. nostrum, sed etiam universos ordines regni gravissime erga vos commovit et exulceravit.

Palam etenim est atque ita notorium, ut nec ipsi infitiari potestis, mox post excessum ab humanis dominorum ducum vestrorum vos regiae Mti. et coronae immediate subjectos ei quoque fide et servitute obstrictos esse, non minus atque alias omnes terras regni Poloniae ideoque aequissimum erat, vos a Mte. sua admonitos, consiliarios et nuntios vestros cum plenaria facultate ad conventum generalem regni mittere, qui in locis suis considentes, cum reliquis regni consiliariis et nuntiis pariter et unanimiter tractassent consuluissentque in commune cum de ceteris regni necessitatibus, tum praecipue, quibusnam modis et rationibus perpetuis regni hostibus Tartaris resisti possit, et eis quidem hostibus, qui neque justo bello, neque collatis signis congredi soleant, sed incursionibus duntaxat et latrociniis sine intermissione regnum ipsum depopulantur, infestant et depraedantur.

Quamquam

Quamquam vero Mtas. regia propter superius dictam vestram contumaciam et inobedientiam jure et merito gravius et severius in vos constituere potuisset, tamen quia iidem ipsi nuntii vestri, quos novissime ad conventum Pyotrkoviensem miseratis, excusabant vos errorem quendam et ignorantiam vestram in hoc praetexentes, quod videlicet conventus in ducatu isto Mazoviae per Mtem. suam vobis indicti non satis tempestive designati fuissent, ita ut non ad omnes ex nobilitate notitia voluntatis et legationis Mtis. suae pervenire potuit, et hinc factum esse, quod ipsi nuntii Mazoviae non cum plenaria potestate ad conventum Pyotrkoviensem venerint, ideoque iidem ipsi nuntii vestri supplicaverunt humiliter Mti. suae regiae, ut sua Mtas. hoc factum vestrum casui potius cuidam fortuito, ignorantiae atque errori, quam contumaciae et rebellioni ascribere dignaretur, humilibusque precibus rogaverunt et obsecraverunt suam Mtem., ut ad certum et competentem locum et tempus alium conventum vobis indicere et oratores ad eum ex medio consilii sui cum priorum mandatorum repetitione mittere dignaretur: ad quam petitionem simul et ad intercessionem consiliariorum suorum Mtas. sua acquievit benigne precibus dictorum nuntiorum vestrorum indixitque vobis conventum praesentem hic Warsoviae ad hodiernam diem nosque ad eundem conventum huc in medium vestri misit, ut quae mens, quae voluntas quodque imperium suae Mtis. sit, vobis denuntiaremus et declararemus.

Et primum sua Mtas. vobis significare mandavit: in proxime praeterito conventu Pyotrkowiensi multa utilia et salubria esse constituta ad hostiles incursiones arcendas et ad cetera ornamenta et commoda regni et reipublicae plurimum conducibilia, utpote contributionem generalem per totum regnum Poloniae, ex qua exercitus militaris ali atque teneri possit, et imprimis ex singulis mansis ut 16 grossi contribuantur constitutum esse, item ex civitatibus et oppidis constitutam esse contributionem civilem, quae vulgo Schoss vocatur, praeterea contributionem, quae Czopowe dicitur, ad extremum motionem omnium terrarum regni generalem, ubi magna vis hostilis ingrueret, cui praesidium militare, quod publico stipendio in terris Russiae servabitur, resistere seque opponere non posset. Sed cum vos, domini Mazowitae, ad talem conventum non cum plenaria potestate nuntios misistis, vult sua Mtas. et mandat, ut etiam ad superius nominatas contributiones consentiatis et eas contribuatis.

Si enim ad expeditionem bellicam generalem serviendam suae Mti. obligati estis et tenemini, prout ceterae terrae regni tenentur, quae servitus est durior majorisque impendii et sumptuum: cur ad contributionem conferendam (quae multo levior est et tolerabilior, et qua nihilominus parvis hostium insultibus absque generali motione resisti potest) tergiversari deberetis?

Illud etiam sua Mtas. vult et mandat, cum primum quemque conventum generalem regni Poloniae haberi contigerit, vos quoque consiliarios et nuntios Mazoviae ad talem conventum mittatis, non eo modo, quo mittere soliti estis, sed cum plenaria facultate et mandato, ut videlicet hi ipsi consiliarii et nuntii vestri, inter reliquos consiliarios et nuntios regni in locis suis consedentes, perinde ac jam unum corpus effecti et unius domini et regis subditi tractent, deliberent et consulant cum de universis regni et reipublicae negotiis et necessitatibus, tum ut saepe nominatis hostibus regni quam minimo negotio et absque motione generali resisti possit.

Praeterea sua Majestas regia ita existimat, non ignorare vos, institutam esse in regno Poloniae taxationem bonorum et fundorum, ex qua taxatione multa et magna commoda Reipublicae proventura sunt, quae taxatio in aliqua sui parte jam perfecta est, in aliqua modo perficitur. Igitur mandat sua Mtas., ut cum ad primum quemque conventum generalem

neralem regni vocabimini, ita ad eum parati et instructi veniatis, ut talem taxationem quam expeditissime et sine difficultate vos quoque subeatis.

Et haec sunt, quae sua Mtas. regia per nos vobis denuntianda imperavit, nec dubitat, quin eis, prout fideles subditos decet, sine ulteriori altercatione parebitis, ut jure tenemini.

Namque alioqui, si vos sua Mtas. regia in pristina vestra contumacia et rebellione perstare intellexerit, neutiquam vult esse deinceps spectator duntaxat et admirator pervicaciae et temeritatis vestrae, quin quaeret modos et vias, quibus tandem velitis nolitis eogamini ad ea omnia, ad quaeve jure tenemini, et ad ea, quae sua Mtas. tanquam verus et dominus vester imperabit.

Quantum vero ad jurium et privilegiorum vestrorum confirmationem — (pro qua tantopere nuntii vestri laborarunt) — attinet, sciatis, suam Mtem. in hoc esse, ut ea vobis confirmet, dummodo vos omnia superius expressa et imperata prius faciatis.

De inaequalitate vel imparitate mansorum — (quia videlicet mansi terrae Mazoviae, w l o k i vulgariter dicti, dicantur minores esse, quam mansi terrarum Poloniae, qui l a n i dicuntur) — non vult sua Mtas., ut causemini vel in hoc ullam difficultatem ad contributiones solvendas objiciatis, vel praetexatis, quandoquidem in regno etiam Poloniae inaequales mansi sunt et nihilominus ex omnibus in communi aequaliter sine quavis exceptione contributio solvi solet.

Et haec sunt, quae regia Mtas. dominis oratoribus suis, ad Mazoviam ad conventum Warschoviensem ituris, illic agere mandavit, quae illi pro sua prudentia ita extendent et moderabuntur, prout res et dignitas Mtis. suae et regni utilitas ac tranquillitas postulabit. Sed ad extremum si domini oratores regii Mazovitas nimium lamentantes et se plus justo gravatos esse vociferari animadverterent sique inducere eos non poterint, ut omnes contributiones, in conventu praeterito regni generali decretas, suscipiant et contribuant, illud eis proponant, ut in hac subita et vehementi Reipublicae necessitate saltem talem contributionem pro defensione communi conferant, qualem olim ducibus suis in summis eorum necessitatibus conferre et contribuere soliti erant et qualem Mti. suae, ut eorum novo domino, jure dare et contribuere tenentur.

Hanc esse suae Mtis. voluntatem et immutabile mandatum.

93. Literae universales de custodiendis et occludendis itineribus in Slesiam.

Metryka koronna
Ks. 44, str. 40.
Ks. 43. str. 432.
Teki Górskiego, nr. 1058, (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 20.
Kod. Sap. VII, 20.

Sigismundus, rex Poloniae etc. Universis et singulis principibus tam spiritualibus quam saecularibus, reverendissimis ac reverendis in Christo patribus dominis archiepiscopis, episcopis, nec non magnificis, generosis, nobilibus, famatis et providis, palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, terrigenis et quibusvis aliis dignitariis, officialibus et eorum vices gerentibus, heredibus, advocatis, scultetis civitatumque et oppidorum nostrorum et quorumcunque subditorum nostrorum magistris civium, consulibusque ac comitatibus et generaliter omnibus subditis nostris cujuscunque conditionis praeeminentiae existentibus, ad quos praesentes literae nostrae pervenerint et ad quorum notitiam verisimiliter infrascriptum edictum nostrum perlatum fuerit, sincere et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Sincere et fideles dilecti. Jam alias declaravimus vobis, propter quas causas coacti fuerimus occludere et prohibere iter in Slesiam, nempe ob cusionem monetae Swidnicensis ad instar monetae regni nostri, in collusionem subditorum nostrorum

rum et magnum regni nostri detrimentum, deinde propter Lutheranismum in Slesia vigentem, quo nollemus subditos nostros per commercia illorum hominum infici et corrumpi. Quia vero eadem moneta Swidnicensis etiamnum cum titulo sermi. olim domini Ludovici, Ungariae et Bohemiae etc. regis, quod indignissimum est, data opera cuditur in maximum regni nostri damnum et nihilominus Lutheranismus viget in Slesia, ut prius, de consilio universi senatus et instantia regnicolarum nostrorum inhibitionem et occlusionem omnium itinerum in Slesiam non solum prorogandam, sed etiam diligentius custodiendam esse, decrevimus. Ac ut eadem inhibitio et occlusio suum debitum sortiatur effectum, vobis omnibus et singulis supradictis cujuscunque ordinis et conditionis existentibus strictissime mandamus, ut eam inhibitionem et occlusionem firmissime observetis, ita quod nemo audeat in Slesiam res et merces aliquas tam grandes quam exiguas, cujuscunque qualitatis fuerint, praeterquam sal nostrum regium, vehere et inferre, sed nec ad alias quoque quascunque remotiores partes easdem res et merces de regno nostro per ipsam Slesiam ducere et boves etiam ad aliqua alia loca extra ipsum regnum nostrum praeterquam ad ea, quae jam pridem per nos designata et per literas nostras universales ante biennium omnibus notificata sunt, pellere quovis modo, praetextu vel colore praesumat, nedum sub amissione ipsorum boum merciumque et rerum, quas contra praesentem inhibitionem nostram de regno nostro quispiam duxerit, verum etiam bonorum suorum omnium confiscatione. Liberum autem esse debet mercatoribus aliisque hominibus ex Slesia et ex aliis extraneis partibus quibuscunque ad civitates et oppida regni nostri, ad ea videlicet, ad quae ab antiquo ire consueverant, cum rebus et mercibus suis quibuscunque venire et ibidem emere aut vendere, resque et negotiationes suas ac alias actiones licitas cum nostris subditis exercere et contra e regno libere cum bobus, rebus et mercibus, solutis datiis et theloneis debitis et consuetis, exire, subditis vero nostris licebit ad alias provincias et regna praeterquam ad Slesiam res et merces quascunque de regno transmittere et ducere, dummodo per ipsam Slesiam illas non transmittant nec duci aut vehi faciant. Et quia non verentur plurimi hanc prohibitionem et occlusionem viae in Slesiam multiplicibus modis transgredi in contemptum decretorum et mandatorum nostrorum et in pessimum inobedientiae exemplum, volentes tam custodes quam etiam negotiatores hanc ipsam prohibitionem nostram transgredientes severius coërcere, statuimus cum universis consiliariis et terrarum nuntiis in generali conventu Pyotrcoviensi proxime praeterito congregatis: quod quicunque deinceps compertus fuerit, eandem prohibitionem nostram transeundi cum mercibus aut frumentis qualibuscunque aut etiam cum paratis pecuniis ad negotiandum in Slesiam ultra fines regni nostri transgressus esse, et capite et bonis omnibus puniri debet; qui vero non fuerit in transgrediendo deprehensus, sed vel furtim vel conniventia capitaneorum transgressus et dehinc domum reversus si testibus idoneis convictus fuerit, eam transgressionem commisisse, poena capitis punietur. Si autem quispiam capitaneorum permiserit aliquem contra ipsam prohibitionem nostram in Slesiam transire, et capitaneatus sui officio privari et alia, quae nobis condigna videbitur, animadversione puniri debebit, si vero fuerit capitaneus, qui bona nostra habuerit oppignorata, perdere debebit absque ulla spe veniae summas omnes pecuniarum, quas in ipsis bonis nostris habuerit inscriptas eademque bona ad nos ipso facto devolvi debebunt. Quod si burgrabius, vicecapitaneus aut notarius capitanei modo supradicto excesserit et idoneo testimonio convictus fuerit, quod aliquem contra prohibitionem nostram transire in Slesiam permisissset quovis colore vel praetextu, illum ejus dominus vel evincere vel ad poenam capitis et bonorum nobis extradere debebit. Atque huic constitutioni et decreto nostro

universi

universi homines tam nostri quam subditorum nostrorum spiritualium et saecularium subjacebunt, nec quisquam exemptus esse debebit. Proinde vobis, locorum capitaneis ac proconsulibus et consulibus civitatum et oppidorum severe praecipimus, ut hanc nostram constitutionem ac edictum ubique in omnibus locis publicis, ad quae homines frequenter convenire solent, denuntiari et proclamari faciatis, ne aliquis ignorantiam praetendens aliquid contra eam constitutionem nostram committat et poenas suprascriptas incurrat. Vos vero capitanei, in custodiendis et pervestigandis locis omnibus ac itineribus, ne quis eandem prohibitionem nostram transgrediatur, curam et diligentiam omnem adhibeatis et quoscunque offenderitis, vel deprehenderitis in minima quaque re contra hanc prohibitionem nostram excessisse, illius res et ipsummet capiatis et usque ad instructionem et documentum nostrum detineatis, sub poenis contra capitaneos et officiales negligentes statutis et pro gratia nostra non aliter facturi. Datum Pyotrcoviae feria quinta prox. ante festum Scti. Petri ad cathedram 1528. [1]

94. Literae ad capitaneos pro retentis contributionibus anni praeteriti 1527 extrahendis.

Metryka koronna
Ks. 44, str. 51.
Ks. 43, str. 423.
Teki Górskiego, nr. 890, (minuta).
Kod. Karnk. X, 13.
Kod. Sap. VII. 14.

Sigismundus rex Poloniae etc. Generoso etc. fideli dilecto, in absentia ejus vicecapitaneo gratiam nostram.

Generose, fidelis dilecte. Certo edocti sumus per exactores contributionum publicarum anni praeteriti, quod plerique nobiles ac cives aliique subditi nostri in capitaneatu tuae Ftis. bona sua possidentes partim per contumaciam partim vero per negligentiam ipsas contributiones anni praeteriti, videlicet decem octo grossorum, exactiones civiles, census nudos et alias contributiones ejusdem anni praeteriti hactenus non extradiderint in magnam jacturam et detrimentum Reipublicae, quod non possumus non molesto et indignanti animo ferre, nolentesque solutionem integram dictarum contributionum ulterius differri, quandoquidem nemo ex eo, quod universos generali constitutione stringit et onus regni in commune obeundum aut sublevandum concernit, potest se excipere vel excusare et urgens necessitas solvendi residui stipendii militibus mercenariis, qui ipso anno praeterito in Russia militarunt, nobis incumbat: mandanus tuae Fti. districte, ut absque omni mora in foris civitatum et oppidorum aliisque locis publicis capitaneatus sui proclamari et auctoritate nostra mandari faciat, quod omnes et singuli, cujuscunque status et conditionis existant, qui dictas contributiones anni praeteriti in toto vel in parte non extradiderunt, illa omnino ad dominicam Laetare proxime futuram extradant et ad manus exactorum ejusdem anni praeteriti plene consignent sub poena dupli. Quod si aliquis illorum ad eandem dominicam Laetare proximam contributiones praefatas anni praeteriti non solverit et tuae Fti. per exactores ejusdem anni delatus fuerit, eadem tua F. id domino seu tenutario ac possessori bonorum, de quibus non fuerint solutae ipsae contributiones anni praeteriti, declaret admoneatque illum aut ejus procuratorem seu officialem per suas literas, quas per ministerialem ad eum mittere aut in ejus absentia in bonis illius, de quibus non fuerint solutae praedictae contributiones, poni illas facere debet, ut easdem contributiones alias poenam dupli infra octo dies a die praesentationis et positionis literarum

[1] D. 20. 2. 1528. Tę datę ma Metryka kor. ks. 44. — W ks. 43 Metryki koronnej, jako też w Tekach i kodeksach Górskiego ma dokument ten datę późniejszą: Datum in Radom fer. IV. cinerum (tj. 26. 2. 1528).

rarum tuae Ftis. computandos extradat seu extradi faciat. Quod si id non fecerit, tunc ipsa F. possessionem eorundem bonorum adeat et accipiat in illaque se auctoritate nostra intromittat et teneat ea tamdiu, donec poena dupli, hoc est principalis summa contributionis debita et non soluta et tantundem ratione poenae exsolvatur. Quod si quispiam dominus, tenutarius et possessor tuae Fti. intromissionem in bona sua prohibuerit seque illi opposuerit aut illam postea de possessione eorundem bonorum ejecerit, talis citatus per ipsam tuam Ftem. ad jus castrense banniri et proscribi de regno nostro debet tanquam rebellis et publicis decretis se opponens. Volumus autem et mandamus, ut tua Ftas. diligenter non habendo respectum ad quempiam praesens mandatum nostrum exsequatur, pro debito officii sui et gratia nostra non aliter factura. Datum Pyotrcoviae feria quinta proxima ante festum S. Petri ad Cathedram. A. d. millesimo quingentesimo vigesimo octavo, regni vero nri. anno vigesimo secundo. [1])

95. Sigismundus, rex Poloniae, exactoribus contributionum anni praeteriti 1527.

Metryka koronna
Ks. 43, str. 425.
Ks. 44, str. 53.
Teki Górskiego, nr. 890,
Kod. Karnk. X, 14.
Kod. Sap. VII, 15.

Generosi fideles dilecti. Soluturi sumus militibus mercenariis, qui anno transacto in terris Russiae militarunt, stipendium eorum hactenus illis retentum pro dominica Palmarum proxima. Itaque mandamus vobis, ut omnes pecunias, quascunque habetis ex contributionibus publicis anni praeteriti collectas, paulo ante eandem dominicam Palmarum ad thesaurum nostrum Cracoviam comportetis vel transmittatis. Et quicunque subditi nostri cujuscunque status et conditionis easdem contributiones anni praeteriti ad dominicam Laetare proximam in toto vel in parte non solverint, illos capitaneis locorum deferatis nomina eorum in cedulis conscripta ad eos transmittendo, qui scient, quibus modis eosdem negligentes ad solvendum compellere debeant, pro officio vestro non aliter facturi. Datum in Radom feria quarta cinerum. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo. [2])

96. Legatio ad conventus particulares post generalem Piotrkowiensem conventum ad hoc indictos, ut in iisdem particularibus decreta generalis conventus approbarentur.

Teki Górskiego, nr. 3409, odpis Górskiego).
Kod. Karnk. X, 12.
Kod. Sap. VII, 13.

Post dictam Mtis. regiae gratiam nuntius referet mirari ac dolere Mtem. regiam, quod ex conventu vestrarum D. particulari, ante generalem jussu ac voluntate Mtis. suae acto, nuntii missi sunt non cum plena, sed cum limitata potestate, quos tamen mitti cum plenissima potestate non solum vetus consuetudo, sed Mtis. suae dignitas et impendentia regno pericula summopere postulabant. Declaratum siquidem est universis, quantis et quam urgentibus causis, quo denique discrimine permota Mtas. sua conventum generalem regni indixerat. Quae quidem nuntiorum vestrorum limitata potestas totam rei bene gerendae occasionem et conventum ipsum cum maximo Reipublicae detrimento impedivit et

[1]) D. 20. 12. 1528. Data wyjęta z Metryki ks. 44. — [2]) D. 26. 2. 1528. Tę datę ma Metryka ks. 43, Teki Górskiego i kodeksy, Metryka ks. 44 — ma datę poprzedniego dokumentu — z Piotrkowa 20 lutego — i dla tego dokument powyższy umieszczamy w tem miejscu.

et perturbavit. Tantoque id magis dolore et acerbo animo ferre Mtem. suam, quanto plus suam et conventus generalis autoritatem inde imminui ordinemque omnium perturbari cognoscit, missis enim cum limitata facultate vestris et aliquorum palatinatuum regni nuntiis, ex palatinatu vero Posnaniensi et Calisiensi nullis electis missisve Piotrkoviam nuntiis, benigna et necessaria monita sua in contemptum abiisse et totius conventus consultationes in eam perplexitatem et contentionem conjecta esse Mtas. sua experta est, ut nisi clementia sua et prudentes dominorum consiliariorum persuasiones intercessissent, conventum protinus solvi et rebus omnibus infectis Pyotrkovia discedi et motionem illam belli generalem omnibus damnosam decerni oportuisset. Sed Mtas. sua et domini consiliarii ejus ob errata et imprudentiam paucorum totius Reipublicae salutem deserere nolentes omni cura et studio consultum esse voluerunt, quibus modis et rationibus regnum esset ab impendentibus discriminibus quoquo modo conservandum.

Cum vero post multiplices tractatus de tuenda Republica inter dominos consiliarios et terrarum nuntios omnium sententia contributiones communes visae sunt majorem utilitatem in defensione, quam si expeditio bellica capesseretur, afferre posse, in hac praesertim contra Valachos et Tartaros celeri suscipienda defensione, quibus non alio, quam expedito et exercitato milite resisti unquam poterit, decrevisse Mtem. suam cum universo senatu et majore parte nuntiorum terrestrium nonnullas pecuniarias contributiones in universalibus literis nominatas et perscriptas, videlicet de singulis laneis agrorum per duodecim grossos, de civitatibus vero et oppidis exactionem civilem, quae Schoss dicitur, et contributionem Czopowe.

Sed quia nuntii terrarum propter quorundam circumscriptam facultatem a Mte. sua postularunt, ut conventus particulares et terrestres generales in his terris, quorum nuntii consultationibus publicis se immiscere noluerunt, statuere dignaretur, in quibus requiri possit ab universa nobilitate ad easdem contributiones consensus, Mtem. suam illorum postulatis deesse nolentem et providere Reipublicae saluti utcumque cupientem, particulares conventus in Srzoda, Opatow, Lancicia et in Racyąsz, ad diem hodiernum, generalem vero in Colo ad feriam tertiam proximam post dominicam Reminiscere constituisse declarareque ea omnibus dignitariis et officialibus ac universae nobilitati fecisse, quae a se et universo Pyotrkoviensi, nunc dimisso conventu constituta sunt.

Hortari itaque Mtem. suam tam dominos consiliarios, quam reliquam nobilitatem, ut fideles subditos et filios hujus regni sui periclitantis, ut ad id, quod ipsa sua Mtas. cum universo senatu suo decrevit, quodque alias leviores ob causas egerunt, nunc, quum res in tanto discrimine versatur, non graventur consentire, ut si debito et sufficienti modo defensio regni tam celeriter, ut res exigit, fieri non possit, aliquo saltem modo retineri queat usque ad id felix tempus, quo exactius de ipsa defensione aliquid statui valeat. Alioqui fieri non posse, quin celerius opinione grave aliquod periculum et casus, quem Deus avertat, regno contingat.

Licet autem Mtas. sua, habens in potestate sua debitum subditorum suorum militaris ordinis ad servitium sibi praestandum et fines regni tutandos, non indigeat tanta sollicitudine et cura de quaerendis aliis modis regni defendendi, tamen quia intelligit, generalem motionem gravem et damnosam omnibus, et conventum praeteritum statuere et nihil intentatum relinquere dignata est, quo sine ipsa motione generali defensio fieri posset, perferens etiam, ut pius princeps, insolentium adversum se indignas contumelias, ut per se nihil defuisse omnibus constaret, quod ad communem omnium utilitatem pertineret. Proinde ubi decretum generalis conventus per eos non susciperetur et ad motionem bellicam

bellicam tota defensio recideret, quae nec tempestiva nec diuturna esse posset omnibusque in commune maximum afferret gravamen et dispendium, quicquid inde damni, quicquid turbarum et maledictionis hominum accideret, non jam in Mtem. suam aut dominos consiliarios nuntiosque terrestres obsequentiores, sed in eos, qui sine ulla ratione vel causa tumultuantur et publicis decretis obsistunt, redundaret.

Nam Mtas. sua non habens ullum finem belli Valachici, nullam etiam cum Tartaris pacis conditionem, ubi contributiones conventus generalis praeteriti non susciperentur, aliter nullo modo nisi publica motione bellica eaque celerrima regnum defendere posset.

Ubi vero Mtas. sua nobilitatem propensam ad id cognoscet, ut deesse nolit patriae virtutique et saluti suae simul et decretis ac sententiae suae et consilii sui, non defutura est etiam Mtas. sua omni ope, viribus et sanguine suo, quo vindicet et conservet regnum et subditos suos a clade et excidio, quod undique imminet nihilque eorum praetermissura est, quae opportuna ad bonum statum regni fore videbuntur.

97. Sigismundus primus, rex Poloniae, Clementi septimo, pontifici maximo.

Teki Górskiego, nr. 3538, (kopja Górskiego).
Kod. Karnk. X. 43.
Kod. Sap. XVII, fol. 119.

Sanctissime etc. Scripsi jam aliquotiens vestrae Sanctitati, simodo literae meae ad illam penetrare potuerunt, quanto me dolore affecerit calamitas urbis Romanae et vestrae Sanctitatis detentio indignissima, pro cujus liberatione per hoc omne tempus egi cum caesarea Mte. aliisque principibus quae potui diligentissime. Quamvis vero hactenus nullum responsum ad literas meas a vra. Sanctitate, sed neque ullam certam significationem de statu illius habuerim, privatis tamen duntaxat quorundam literis edoctus hanc tandem detentionem et adversitates suas illam evasisse, sum mirum in modum consolatus. Valde enim metuebam, ne, ut nunc sunt mores et tempora perditissima utque exsultare sentiebam rei ecclesiasticae inimicos, aliquid detestabilius in illam et ejus sanctam Sedem patratum esset, quod aliquanto rectius cessisse, quam vel ego verebar vel scelerati homines exspectabant, vehementer gaudeo et vestrae Sanctitati ex corde gratulor, optoque votis omnibus, ut haec nefanda illius adversitas pariat in posterum et vestrae Sanctitati decus immortale et rei ecclesiasticae salutem et incrementum, oro autem obnixe vestram Sanctitatem, ut quum non solum videat, sed etiam re ipsa experta sit, quam longe lateque progressa est haec reipublicae christianae fatalis tempestas, ut in dies magis omnia in praeceps tendere videantur, operam et curam omnem impendere dignetur, ut motus isti exitiabiles et dissidia principum christianorum plus quam immodica sopiri et componi possint et praesertim duorum regum Hungariae, qui regnum illud nobilissimum et ex quo potissima pars communis salutis dependet, calamitosum alioquin et ab hoste magna ex parte fractum et occupatum, acerrimo intestino bello perdere nituntur, cui nisi quam primum per alios principes christianos succurratur et ipsi duo reges in concordiam non redigantur, jam de illo actum esse vestra Sanctitas certissimum habeat. Est enim mihi satis compertum et exploratum imperatorem Thurcorum ita omnino constituisse et paratum jam esse, ut per hanc occasionem dissidii et calamitatis regni Ungariae totum quod reliquum est occupet et illinc sibi aditum ad invadenda omnia alia regna et dominia christiana comparet, unde quantum periculum et exitium immineat reipublicae christianae, vestra Sanctitas pro sua prudentia expendat. Et proinde oro et obtestor etiam atque etiam vestram Sanctitatem, ut omni huic impendenti communi ruinae

sua

sua opera et consilio succurrat, ne tum demum id facere vellet, quum jam illi integrum non fuerit.

Commisi nonnulla postulanda a vestra Sanctitate Rmo. dno. Cardinali Sanctorum quatuor, protectori regni mei, praesertim quod attinet poenitentiarium istic linguae Sclavonicae, ad quod officium commendo vestrae Sanctitati venerabilem Stanislaum Rzeczicza, juris utriusque doctorem, virum probum et literatum ac in istis Italicis gymnasiis longo tempore versatum. In hoc et aliis postulatis meis oro, ut vra. Sanctitas se benignum exhibere dignetur meque, quod hactenus fecit, gratia et favore suo complectatur. Valeatque et sit felix diutissime. Ex conventu generali Piotrcoviensi.[1])

98. Sigismundus primus, rex Poloniae, Cardinali protectori regni Poloniae.

Kod. Sap. XVII, f. 119v.

Rme. in Christo pater. Mirari satis non possumus, quod ad tot literas, quas per id tempus et Sanctissimo domino nostro et vestrae Rmae. Dtioni. scripsimus, nihil responsi habuerimus, magna enim sollicitudine tenebamur et tenemur etiamnunc de statu illius Sanctitatis, nihilque curae et operae nostrae praetermisimus cum apud caesaream Mtem. tum etiam alibi ubi opportunum videbatur de liberanda illius Sanctitate et vestris Rmis. Dtionibus. ab ea detentione plus quam detestanda; verum quia suspicamur istis viarum discriminibus fieri, ut neque responsum ad literas nostras habere neque istinc quidquam certi scire possimus, ferimus aequo animo, nihilominus tamen quum ex privatis quorundam literis intellexissemus ipsum Sanctissimum dnum. nostrum et vestras Rmas. Dtiones. ex tam nefanda captivitate liberatas esse: rogamus vestram Rmam. Dtionem., ut nostro nomine gratulari velit illius Sti. hanc utique in tam adverso et pene incredibili casu felicitatem nosque, ut primum poterit, de statu illius Sanctitatis et suo etiam certiores facere non gravetur. Rogabit praeterea verbis nostris illius Sanctitatem, ut operam suam intendat, quo hi perniciosissimi tumultus et bella intestina principum christianorum tandem componantur, utque regno Ungariae interna externaque calamitate afflictissimo quam primum succurratur. Habemus enim exploratissimum, quod imperator Thurcorum ad regnum ipsum totum occupandum sese modis omnibus accingit, quod illi factu facillimum fuerit scissis bifariam regnicolis et duobus pro illo regibus inter se digladiantibus, unde quanta ruina toti reipublicae christianae impendet, facilius a quovis intelligi potest, quam explicari oporteat. Quare si quando unquam opus videbatur consilio et succursu ipsi regno Hungariae, in cujus salute maxima communis omnium salutis pars consistit, nunc profecto velis et remis huic negotio incumbendum est omnibus, idque mature, ne demum et sera et deplorata sint omnia.

Ceterum quid de expeditione episcopatuum Plocensis et Praemisliensis istic agatur, etiamnum incerti sumus. Trapesitae referunt pecuniam a se pro ipsa expeditione dudum esse numeratam, tamen diplomata nondum sunt allata, similiter et suffraganei Cracoviensis. Rogamus itaque Rmam. Dtionem. vestram, ut, quo tandem expeditiones ipsae finem suum habeant, operam suam impendat, nam hi episcopi consiliarii et servitores nostri magnam

[1]) Daty: ex conventu gen. Piotrc. nie ma kodeks Karnkowskiego. Z listu papieża Klemensa VII z d. 20 lipca 1528 (zob. niżej) wnosićby należało, że list powyższy pisany był dopiero w Wilnie 23 kwietnia. Sprzeczność w tych datach możnaby tak wytłomaczyć, że list projektowany i pisany był istotnie podczas sejmu, a przepisany i wysłany z Wilna dopiero 23 kwietnia.

magnam hinc jacturam subierunt et subeunt assidue, caventes modis omnibus, ne quo pacto committant aliquid contra praescriptum erga Sedem Apostolicam debitum suum, utcumque in Ungaria et alibi haec non perinde observentur, et episcopatus regni nostri plus nimio aliis oneribus rei publicae sint gravati. Praeterea rogavimus saepius vestram Rmam. Dtionem. et nunc etiam obnixe rogamus, ut signari et expediri curet supplicationem nostram manu nostra subscriptam de liberis collationibus ordinariorum hujus regni nostri in eorum mensibus, quae petitio nostra et justissima est et statui ecclesiastico in his regionibus pernecessaria. Similiter et de unione ecclesiae parrochialis in Vawrzinczicze suffraganeo Cracoviensi. Deinde etiam, ut de canonicatu ecclesiae Cracoviensis, qui vacavit per mortem olim Salomonis de mense Februario, venerabili Laurentio Miskowski, viro nobili et idoneo, provideatur utque alia sacerdotia ejusdem Salomonis, qui asseritur fuisse familiaris rmi. olim domini cardinalis Allexandrini, quae sunt de jure patronatus laicorum, impetrationibus et difficultatibus istic aliquibus non involvantur. Postremo impetravit a nobis importune quidem rmus. archiepiscopus Gnesnensis literas commendatitias ad Sanctissimum dominum nostrum et ad vestram Rmam. Dtionem. pro eo, quem ipse peteret in poenitentiarium linguae Sclavonicae istic apud Sedem Apostolicam constitui, verum quia intelleximus eum promoturum esse homines ad hoc negotium minus idoneos et eos fortasse, qui in falso et multis aliis facinoribus notati sunt, de quibus alias scripsimus satis vestrae Rmae. Dtioni., rogamus illam plurimum, ut prorsus nihil attentis ipsis literis nostris commendatitiis per dominum archiepiscopum a nobis importunis precibus extortis, promovere dignetur apud Smum. Dnum. nostrum ad hoc ipsum poenitentiariae officium venerabilem Stanislaum Rzeczicza, juris utriusque doctorem, plures annos in gymnasiis Italicis versatum, vitaque, doctrina et moribus fide dignorum testimoniis commendatum. Quo faciet ejus Sanctitas officium optimi et clementissimi antistitis et nobis rem multo gratissimam, quam illi omnibus obsequiis nostris simul et vestrae Rmae. Dtioni. omni gratificatione referre curabimus. Quae felicissime valeat et nos et haec negotia nostra habeat commendata. Ex conventu generali Piotrcoviensi.

Kod. Sap. XVII, fol. 121.

99. Petrus Tomicius, episcopus Cracoviensis, Cardinali S. Quatuor, protectori regni Poloniae.

Rme. in Christo pater, domine mi observandissime. Scripsi jam aliquotiens vestrae Rmae. Dtioni., in quanto luctu fuerimus hic omnes ecclesiastici ex ista detentione Sanctissimi domini nostri et vestrarum Rmarum. Dtionum. quamque osores status et dignitatis nostrae exsultaverint ad moerorem nostrum sperantes actum jam fore de auctoritate Sedis Apostolicae. Verum recreamur rursus, quum audivimus ejus Stem. et vestras Rmas. Dominationes adversitatem hanc superasse et pristinam libertatem recuperasse, pro qua nos hic omnes ecclesiastici et profecto serenissimus rex noster cum magna animi sui amaritudine curavimus id totum exsequi, quicquid opportunum videbatur et per nos fieri potuit. Faciet itaque vestra Rma. Dtio. rem Mti. suae regiae multo gratissimam, si, quo pacto se nunc habeant res et status ipsius Sanctissimi dni. nostri et vestrarum Rmarum. Dtionum., Mti. suae descripserit, ex cujus literis intelliget, quam sollicita sit Mtas. sua de statu rei christianae, et praesertim de regno Hungariae jam nunc in extremo discrimine constituto. Vestra Rma. Dtio. sollicitare velit, ut quam primum ipsi regno et huic dissidio pro illo dnorum. regum funestissimo consulatur, nam ingens nobis omnibus imminet ruina.

Intelliget

Intelliget etiam vestra Rma. Dtio. postulata Mtis. suae ex eisdem literis suis tum de expeditionibus literarum dnorum. episcoporum Plocensis et Praemisliensis et suffraganeatu Cracoviensi unioneque plebanatus in Vawrzinczicze; nec non de libera dispositione vacantium beneficiorum in mensibus ordinariorum, deque canonicatu Cracoviensi dno. Doctori Miskowski, viro probo et erudito, providendo, tum vero de sufficiendo in officium poenitentiariae domino Stanislao Rzeczicza, juris utriusque doctore, homine vitae et doctrinae probatissimae, in quibus ut Mtas. sua a Sanctissimo domino nostro exaudiatur, et ea quae honestissima petit obtineat, vestra Rma. Dtio. omnem diligentiam suam adhibere dignetur. Nam profecto in hac re et Mti. suae et nobis omnibus plurimum gratificabitur, nec miretur, si in eo ipso negotio ac aliis plerumque literae Mtis. suae regiae sibi invicem contrariae tam ad illam quam etiam ad Sanctissimum dnum. nostrum proferuntur, nam duo sumus cancellarii regni, seorsum quisque literas concedit; princeps est in precibus hominum perbenignus, homines importuni et petaces plurimi, a quibus mens regia in diversum trahi solet neque omnium, quae concedit et quatenus concedit, meminisse potest, quod et in aliis aulis et plerumque etiam istic in curia Romana contingere solet, vel potius in tantis negotiis et expeditionibus contingere necesse est. Vestra Rma. Dtio. certissimum habeat, Mtem. regiam neque ex animo neque satis considerate literas commendatitias pro quibusdam aliis de ipso officio poenitentiario concesisse, neque, ut valeant, aliquo modo velle. Igitur vestra Rma. Dtio. Mtem. suam cum apud Smum. dnum. nostrum tum etiam apud se ipsam excusatam habere dignetur, et curare, quo iste dominus doctor Stanislaus, vir dignus et idoneus, ad hoc ipsum officium poenitentiariae constituatur. Valeat demum felicissime vestra Rma. Dtio. et si quid est, in quo hic illi gratificari et inservire posse videar, utatur opera et obsequiis meis confidentissime. Ex conventu Piotrcoviensi.

100. Petrus Tomicius, episcopus Cracoviensis, Jacobo Ssutz, praeposito Vielunensi, can. Gnesnensi.

Kod. Sap. XVII f. 126.

Venerabilis domine, frater in Christo charissime. Redditae sunt nobis non ita pridem binae aut forte ternae literae vestrae, quibus et calamitatem ac excidium urbis Romae et vestram adversam fortunam, quae vobis cum multis aliis claris viris est communis, deplorastis; cognovimus jam alias hoc tantum incendium, in quod Sanctissimum dominum nostrum in primis, deinde rmos. dnos. cardinales et praelatos sanctae Romanae ecclesiae, ac tandem multos alios insignes viros sive vis siderum sive Dei voluntas conjecit, et indoluimus ex animo huic tanto et pernicioso malo, fecimusque operam nostram, quantam maximam potuimus, apud regiam Mtem. domini nostri, ut illa apud caesaream Mtem. ageret summo studio pro liberatione tam ipsius Sanctissimi dni. nostri quam aliorum praelatorum, qui cum illius Sanctitate erant indigne detenti, id quod Mtas. sua alacri animo facere hactenus non destitit. Quum autem ex ultimis literis vestris intelleximus eundem Sanctissimum dnum. nostrum vel jam libertati pristinae donatum vel brevi liberandum esse, gratias domino Deo egimus, et omnes ex tam laeto novo mirifice sumus recreati, exspectamusque a vobis indies laetiora nova.

Mi domine Jacobe, scitis jam annum integrum exactum esse, quum scripsissemus vobis, suffraganeum nostrum Cracoviensem mortuum esse, nosque in locum illius fratrem Dominicum ordinis praedicatorum surrogasse, supplicasseque, ut ei de episcopatu Laodicensi et suffraganeatu nostro per Sedem Apostolicam provideretur, ecclesiaque parrochialis in Vavrzinczicze

Vavrzinczicze illi perpetuo uniretur. Scias, quod et pecuniam necessariam ad expeditionem ejus ipsius suffraganeatus tempori misimus et vidimus dudum literas vestras et domini olim Nicolai Gamrati, quibus Fucaros de receptis ab eis ducentis viginti ducatis pro expeditione ipsius suffraganeatus nostri Cracoviensis quitastis, hactenus tamen nullas literas ejusdem expeditionis et provisionis a vobis habuimus. Quare rogamus vos plurimum, intendatis omnes nervos et vires vestras, ut quam primum easdem literas pro suffraganeo nostro habeamus, sine quo certe grave est nobis obire munus pontificium in nostra diocesi, quae satis ampla est et diu suffraganeo carere non potest.

Ceterum mortuus est hoc mense Februario doctor Joannes Salomonis, scholasticus Gnesnensis et canonicus ecclesiae nostrae Cracoviensis, cujus canonicatus tametsi Sedi Apostolicae reservatus sit, nos tamen consulere volentes dignitati et quieti ecclesiae nostrae in hoc turbulento rerum omnium statu, providimus de illo domino doctori Miskowski, viro idoneo et bene merito, scripsimusque et misimus literas regio et nostro nomine scriptas ad Sanctissimum dnum. nostrum et rmum. dnum. cardinalem protectorem, rogantes, ut eidem dno. Miskowski de eodem canonicatu gratiose provideretur. Qua in re vos quoque faciatis operam vestram, ut Mtis. regiae et nostro desiderio fiat satis. Habuit idem doctor Salomon et alia sacerdotia in nostra diocesi, sed quum illa sint de jure patronatus laicorum, non cadunt sub reservationem. Scimus vos omnibus bonis et pecuniis spoliatos esse, scimus quod aere alieno vivitis, et proinde volumus non gravatim egestatem vestram pro virili nostra allevare. Rogamus autem vos, negotia nostra praedicta commendata habeatis et curate, ut celerius istic conficiantur, ad negotium etiam domini Iszdbienski intentum animum habeatis et prospiciatis, ne quid falsarius ille manifestus Michael Paczanow cum suae farinae hominibus in damnum ejus obtinere possit, et scribatis nobis saepius, et bene valeatis. Datum.

101. Responsum a Sigismundo primo, rege Pol., nuntiis Gdanensium datum.

Teki Górskiego, nr. 1025, (minuta.*)
Kod. Karnk. X. 45.
Kod. Sap. VII, 38.

(Piotrcoviae ante regis discessum Vilnam).

Non videtur verisimile sacrae Majestati regiae, quod gentes pro pecunia regis Daciae Christierni conductae praetermissa regia civitate, quae oppugnatur et in qua tanta status ejus momenta consistunt, ad oppugnandam civitatem Gdanensem et terras Majestatis suae regiae induci deberent, praesertim hoc tempore, quod bello minime congruit et indutiis stantibus.

Tamen Mtas. sua singularem habens respectum semper ad civitatem Gdanensem et ejus bonum statum, expedire illuc dignabitur aliquos viros rei bellicae peritos, quorum opera et consilio civitas opportuno modo provideri possit, et ubi Mtas. sua intelliget proficisci gentes aliquas ad eam oppugnandam, evestigio et praesidia necessaria mittet et ipsi civitati nullis modis deesse dignabitur.

Curabunt vero interim cives vestri, ut omnia hostium molimina diligenter explorare curent et ex certis documentis, non rumoribus vulgi reddant Mtem. suam certiorem de his, quaecunque intellexerint, ipsique domi omnem necessariam provisionem faciant, ne quod insperatum accidat.

Curent

*) Na odwrotnej stronie minuty notatka Tomickiego: Minutae literarum scriptae a me et meo nomine in Pyotrcow.

Curent praeterea mandata Mtis. suae regiae super Lutheranismo omni studio exsequi et eam pestem eliminare, quae fidem erga Deum et superiores obedientiam exstinguit, nam ad motum et mutationem religionis moveri et mutari solent respublicae, ne per iram Dei et insolentiam vulgi, etiamsi nullus sit externus hostis, civitas in discrimen veniat et praesertim rectores, in quos potissimum hoc malum redundare solet.

W kod. Sapieżyńskim znajduje się po dokumencie powyższym następująca zapiska:

Rex absoluto conventu Petrcoviensi ivit ad Radom ad Reginam, ubi duas septimanas commoratus in Lituaniam se contulit.

102. Legatio a Sigismundo, rege Poloniae, ad Jon Petrum, vojevodam Valachiae,

data Stanislao de Chodecz, marsalco regni Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 1059, (minuta Zambockiego). Kod. Karnk. X, 30.

Post dictam salutem et favorem regium excuset in primis tardum adventum suum dnus. orator et dicat: Quod quamvis Mtas. regia dudum designaverit me oratorem ad tuam Dtionem., non potuit tamen me hactenus a se dimittere propter nonnulla negotia sua et regni sui, a quibus noluit me abesse, praesertim vero propter tractatus, quos fecit Mtas. sua per oratores suos in Olomuncz, cupiens sistere bellum inter sermos. Hungariae et Bohemiae reges et eos ad concordiam reducere. Si igitur tardius venerim ad tuam Dtionem., quam ipsa sperabat, non negligentiae Mtis. suae aut meae, sed gravibus negotiis, propter quae discedere a Mte. sua hactenus non potui, id ascribat et boni consulat.

Deinde dicat dnus. orator ad hunc sensum: Regia Mtas. cum primum ex oratore et literis Dtionis. tuae certior facta fuisset, Dtionem. tuam in sede patris et majorum ejus collocatam esse, ei ex animo gratulata est eamque dignitatem et dominium favet Dtioni. vrae., quoniam eam spem de Dtione. vra. concepit, quod se in hoc dominio amice et sinceriter erga suam Mtem. regnumque et subditos ejus geret, ita ut bonum vicinum decet.

Cum praeterea eadam regia Mtas. ex insignibus oratoribus Dtionis. vrae. accepisset, eam cupere, ut foedera et inscriptiones, quae inter reges et regnum Poloniae et vojevodas atque terram Moldaviae antiquitus observata et facta erant, renovarentur et confirmarentur, tametsi Stephanus, vojevoda, adolescens nuper mortuus eadem foedera et inscriptiones non curabat easque pro majori parte violabat, suaeque regiae Mti. et subditis ejus hostem pene apertum se declarabat, multis injuriis et clandestinis incursionibus subditos Mtis. suae afficiebat, in ditione quoque sua nil aliud, nisi crudelitatem et caedes in suos exercebat, quod Dtioni. vrae. optime constat, nihilominus tamen sua Mtas., ut princeps christianus, pro bono rei christianae talia foedera et inscriptiones renovavit atque confirmavit, me quoque huc ad Dtionem. vram. misit, eam adhortatum, ut similiter talia foedera et inscriptiones renovet jureque jurando suo et literis sigillo suo et bojarorum suorum obsignatis coram me confirmet.

Insuper sua Mtas. animadvertens vires et potentiam infidelium magnam esse nihilque eos aliud moliri, quam ut Christianitatem circumvenirent et opprimerent, considerans quoque, quam magnum momentum sit, si Dtio. tua in tuendis et defendendis ab infidelibus finibus et subjectis cum Mte. sua unum et idem velit atque senserit eosdemque amicos et eosdem hostes cum eadem regia Mte. habuerit, tametsi hoc ipsum in foederibus et in inscriptionibus

nibus sufficienter expressum sit; tamen mandavit mihi sua Mtas. regia super hac re diligentius et exquisitius seorsum et speciatim cum Dtione. tua agere postulatque a Dtione. tua et eam hortatur, ut si quando Tartari in ditionem suae Mtis. incursionem facere velint, Dtio. tua velit ei cum gentibus suis auxilium praestare, vicissim vero sua Mtas., si quando Dtionem. tuam aut dominium ejus ab eisdem Tartaris infestari contigerit, mittet etiam ei auxilium ex gentibus suis.

Et quoniam sua Mtas. regia Tartaros in campis paratos esse tam ex significatione Dtionis. tuae, quam etiam a speculatoribus suis certo scit, ideo praefecto copiarum suarum, quas in terris Russiae habet, jam mandavit, ut, si iidem Tartari in terram Dtionis. vrae. incurrerint, mox idem dnus. praefectus cum omnibus copiis Dtioni. vrae. in auxilium praesto adsit.

Idem Mtas. sua a vra. Dtione. cupit, ut, si eosdem Tartaros in regnum Mtis. suae vires suas convertere constiterit, Dtio. vra. etiam cum suis copiis et gentibus suae Mtis. adsit, ut ita conjuctis viribus facilior esset defensio et de hostibus victoria.

Quod oratores Dtionis. vrae. commemoraverunt, terram Moldaviensem plus justo gravatam esse atque exhaustam tributo Turcorum imperatori debito petieruntque Dtionem. vram. in hoc sublevari, asseverantes, praedecessores Mtis. regiae praedecessoribus Dtionis. vrae. id factitare solitos: quantum ad hoc negotium attinet, scire dignetur Dtio. vra., Mtem. suam magnis nunc in regno et dominiis suis difficultatibus et impendiis esse gravatam, et si unquam Mtis. suae praedecessores Dtionis. tuae praedecessoribus indulgebant, nunc maxima mutatio in his rebus facta est et longo aliter res omnes se habent ac se tunc habebant, attamen sua Mtas. hoc negotium subsidii ferendi differt ad proximum regni sui generalem conventum, in quo cum omnibus consiliariis regni sui super ea re deliberatione et consultatione habita certius responsum tuae Dtioni. dabit.

Retulerunt etiam oratores Dtionis. tuae, eam Turcorum imperatori nomine tributi etiam pelles pretiosas pendere solere utpote sabellos et hermelinos vel albulas, et ob eam rem liberum transitum hominibus et nuntiis Dtionis. vrae. ad Moscoviam postulabant. Super qua re sua Mtas. regia taliter respondit. Se videlicet cum duce Moscorum nondum in gratiam rediisse nec secum adhuc firmam et perfectam amicitiam habere et propterea non convenire suae Mti., ut ad eum vel terram ejus per terras et dominia sua alicui externo transitum concedere deberet; tamen eam deliberationem suspendit sua Mtas. ad adventum suum in Mg. ducatum Lithuaniae. Quo cum feliciter pervenerit, consultabit super ea re cum senatoribus Lithuaniae et quidquid cum dignitate et sine detrimento rerum suarum facere poterit sua Mtas., illic constituet, et ut constituerit, faciet Dtionem. tuam certiorem. Interea temporis, si talibus pellibus vel aliis similibus rebus Dtioni. tuae opus fuerit, facile eas venales reperiet idque in copia in regno suo Poloniae aut Mg. ducatu Lithuaniae.

Poterit orator, dnus. marsalcus, legationem istam juxta exigentiam temporis et juxta arbitrium suum dividere et partem ejus palam et publice, partem secreto et privatim referre. Id quod arbitrio suo et solertiae temporisque qualitati permittitur.

Quod si qua mentio ingeretur de supellectili et thesauris, quos dux Visnievecensis olim cum uxore sua, filia vojevodae Moldaviae, acceperat, respondebit dnus. orator, causam hanc quoque ad adventum suae Mtis. in Mg. ducatum Lithuaniae rejectam. Cum enim sua Mtas. illuc venerit et dnus. vojevoda Moldaviae nuntium suum illuc miserit, non negliget cum duce Visnievecensi justitiam debitam facere.

De injuriis, violentiis ac rapinis ex Moldavia subditis regiae Mtis. jam pridem illatis, si opportunitas temporis adfuerit, poterit expostulare orator et tractare.

Etiam

Etiam de quatuor villis in Pokucie interceptis poterit agere, si aptam ad hoc occasionem viderit.

Haec et cetera idem dominus orator pro sua prudentia ita extendet et moderabitur, prout res, tempus et dignitas Mtis. regiae postulabit.

103. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. vicecancellario.

Teki Górskiego nr. 902, (list własnoręczny). Kod. Karnk. X, 60. Kod. Sap. VII, 52.

Reverendissime et colendissime mi domine. Delapsus hic [1]) fui tanquam inter Syrenes,[2]) evolvere me hinc nequaquam potui per haec festa Dyonisia, ita tamen exceptus per dominam ducem et tractatus fui, quod non solum ex languore meo convalui, sed et rejuvenuisse mihi visus sum. Virgo est et optima et venustissima, supellectilem et ornatum vidi magna principe dignum, vidi et ordinem domus honestissimum. Indignum esset facinus, si male collocari deberet. In vestra Rma. D. tanquam in parente vel fratre spem omnem collocat. Supplico, non deserat illam suo favore et patrocinio. Miraretur, si sciret, quae ille Sylenus [3]) hic tractavit et quid pollicitus sit. Haec hominis vanitas utinam in hoc solo negotio consisteret et non per illam publica etiam magna momenta tractarentur; sed cum Mti. regiae et vestris D. ita visum est, fieri sic oportet. Commendo Dtioni. vestrae Rmae. ex corde hunc dominum Bylinski et rogo, ut illum sub alas suas in hoc ejus initio suscipiat valeatque felicissime. Varsaviae die Cinerum. 1528.[4])

Mira sunt mi Rme. dne., quae facta sunt et fiunt continue in conciliando illo matrimonio [5]) per Bachum [6]) et nepotem Ardelionis.[7]) Inter cetera promissum est uni ex consiliariis sacerdotium illud,[8]) quod habet in mea ecclesia, alteri magna vis pecuniae; mihi promissum est a virgine, nihil illos effecturos, neque aliter fiet, ut illi confido. Taceo alia, quae de mutationibus rerum insanissime persuadentur.

104. Sigismundus primus, rex Poloniae, Joanni Dantisco, secretario & oratori.

Kod. bibl. Zam. (list oryginalny). Kod. Sap. VII, 39.

Mgce. sincere nobis dilecte. Et res ipsa id exposcere videtur et tu frequentioribus petitionibus tuis summo studio a nobis contendisti, ut tam diuturnae isthic morae et imbecillis valetudinis tuae rationem haberemus teque isthinc revocaremus. Satisfecisti tu quidem nobis isthic existens fide et studio suo nec quicquam superest, quod in curandis isthic negotiis nostris a te nobis praestitum non esset. Quocirca revocamus te isthinc volumusque, ut visis his nostris literis isthinc te quam honorificentius et commodius potes absolvas et huc ad nos recipias, quoque tibi per tot gentes et populos ituro securior transitus pateat, mittimus tibi literas nostras publicae fidei. Scripsimus item ad sermum. et

[1]) Varseviam ex conventu Petrcoviensi vadens Poltoviam. (Przypis. Górskiego w kod. Karnk.) — [2]) Ad ducem Mazoviae virginem. (Przyp. G. w kod. Karnk.) — [3]) Latalski, eps. Posnaniensis. (Przyp. G. w kod. Karnk.) — [4]) D. 26 lutego 1528. Następujący dopisek znajduje się na osobnej dołączonej do listu kartce. — [5]) i. e ut Joannes, eps. Vilnensis, regis Sigismundi ex Cathrina naturalis filius, ducem Mazoviae uxorem duceret et dux in Mazovia crearetur. Idem epus. Vilnensis habebat praeposituram Plocensem. (Przyp. Górskiego w kod. Karnk.) [6]) Jo. Latalski, epum. Posnaniensem. (Przyp. G. w kod. Karnk.) — [7]) Laski. (Przyp. G. w kod. Sap.) — [8]) Praepositura Plocensis. (Przyp. G. w kod. Karnk.)

et christianissimum dominum Francorum regem, rogantes illius Mtem., ut etiam literis suis liberum ac securum commeatum per regnum et ditionem suam tibi concederet, quoniam mare et navigationem te vehementer perhorrescere ex literis tuis intelleximus. Sed ne in curia caesareae Mtis. desit, qui res nostras, quae forsan posthac emergere possunt, curaret, mittimus isthuc in locum tuum venerabilem Joannem Levicium, cantorem Plocensem, notarium nostrum et Sermae. conjugis nostrae, mandamusque tibi, ut eum de rebus nostris, quas isthic egisti et prout eas reliquisti, doceas desque operam, ut simul caesareae Mti. simul dno. cancellario magno atque aliis, quibus eum notum esse ejus referre arbitraberis, notum efficias. Factum pro fide tua et gratia nostra. Datum in Radom die XXVIII[a] Februarii. Anno Domini M. D. XXVIII. Regni vero nostri anno XXII. Sigismundus Rex m. p.

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr. 1601 (list orygin.)

105. Literae fidei publicae Dantisco datae.

Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae, Magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et heres. Serenissimis fratribus et consanguineis nostris, charissimis regibus ac illustrissimis et ill. dominis principibus, ducibus, comitibus, baronibus, gubernatoribus, locumtenentibus, capitaneis, castellanis, burgi et civium magistris, communitatibus, ancianis, gabellariis, daciariis et quorumvis locorum praesidibus classiumque et quarumcunque navium praefectis, ac passuum, portuum et viarum custodibus ceterisque ad quos praesentes literae nostrae pervenerint, amicis nostris charissimis salutem et omne bonum. Subditis vero nostris gratiam nostram regiam. Cum magnificus Joannes Dantiscus, orator noster, ex Hispania a sacra caesarea Mte. fratre et consangnineo nostro charissimo, ad nos revertatur cupiamusque ex animo illum iter securum ubique reperire, ipsum vris. D. diligenter commendamus, postulantes ab eis, ut eundem Joannem Dantiscum terra et mari proficiscentem una cum ejus comitatu, equis, rebus et sarcinis, per loca, terras et dominia illis subjecta libere sine quovis impedimento et molestatione reali et personali ac dacii, pontivegii, gabellae ac cujusvis alterius exactionis solutione, ad nos redire, transire, in civitatibusque, oppidis et aliis locis in ditione ipsarum vestrarum D. consistentibus subsistere, morari, quamdiu illi visum fuerit et rerum necessitas exposcerit, permittant, ac eum affectum, benivolentiam et favorem, quem ejus virilis conditioque meretur, eidem exhibendo, illum hospitiis excipi, humaniterque tractari ac ubi necessarium et expediens fuerit, illi de salvo et securo conductu et transitu provideri faciant. Parati autem sumus nos quoque vris. D. ac earum subditis pari vicissitudine in similibus et majoribus rebus, ubi occasio se obtulerit, complacere. Subditi vero nostri praemissa omnia facere et exsequi teneantur pro gratia nostra. Harum quibus sigillum nostrum est impressum testimonio literarum. Datum in civitate nostra Radomiensi prima die Martii. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo, regni vero nostri anno vigesimo secundo.

Ad mandatum regiae Mtis. proprium
P. Epus. Cracov. et vicecancell. sst.

106. Bona Sfortia, regina Poloniae, Joanni Dantisco, oratori.

Kod. bibl. Kórnickiej.

Mgce. et spectabilis, sincere nobis dilecte. Ubi nuntiatum est nobis de restitutione arcis Barensis, pro qua tum diu elaboratum est, illico de tuae Stis. revocatione cogitavimus et

et quia Stas. tua pluries nobis per literas suas consuluit, ut aliquem nostro nomine agentem in curia fovere deberemus, cui negotia ducatus nostri Barensis tuto committi possint, delegimus hunc venerabilem Joannem Levicium, cantorem Plocensem et scribam nostrum grate dilectum, qui ad nostrum beneplacitum apud sacram caesaream et catholicam Mtem. agentis nostro nomine locum sustineat. Illi ergo Stas. tua, quid hactenus actum sit in curia de rebus nostris, quid sperandum sit et curiae mores affatim enodare non gravetur. Dabit insuper eidem instructiones, per quas edoceatur, quomodo in hac curia se gerere debeat, quo nostrum servetur decorum et negotia nostra non periclitentur. Stas. tua jam bene callet omnium officialium mores et ad quos in necessitatibus confugiendum sit; hortamur igitur Stem. tuam: velit illum sic instruere, ut confidimus in tuae Stis. prudentia. De solutione Adohae si aliquid boni ante tuae Stis. exitum concludi posset, satis bene consultum rebus nostris putaremus, sin minus, aequo animo ferendum est, quicquid s. Mtas. caesarea super hoc mandare dignabitur; nam de jure contendere nolumus et gratia ab invitis extorqueri non potest. Reliqua commisimus eidem do. Levicio oretenus referre cum tua Ste., quam sospiter et feliciter ad nos redire optamus. Dat. Radomiae die II[a] Martii.

107. Bona Sfortia, regina Pol., Sigism. Loffredo, cancellario.

Kod. bibl. Kórnickiej.

Salutem et omne bonum, mgce. et praestantissime domine, sincere nobis dilecte. Postquam jam placuerit sermo. regi, dno. et consorti nostro colendissimo, pariter et nobis, mgcum. Joannem Dantiscum, oratorem regium et nostrum, in patriam revocare, quo post tam longam peregrinationem apud suos sospes conquiescat utque negotia nostra juste et ex sententia apud sacram caesaream et catholicam Mtem. perficerentur, delegimus hunc venerabilem Joannem Levicium, cantorem Plocensem, nostrumque scribam grate dilectum, quem nostro nomine agentem curiae assistere volumus. Eum itaque sic commendatum Dtioni. vrae. fore percupimus, ut nihil magis ab ea ad praesens exoptamus. Et cum in multis Dtio. vra. nobis bene merita sit, id etiam et aliorum officiorum, quorum non erimus immemores, cumulo accedet. Hortamur praeterea Mgciam. vram., velit eidem Jo. Levicio gratam praebere audientiam et his, quae nostro nomine retulerit, indubiam accommodare fidem, pro quo sic nos erga se propensas officiet, ut nihil sit a nobis expetitura, quod non grato animo concederemus eidem vrae. Dtioni., quam bene et feliciter valere optamus. Datum Radomiae, die II[a] Martii.

108. P. Tomicius, epus. Crac., vicecanc., Christophoro de Schidlowecz, castell. Crac., cancell.

Teki Górskiego, nr. 1023, (minuta Zambockiego z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 52.
Kod. Sap. VII, 42.

Magnifice domine, domine et amice honorandissime. Mitto Magnificentiae vestrae acta et decreta novissime praeteriti conventus Piotrkowiensis a me hic non sine magna animi et corporis molestia recollecta, perscripta et in ordinem redacta. Aequum erat Mgciam. vram. pro debito officii sui etiam in partem laboris hujus concedere, sed cum id oneris ad mei unius aegroti et fatigati humeros delatum est, non indulsi in hoc valetudini meae, qua affectus sum, quin omnem hunc laborem solus exhausi. Et major exstat adhuc exantlandus in conscribendis instructionibus legationum ad imperatorem Turcorum, ad conventum

conventum Imperii, ad Sermos. Ferdinandum et Joannem, Ungariae reges, et ad conventum Warsawiensem. Regia Mtas. post quadriduum se hinc movere deliberavit, ita mihi heri se de ea re interroganti, respondit, nec dubito aliquid ejusmodi obtingere, quo suae Mtis. propositum remorari posset.

Consensum bona Czirmno ab heredibus domini Ratislai tempore suo redimendi haud gravatim a sua Mte. obtinui, tamen de collatione tribunatus Gostinensis Mgciae. vrae. conferendo nonnihil haeret sua Mtas., vult quippe personam eam, ad quam tale officium petitur, sibi nominari, propterea quod ejusmodi officia nonnisi hominibus ad ea aptis et non multas possessiones habentibus conferantur. Quare videtur mihi necessarium fore ad eam rem obtinendam, ut Magnificentia vra. literis suis personam, cui id officium favet, designet.

Mox post discessum Mtis. suae hinc ego quoque me ad possessiones episcopatus mei conferam et vires continuis vigiliis et laboribus attenuatas — si Deus concedet — reficiam reliquumque valetudinis curabo, quod et Magnificenciam vram. etiam facturam non dubito, quam rogo plurimum: mittere ad me velit per aliquem, qui se offeret certum nuntium, primam partem Chronicae seu annalium, quos dominus olim Dlugosch conscripsit. Et valere vram. Magnificentiam cum domina conjuge et liberis suis quam diutissime et felicissime desidero, eique me ex animo commendo. Datum etc. ex Radom 1528.[1])

109. Petrus Tomicius, epus., vicecancellarius, Laurentio Praszmowski, cast. in Czersk.

Teki Górskiego, nr. 3174.
Kod. Sap. VI, 26.

Generose domine, amice charissime. Propter ingentes occupationes et curas, quibus et Pyothrcoviae et hic districti eramus, non potuimus tam celeriter, prout optastis, absolvere negotia vestra; absolvimus tamen illa jam tandem satis feliciter, nam Mtas. regia de gratia sua contulit vobis capitaneatum Zakroczimensem a festo S. Augustini proximo et summas pecuniarum, quas habetis asscriptas in nonnullis bonis et villis Mtis. suae, uniri vobis fecit vosque conservare vult et promittit in tenuta et possessione eorundem bonorum ad vitam vestram.

De jure patronatus ecclesiae unius fuit difficilis Mtas. sua, dicens non solere se illud cuiquam tenutario, qui bona Mtis. suae tenet in pignore, concedere, certo tamen vobis persuadeatis, quod quando vocatio ejusdem ecclesiae evenerit, non gravatim praesentabit Mtas. sua illum, quem vos ei commendabitis.

Nulla ratione persuadere nobis possumus, quod capitaneus modernus Zakroczimensis haberet literas regias, ut dotem uxoris suae sibi de proventibus capitaneatus, quem nunc administrat, extenuaret, nam de illis nec Mtas. sua regia neque nos meminisse possumus; si quas tamen ejusmodi produxerit literas, de quibus nos penitus ignoramus, inveniemus facile modum, quod ille habebit promptam solutionem aliunde debiti sui, cedere tamen nihilominus capitaneatu omnino cogetur.

Quod attinet ad unionem summarum pecuniarum, quas in bonis et villis regiis asscriptas habetis, opus est, ut mittatis ad nos omnes literas tam ducales quam regias, quibus eadem bona sunt vobis asscripta, quibus nos revisis conjungemus omnes summas pecuniarum in unam summam et cassatis iisdem prioribus literis novas literas vobis dabimus et

[1]) Ex Radom — 1528 dopisał Górski w kod. Karnkowskiego.

et in eis conservationem ad vitam vobis adscribi faciemus. Ad capitaneatum vero Zakroczimensem mittimus vobis literas cum praesentibus, manu Mtis. regiae subscriptas, rogamusque vos: curetis res Mtis. suae et regni diligenter istic promovere et consulatis, ut onus dotium in subditis istius ducatus remaneat, quod si quando solvendum illis occurrerit, aliud onus quodcunque eo anno non sustinebunt, prout Pyothrcoviae fuit vobis dictum. Cum enim cognoscitis, quod Mtas. sua singulari gratia et munificentia vos prosequatur, aequum est, ut illam omni studio et servitute vra. illi promereri studeatis. Bene valete. Datum.

110. Andreas Cricius, eps. Plocensis, P. Tomicio, epo. vicecancellario.

Teki Górskiego nr. 3220, (list własnoręczny, ale bez podpisu).
Kod. Karnk. X, 59.
Kod. Sap. VII, 51.

Reverendissime mi domine. Fuit hic nepos Ardelionis et nonnisi in ipso discessu valedicens mihi dixit: quod postquam conditionem illam neglexerim neque gratam habuerim, esse de illa conclusum cum Bromio,[1]) me vero respondente: Dii bene vertant, et quaerente: quibus modis? deprompsit literas illius,[2]) cui Radomiae hoc negotium sollicitandum commiserat, quibus scripsit, non concessum quidem in praesens, quod petebant, sed agerent de coronando Regulo, tum enim indubie omnia concederentur. Ego profecto nescio, nobisne an illis verba dantur:[3]) vra. Rma. Dtio., quid sit et an ista deceant,[4]) videret. De me nihil suspicetur, quod vel hujus vel alterius cujuspiam conditionis aliquo desiderio tenear, tantum abest, ut quicquam ambiam. Continebantur in iisdem literis et alia, quae illis spem certam id perficiendi praebere videntur.

111. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, epo. Plocensi.

Teki Górskiego nr. 1022, (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 58.
Kod. Sap. VII. 50.

Quum cognovissem ex litteris vestrae R. Do. ex itinere ad me scriptis novas praestigias et nenias domini Joannis Laski, archiepiscopi, e vestigio omni studio et solertia omnia, ut sese habent, pervestigare curavi, captaque opportunitate percontatus sum a Mte. regia, essetne ita, quod designato prius domino episcopo Vladislaviensi ad archiepiscopatum Gneznensem, rursus denuo fecerit potestatem domino archiepiscopo tractandi et paciscendi cum aliis de ipso archiepiscopatu. Respondit Mtas. sua tentasse id quidem illum apud se Piotrkowiae et ut consentiret, magnis precibus contendisse. Verum quo illius importunitatem retunderet, excusasse se, quod postulatis ejus annuere non posset inconsulta Reginali Mte., ad cujus preces dominum Vladislaviensem in archiepiscopatum designasset, fidemque mihi dedit Mtas. sua, non aliis verbis, nec aliud quidpiam se illi respondisse. Post ea cum jam hic essemus, misit idem dominus archiepiscopus huc nuntium suum, clam me quidem, ita tamen, ut ego artes illius, cum quibus huc misit, parvo negotio expiscarer, egitque per magistrum curiae apud utrumque principem, hoc est regem et reginam, ut bona illorum venia posset de archiepiscopatu suo tractare et paciscí cum aliis, quam cum domino Vladislaviensi, significavitque aut vram. Rmam. Do. aut

Dopiski Górskiego w kodeksach: [1]) Joanne Latalski, epo. Posnaniensi. — [2]) Nic. Wolski, magri. curiae reginae. — [3]) a regina et rege. — [4]) reges.

aut dominum epum. Posnaniensem; tamen addidit, si sibi optio daretur, malle se cum domino Poznaniensi pacisci et tractare super ipso archiepiscopatu, quam cum quopiam alio. Quod si obtinere non posset regiaque Mtas. et serenissima domina regina in sua sententia perseveravent et nollent quempiam alium post mortem illius fore archiepiscopum, quam dominum Vladislaviensem, saltem infrascriptas conditiones permittere sibi postulavit: primo ut dominus Vladislaviensis cederet ex nunc nepoti illius, domino praeposito, [1]) episcopatu suo, ipse vero dominus archiepiscopus vellet tantum redituum in bonis archiepiscopatus sui illi assignare, quantum ipse illorum ex episcopatu suo Vladislaviensi quotannis haberet; praeterea, ut collatio seu jus conferendi scholastriae Lanciciensis domui de Lasko perpetuo concederetur, ultimo, si fata ex hac luce dominum Vladislaviensem surriperent, ut ipse ad archiepiscopatum suum regressum haberet. Has hominis inquieti tricas et mixturas inexplicabiles ambae Mtes. indignissime ferentes repudiaverunt, ac constanti et regio animo responderunt, licere quidem ipsi domino archiepiscopo per eas vivere, quantum aevi illi divinitus concedetur: sed episcopatuum collationem velle sibi liberam et expeditam habere. Et his paucis verbis, aut his similibus nuntium illius absolverunt. Ego hic hoc parvo tempore manens animadverti reginalem Mtem. adeo sibi exosum ardelionem illum habere, ut eum publice tranquillitatis turbatorem palam appellitare non dubitet, habereque in animo, non modo in his de archiepiscopatu pactionibus se ei patrocinari nolle, sed ita conatibus ejus obstituram, ut se viva nullius voti sui apud regiam Mtem. compos in futurum evadere debeat. Et proinde consulo et suadeo vestrae rmae. D., non sinat se eludi vanis promissis veteratoris illius, quem intus et in cute novit. Ita actiones et sermones suos cum eo instituat, ne qua uspiam rima pateat, qua artes illius irrepere possent. Tentabat ipse quondam a me similia, id quod non erat incognitum vestrae R. Dni., verum ego Diis gratia ea moderatione et constantia hominis versutias ita ab me submovebam, ut me ne in minima quidem re circumvenire potuerint. Subodoravit reginalis Mtas., agere illum totis viribus, ut dominam ducem Mazoviae nepoti suo Stanislao in matrimonium conciliare posset, cui rei palam se opponit Mtas. sua reginalis et modis omnibus impedit apud Mtem. regiam, ut progressum suum non habeat et ne eadem dna. Dux eidem nepoti illius desponderetur. Mtas. etiam regia non vult quidem implicare se aperte huic matrimoniali negotio, dudum enim concessit virgini nubendi cui velit liberam voluntatem; commisit tamen mihi Mtas. sua, ut secreto admonerem vestram Rmam. Do., quo virginem Ducem adhortetur, eique persuadeat et prohibeat, ne inferioris ordinis homini nubens decus ac celsitudinem status sui ducalis diminuat ac deturpet. Quod ut facere secrete velit vra. Rma. D., plurimum illam rogo, scio enim, quod rem longe gratissimam faciet in hoc utrique Majestati.

Dominus Petrus Opaleniczki, quem ornavimus his diebus castellania Myedzirzecensi per mortem dni. Joannis Rozdraszewski vacante, qui mortuus est nuper in Ungaria ex pleurisi, designatus est orator ad regem Ferdinandum et conventum Imperii Ratisbonensem, dominus vero castellanus Plocensis ad regem Joannem. Rogo magnopere vram. Rmam. D. scribere instructioues illis nunc per otium velit. Admonendi autem erunt domini reges Ungariae ad ineundum inter se concordiam et pacem, ne tertius superveniens communis hostis utrumque excludat, et regnum Ungariae intereat. Principibus vero Germaniae calamitates horum duorum regnorum, Ungariae videlicet et Poloniae, explicandae, declarandum est periculum imminens a Turco non modo his ipsis duobus regnis, sed etiam toti rei christianae, si dissidium et bellum, quod gerunt inter se pro regno Ungariae

[1]) W kod. Karnk. dopisał Górski: Joanni Laski.

Ungariae duo illi reges, non fuerit modis aliquibus et mediis honestis tempori interceptum, et proinde rogandi erunt iidem principes et ordines Imperii, ut suppetias ferant eis ipsis regnis laborantibus, et operam suam faciant, quo dissensio et discordia dnorum. illorum regum modis aliquibus decentibus sisti possit.

Et quoniam visum etiam est Mti. regiae, ut scribatur Summo Pontifici condolendo ejus et sanctae illius Sedis infelici casui et significando, quanto studio et opera egerit Mtas. sua sedulo apud Mtem. caesaream de liberanda illius Sanctitate et reverendissimis dominis cardinalibus et rursus, quod Mtas. sua magna animi laetitia sit affecta, cum intelligat Sanctitatem suam pristinae libertati et dignitati esse restitutam, rogo vestram r. D. scribere etiam eas literas velit, tam ad summum Pontificem, quam ad rmos. dominos cardinales et Sacrum illorum Collegium et seorsum ad rmum. dominum cardinalem Sanctorum Quatuor. Cui inter alia reducat in memoriam priora postulata Mtis. regiae, videlicet ut signari et expediri curet supplicationem Mtis. suae, manu ejus subscriptam, de liberis collationibus ordinariorum hujus regni in eorum mensibus, ut literae provisionis vrae. rmae. Dtionis. et item domini Premisliensis, et suffraganei mei Cracoviensis quam primum expediantur et huc mittantur, ut ecclesia parrochialis in Wawrzinczicze Crac. diocesis suffraganeo meo Cracoviensi perpetuo uniatur, ut de canonicatu ecclesiae meae Cracoviensis, qui vacat per mortem olim Joannis Salomonis de mense Februarii, domino Georgio Miszkowski, doctori et viro nobili, provideatur, ut alia ejusdem Salomonis sacerdotia, quae sunt de jure patronatus laicorum, illic Romae aliquibus tricis non involvantur, et si quae alia putaverit vra. rma. D. in rebus suis et ecclesiae suae esse addenda. Quam rogo iterum atque iterum, scribere omnia supradicta velit diligenter ac pro dignitate regia. Ego mittam ad illum puerum meum ex Ilssa, ad quam me, Deo bene juvante, conferam dicto vale ambabus Mtibus., quae die crastina hinc in Lithuaniam proficiscuntur, et cupio interim felicissime valere vram. rmam. Dtionem., quae me habeat sibi charum et commendatum, et domino Broderico nostro ex animo commendet. Datum in Radom. 1528.

112. Petrus Tomicius, epus., vicecanc., Joanni Baliński, castellano Gdanensi.

Kod. Jabł. VI, nr. 212.

Generose dne. amice charissime. Recte fecistis, quod etiam regia Mtas. approbavit, quod cum illri. dno. Prussiae duce congressi estis et de rei serie, quomodo inter vos acta est, eandem regiam Mtem. fecistis certiorem. Quod autem adventum vrum. ad regiam Mtem. propter certas causas differri optatis, sciatis: hunc conventum Piotrcoviensem ad minus adhuc usque in 14 dies protrahi oportere, et demum recta in Radom profecturam Mtem. regiam et illinc recta via ad Lithuaniam ituram. Interea temporis potestis vos recolligere et res, quas pro manibus habetis, ordinare atque ita ad suam Mtem. ad Radom venire. Quod ut faciatis, suademus et consulimus. Triginta duos cum medio flor. pecuniarum in moneta, quos pro stanno exposuistis, vobis mittimus simulque agimus et habemus vobis gratias, quod in curandis rebus nostris tam diligentes fueritis. Quod scribitis, quomodo dno. Prussiae duci cum epo. Pomesaniensi convenerit, intelleximus. Habet episcopus ipse id, quod tantopere concupivit. Generositatem vram. bene valere optamus. Datum.

Teki Górskiego, nr. 2895, (minuta Zambockiego z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 41.
Kod. Sap. VII, 34.

113. Inhibitio, ne milites ad externam militiam eant. Sigismundus, rex Poloniae, capitaneis terrarum regni.

Magnifice sincere nobis dilecte. Ut alias semper, ita et nunc sedulo nobis significant speculatores nostri, viri diligentes et vigilantissimi, hi, quos in finibus regni nostri in excubiis semper habemus, Thartaros continuos hostes nostros nunquam (quam nunc) antea majoribus et copiis et vi atque apparatu irruptionem in regnum et dominia nostra facere statuisse. Et quamvis nos habeamus in terris nostris Russiae certum exercitum novissime conscriptum, quia tamen opus nimirum erit majore aliqua nobis potentia ad propulsandum impetum tantae multitudinis, itaque ne regnicolae nostri, quos forte latet tam subitanea necessitas publica, interim ex regno nostro aliquo militatum discedant, patriam vacuam relicturi, committimus tuae Sinceritati mandantes, ut visis praesentibus literis nostris mox publice et propalam proclamari mandet in foris et congregationibus populi per omnes civitates et oppida sui capitaneatus serio edicens universis et singulis subditis nostris status cujuscunque, praecipue vero possessionatis, ut exire aut proficisci non audeant quoquam de regno nostro, sed se omnes domi contineant sub amissione bonorum suorum omnium. Nec aliter factura pro gratia nostra.[1])

Teki Górskiego, nr. 1010, (kopia Górskiego).
Kod. Karnk. X, 21.
Kod. Sap. VII, 22.

114. Literae ad capitaneos de publicandis literis edictorum.

Sigismundus, rex Poloniae.

Magnifice sincere nobis dilecte. Mittimus cum praesentibus ad tuam Fidelitatem quaternas literas nostras, alteras videlicet universales contributionum publicarum in proxime praeterito conventu Piotrcoviensi decretarum, alteras vero de solvendis aliis contributionibus anni praeteriti per plerosque nobiles et alios in capitaneatu tuae F. adhuc retentis, cum sufficienti instructione de modo compellendi ad solvendum et extradendum easdem utrasque contributiones omnes illos, qui in eis solvendis ad rathas temporum in ipsis literis nostris peremptorie praefinitas negligentes essent vel contumaces, tertias autem literas mittimus pro abolenda ac penitus eradicanda de regno et dominiis nostris moneta Svidnicensi plurimum ipsi toti regno noxia, quae hactenus cohiberi non potuit ignorantia simplicium hominum et licentia eorum, qui decreta et prohibitiones nostras transgrediuntur, ac literas de custodiendis et occludendis fortius itineribus in Slesiam.

Quae quidem quaternae literae praedictae apud tuam F. pro ejus memoria et documento, quomodo videlicet se in praemissis gerere ac officio suo fungi debeat, remanere debent, mandamusque tuae F., ut per publicas proclamationes in civitatibus et oppidis capitaneatus sui diebus fororum et circa ecclesias parrochiales diebus festis ea omnia, quae in eisdem quaternis literis continentur et mandantur, divulgari et ad universorum quorum interest notitiam deduci faciat et ne quispiam illa transgrediatur, omnem operam, quantum sua interest, adhibeat ac officium suum contra transgredientes juxta ordinationem in dictis literis descriptam diligenter exsequatur. Et quia plurimum veremur, ne qui insultus et impetus

[1]) W minucie dopisek na dole: Hoc exemplo scribantur literae ad omnes capitaneos regni et ducatus Masoviae. — W kodeksie Karnk. jest edykt ten datowany: Ex Cracovia 1528, co niewątpliwie jest omyłką, bo o tym czasie król Zygmunt nie był w Krakowie.

impetus hostiles accidant hoc anno in regno nostro, sub hoc ex illo nostro discessu ad Magnum ducatum Lithuaniae, volentes contra eosdem insultus debitam provisionem facere et securitati ac indemnitati Reipublicae et subditorum ipsius regni nostri interim providere: mandamus tuae F., ut etiam proclamari mox visis praesentibus faciat aliud edictum praefati conventus generalis proxime praeteriti, hoc videlicet: ut propter arcendos ipsos insultus hostiles nemo ad bellicam expeditionem obligatus, habens possessiones et bona in regno nostro, audeat exire extra ipsum regnum, et si qui interim exiverunt, ut tempestive et quam primum redeant ad domos suas sub amissione omnium bonorum suorum, sintque intenti et continue parati ad retundendum et propulsandum quorumcunque hostium nostrorum impetum, qui aliquam irruptionem facerent, vel facere conarentur. Pro debito officii sui et gratia nostra tua F. non aliter factura. Datum in Radom feria quarta proxima post dominicam Invocavit. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo, regni nostri anno vigesimo secundo.[1])

115. Sigismundus primus, rex Poloniae, Sigismundo Erberstein, sermi. regis Ferdinandi consiliario et oratori.

Teki Górskiego nr. 2894, (minuta Tomickiego). Kod. Karnk. X, 38. Kod. Sap. VII, 35.

Magnifice sincere nobis dilecte. Non sumus immemores mandare omnibus subditis nostris, qui aliquas possessiones habent, ut se domi suae contineant, et nemo extra regnum nostrum quopiam exire audeat, et si qui interim exiverint praeter voluntatem nostram, ut rursus ad domus suas redeant sub privatione omnium bonorum suorum. Jamque literas super ea re inhibitorias scribi jussimus, quae brevi una cum aliis edictis nostris et decretis conventus praeteriti in omnibus districtibus et capitaneatibus regni nostri publicabuntur. Et de hoc nihil dubitet tua S. Nam id, quod facere polliciti sumus, praestare et exsequi constanter et sine ulla mora curabimus. Bene valeat tua S. Datum in Radom die V Martii. Anno domini M°. D°. XXVIII°.

116. Tomicius, epus., vicecancellarius, Sigismundo Erberstein, consiliario oratori.

Teki Górskiego nr. 2894, (minuta Tomickiego). Kod. Karnk. X, 39. Kod. Sap. VII, 36.

Magnifice domine, amice charissime et honorande. Non miretur vra. D., quod hactenus literae regiae inhibitoriae, ne quispiam extra regnum ad militiam transire audeat, non sunt editae neque publicatae, toto enim hoc tempore, quo ex Pyotrkowia discessimus, scribae et notarii mei scribunt die et nocte decreta et edicta conventus generalis praeteriti, quae tamen ad hoc tempus perficere et finire non potuerunt. Dominus namque castellanus Cracoviensis, regni cancellarius, secessit ad possessiones suas et in me solum totam molem et sarcinam omnium expeditionum rejecit, quem tamen aequum erat partem illorum in se assumere. Certo autem credat vestra D., quod intra aliquot dies omnia fient et in exsecutionem ponentur, quae Mtas. domini nostri facturam se recepit et promisit. Et de hoc nihil dubitet vestra D.

Negotium domini Gersdorff ita se habet. Donavit illi Mtas. regia partem census sui annui, quem ei pendere solent Judaei in civitate Leopoliensi commorantes. Quia vero eadem Leopoliensis

[1]) D. 4. 3. 1528.

Leopoliensis civitas aestate praeterita tota conflagravit, et propter ingens damnum incolis illius tam christianis quam Armenis et Judaeis illatum, fecit eos Mtas. sua liberos et immunes a quibuslibet censibus et contributionibus ordinariis et extraordinariis solvendis, et aequum est, ut dominus Gersdorff habeat rationem calamitatis illorum et boni consulat, quoad libertas illis concessa exspiraverit. Bene valeat vra. Dtio. et nos diligat. Dat. ex Radom V Martii. 1528.

Teki Górskiego nr. 2894, (minuta Tomickiego). Kod. Karnk. X, 40. Kod. Sap. VII, 37.

117. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Josto Ludovico Decio, consuli Cracoviensi.

Nobilis et egregie domine, amice charissime. Dudum scriptae et paratae sunt literae de transcudenda et cambienda moneta Swidnicensi et datae ad magnificum dominum thesaurarium, qui haud dubie illas vel misit jam ad vos, vel mittet propediem.

De aureis cudendis scribentur etiam literae, sed opus est, ut vos scribatis formulam et exemplum illorum, nam nos nescimus, quo gradu et valore iidem aurei cudi debeant.

Majestas regia commisit domino thesaurario, quod solvere vobis debeat pro opera et diligentia vestra, quam praestitistis in tempore praeterito et quam deinceps facturi estis in officina monetaria et curandis commodis regiae Mtis. et Reipublicae. Id quod ab eo brevi cognoscetis.

Exemplar Missalis, quod allatum est vobis, mittatis ad nos per Nieschkowski, servitorem nostrum, si nondum isthinc discessit, vel detis illud ad dominum Bedlenski, scolasticum et vicarium nostrum Cracoviensem, qui illud facile per aliquem nuntium perferri ad nos curabit.

Hodie profecta est ex Radom regia Majestas in Lithuaniam, cujus iter dominus Deus secundet. Quia vero tabellarius vester, quem cum literis domini Sigismundi et vestris ad nos misistis, non poterit tam celeriter ad vos redire propter malitiam itinerum, voluimus respondere vobis per dominum Stopa ad ea, quae ad nos scripsistis. Et optamus, vos bene valere. Datum ex Radom V Martii. 1528.

Kod. Sap. XVII, f. 114.

118. Sigismundus primus, rex Poloniae, Clementi papae septimo.

Sanctissime etc. Vetusti moris fuit, ut paenitentiario linguae Slavonicae Scti. Petri de Urbe fatali necessitate absumpto alter quispiam nationis Polonicae, literarum doctrina et moribus commendatus, in locum demortui surrogaretur, et ita per Romanos Pontifices, Stis. vestrae praedecessores, fuit tentum et observatum; his vero temporibus cum paenitentiarius linguae hujus, qua homines regni nostri vulgo utuntur, ex humanis decesserit, supplico Sanctitati vestrae, ut ad hoc paenitentiariae officium eo modo vacans venerabilem Stanislaum Rzeczicza, utriusque juris doctorem, subditum meum, qui plures annos in Italicis gymnasiis versatus, vita, moribus, et doctrina fide dignorum testimoniis commendatur, promovere ac in locum demortui surrogare dignetur, prioribus literis meis, quas ad preces domini archiepiscopi Gnesnensis ad Stem. vestram dedimus, ut quem ille commendaret, eum Stas. vestra ad hoc ipsum paenitentiariae officium sufficere dignaretur, non obstantibus, quas magis per importunissimam instantiam, quam ut ita mentis nostrae fuerit,

fuerit, credat esse extortas. Nam quendam Michaëlem de Paczanow, hominem turbulentum et crimine falsi notatum, ob idque Romae in cordis tractum, ad hoc officium paenitentiariae multa ambitione aspirare accepi, quem ob ejus plurima facinora nollemus a Sctate. vestra vel hoc vel aliquod aliud minimum beneficium obtinere. Faciet autem Sanctitas vestra officium optimi et clementissimi domini, cum in dictum Stanislaum Rzeczicza, virum dignum, officium et beneficium hoc conferet, et me hac gratificatione sibi et Sanctae suae Sedi tanto arctius devinciet. Commendo me etiam atque etiam regnumque et dominia mea vestrae Sanctitati. Quam pro incolumitate rei christianae et optatis meis cupio esse diutissime sanam, sospitem et felicem. Datum in Radom, die sexta Martii.

119. Sigismundus primus, rex Poloniae, Cardinali S. Quatuor, protectori.

Kod. Sap. XVII, f. 114 v.

Rme. domine etc. Intelleximus paenitentiarium linguae Slavonicae Sancti Petri de Urbe natione Polonum vita decessisse, ad quod officium ex vetusta observantia homines regni nostri promoveri consueverunt, nam Poloni cum Slavonis in lingua conveniunt. Quare plurimum rogamus rmam. Dtionem. vestram, cooperari ac adniti velit apud Sanctissimum dnum. nostrum, ut huic officio paenitentiario sic vacanti venerabilis Stanislaus Rzeczicza, juris utriusque doctor, homo vita, moribus et doctrina approbatus, praeficiatur et ipse paenitentiario defuncto sufficiatur, prioribus literis meis, quas ad preces et in favorem rmi. dni. archiepiscopi Gnesnensis dedimus, non obstantibus, quas per magnam potius importunitatem, quam ut ita mentis nostrae fuerit, existimet esse extortas. Nam postea ex quorundam relatione accepimus Michaëlem de Paczanow, hominem plebeum, turbulentum, Romae non multo antea in cordis tractatum ac de crimine falsi convictum, hoc paenitentiariae officium plurimum ambire, quem nollemus non solum ad illud sed ne ad quodvis quidem aliud minimum officium seu beneficium praefici ac surrogari. Rogamus enixe vestram rmam. Dtionem., operam suam adhibeat, ut illius Sanctitas postulatis nostris annuere dignetur, quae vestra rma. Dtio. promovere et conficere velit, et valeat felicissime, ac nos diligat. Datum in Radom, die sexta Martii.

120. Petrus Tomicius, epus. Cracov., vicecancellarius, Cardinali S. Quatuor, epo. Praenestino, protectori.

Kod. Sap. XVII, f. 115.

Rme. in Christo pater et dne. dne. colendissime, post servitutis et orationum mearum humilem commendationem. In ultimo optimatum regni Poloniae conventu, qui sub bruma est celebratus, dnus. archiepiscopus Gnesnensis intelligens paenitentiarium linguae Slavonicae, qui natione Polonus erat, vita decessisse, summa ope adnixus est literas a regia Mte. ad Sanctissimum dominum nostrum et rmam. Dtionem. vestram obtinere pro Michaële Paczanow, homine turbulento, infami et multis sceleribus notato, ut in locum paenitentiarii linguae Slavonicae sufficeretur. Quod cum impetrare non posset, hoc tandem per magnam importunitatem extorsit, ut quem ipse eidem Sanctissimo domino nostro et rmae. Dtioni. vestrae promoveret et nominaret, is paenitentiarius linguae nostrae crearetur, accepitque literas Mtis. suae a dno. cancellario dno. saeculari, attente cavens, ne ego, qui tam parum honestas petitiones abhorreo, id praesentirem. Cum autem ejusmodi literae

literae de mente regiae Mtis. non processerint, quamvis illis forte manu sua subscripserit, quod etiam per eandem importunitatem extortum esse ingenue credat, rogo plurimum rmam. Dtionem. vestram, ut attenta potius vera Mtis. suae voluntate, de qua mihi satis constat, literis Mtis. suae, eo modo extortis verius quam obtentis, non obstantibus, doctorem Stanislaum Rzeczicza, virum doctrina et vitae innocentia Mti. suae regiae, nec non multis praelatis ac proceribus regni commendatum, ad dictum paenitentiariae officium promovere velit, hocque sibi persuadeat, quod illum et non alium cupit Mtas. sua gentis nostrae Slavonicae esse paenitentiarium. Quo negotio ex sententia confecto, faciet vestra rma. Dtio. rem gratam universo regno Poloniae et genti nostrae Slavonicae utilem, Sanctae Sedi Apostolicae honorificam, et Mti. regiae ac subditis ejus, qui virtutem amant, longe gratissimam. Commendo me rursus ex animo vestrae rmae. Dtioni., quam dominus Deus quam diutissime servet in sua gratia incolumem et felicem. Datum in Radom die VI Martii etc.

121. Sigismundus primus, rex Poloniae, Andreae Gritti, duci Venetiarum.

Kod. Wojcz. nr. 108a.

Illme. princeps etc. Proficiscitur isthuc Venetias nobilis iste Stanislaus Mieleczki, unus ex proceribus regni nostri, fidelis nobis dilectus, hinc deinde cum ceteris militibus Hierosolymam trajecturus. Quem cum Venetiis et in aliis civitatibus Illtis. vrae. peregrinare et agere oporteat, commendationem illi ejusmodi ad Illtem. vram. facere voluimus, ut si quo fortasse auxilio et ope Illtis. vrae. ad hanc suam peregrinationem indigeret, id illi causa nostra praestare Illtas. vra. non gravaretur. Quidquid autem humanitatis et liberalitatis in illum et comites suos erit ab Illte. vra. praestitum, id nos paribus officiis vicissim et regia gratificatione Illti. vrae. referemus. Cui felicissimos omnium rerum successus et optimam longamque valetudinem ex animo optamus. Datum in civitate nostra Radomiensi die VI ..... 1528. [1])

122. Petrus Tomicius, epus. Cracov., vicecancellarius, Joanni Chojenski, archidiacono Crac., secretario regio.

Kod. Sap. XVII, f. 148 v.

Venerabilis domine, frater in Christo charissime. Egimus a quatuor annis diligentissime et continue per literas regias et nostras apud summum Pontificem et rmum. dnum. cardinalem Sanctorum quatuor, ut nos episcopi et ordinarii regni hujus liberas collationes sacerdotiorum in mensibus sex nobis concessis habere possimus, sic quod nullis gratiis, exspectativis, nullis reservationibus generalibus et specialibus aut etiam mentalibus, nullis coadjutoriis, nullis accessibus, ingressibus, regressibus et aliis id genus novis inventis, propter quae totus ferme orbis christianus nunc tumultuatur et jugum Sanctae Sedis Apostolicae, quae funiculos auctoritatis et jurisdictionis suae plus nimio extendere videtur, excutere contendit, eaedem nostrae collationes impediantur. Quia tamen hactenus id impetrare non potuimus, prout vellemus et prout res nostra ecclesiastica postulare videtur, scripsimus iterum alias literas in ea re ad rmum. dnum. cardinalem Sanctorum quatuor,

[1]) Nazwa miesiąca (marca) opuszczona.

tuor, quas vos manu Mtis. regiae subscribi curetis, et simul cum aliis prius missis quamprimum ad nos remittatis.

Ceterum scripsimus Mti. regiae per Petrum Starczewski, ejus cubicularium, commemorantes illi et rogantes, ut rmo. dno. cardinali Sanctorum Quatuor trecentos aut quadrigentos aureos mittere dignaretur, nam ab eo tempore, quo illum Mtas. sua protectorem regni sui cooptavit, nullum ei munusculum misit, ille vero in praesens est multum indigens, quia in excidio urbis Romae omnibus rebus suis spoliatus, atque ita merito esset in praesens liberalitate Mtis. suae relevandus. Rogamus vos, reducatis in memoriam negotium hoc ejusdem rmi. dni. cardinalis Mti. suae, et si Mtas. sua gravaretur illi quicquam nunc mittere, mittemus nos illi de pecuniis denarii Sancti Petri, tantum quantum Mtas. sua juberet. Qua in re exquiratis mentem et voluntatem Mtis. suae, et nobis illam per primum nuntium literis vestris significetis. Et bene valete. Datum.

123. Sigismundus primus, rex Poloniae, Cardinali S. Quatuor, protectori.

Kod. Sap. XVII, f. 149.

Rme. in Christo pater etc. Miramur plurimum, quod ad petitiones et postulata nostra, quae pro ordinariis regni nostri et eorum liberis collationibus pluries fecimus, nihil hactenus a Sanctissimo dno. nostro fuerit nobis responsum, nunc vero etiam Dtionis. vestrae in ea re moram et silentium admiramur, cum id cognitum illi esse ex anterioribus scriptis nostris potuerit minime nos fuisse assensos primae illi voluntati suae Sanctitatis, quae nos rejiciebat ad compactata Germaniae. Quippe quod et Germanorum aemulari in his rebus consuetudinem fugiamus, apud quos recens et nefarium genus praevaricationis hisce proximis retro temporibus in contemptum nominis salutis nostrae autoris et totius ordinis sacerdotalis dedecus erat consensu multorum suscitatum, et dissimilem esse nostram cum illorum sacerdotia conferendi rationem judicemus, nos etenim (cum illi ad arbitrium et libidinem suam omnia vendicent) bona ducti conscientia et Apostolicae Sedis veneratione ad aequanimitatem quandam et modum etiam ea redegimus, quae jure dominii in nostra solius sunt posita potestate, et sane nos nihil nobis contra majorum nostrorum scita et consuetudines videmur postulare: quinimo ea deprecamur mutari, abrogari et tolli, saltem in sex mensibus ordinariis regni nostri concessis, optamus,[1]) quae, quum insolentia nec satis licita pluribus videbantur, gravem in animis populorum commoverunt offensionem. Quare iterum atque iterum rogamus Dtionem. vestram rmam., ut in ea nostra petitione assensum nobis Sctmi. domini ita praeparet, ne amplius haec res a nobis repetatur et primo quoque nuntio literas et diplomata secundum tenorem et continentiam supplicationis manu nostra subscriptae ad nos mittere velit, quae omnem in se immunitatem ordinariis regni nostri in sex mensibus per vices ad eos pertinentes contineant et praestent, ne videlicet possit coadjutoriarum etiam de consensu possessorum, praeterea mentali vel generali aut speciali et expressa reservatione, item gratiarum quarumcunque, accessuum, ingressuum, regressuum, ceterorumque id genus inventorum concessione, libera eorum collatio deinceps impediri.

Ceterum, Plocensis et Premisliensis ecclesiarum episcopi, qui nuper a nobis fuerunt nominati, et similiter suffraganeus reverendi domini episcopi Cracoviensis diplomatibus suis sacris et ex more Sedis Apostolicae sibi debitis hactenus non sine gravi molestia carent, pro quibus

[1]) Tak w kodeksie; — tekst widocznie uszkodzony.

quibus jam dudum ex consuetudine certam pecuniam camerae Apostolicae debitam trapesitae Fuggari eorum nomine Romae numerarunt, quorum quidem cum honesta sit causa, gratissimum nobis vestra rma. Dtio. fecerit, si ejus quoque justam et celerem habuerit rationem.

Hic vero adolescens sacris jam initiatus nobisque ob generis nobilitatem et majorum suorum merita plurimum gratus, cum esset isthuc ad vestram rmam. Ptem. profecturus, multum se petiit a nobis commendari, quem scientes nos nihil iniqui vel inhonesti ab illa petiturum, magnopere illi eum commendamus. Rogamusque, ut ei commissionem, prout res sua postulabit, concedi procuret, in qua ille in integrum juris sui, propter absentiam et procuratoris iniquitatem vel negligentiam amissi, restituatur. Edisseret autem ille singula vestrae rmae. Dtioni., in quibus adjumentum causae suae fore necessarium arbitrabitur, quod ut illi praestet vestra rma. Dtio., majorem in modum ab illa rogamus, quin etiam et ea, quae supra scripsimus, celeri, uti res optataque nostra exigunt, diligentique cura exsequatur, rem sane nobis procul dubio gratam factura, quam illi vicissim omni studio et benivolentia nostra referre studebimus. Valeat optime vestra rma. Dtio. nosque diligat, et Sanctissimo domino nostro frequenter commendet.

Cordiale.

Rme. domine. Intelligentes nos anni superioris in Urbe excidium et direptionem non parvum in opibus et facultatibus Dtionis. vestrae rmae. detrimentum et incommodum attulisse, ut aliquantulum levetur sua molestia et jactura, mittimus illi trecentorum aureorum Hungaricalium munusculum, eo maxime testificantes non ingratum nobis esse officium et operam Dtionis. vestrae rmae., quam apud Sanctissimum dominum nostrum in promovendis nostris et subditorum nostrorum negotiis diligenter et accurate praestare solet. Quod quidem munusculum exiguum licet et meritis illius impar videatur, rogamus, ut illud nunc grato a nobis animo Dtio. vestra rma. suscipiat nostraque et nostrorum in posterum negotia habeat apud se commendata.

Reverendus dominus Joannes Carnkowski, electus et confirmatus Premisliensis, cui nuper provisionis et consecrationis literae sunt a Dtione. vestra rma. allatae, indiget adhuc literis reservationis sacerdotiorum suorum, de quibus jam antea nos scripsimus diligenter, propterea quod intelligebamus illum absque iis dignitatem episcopatus sui, cujus sunt tenues admodum reditus, sustinere commode et cum decore non posse. Quare plurimum rogamus Dtionem. vestram rmam., ut easdem reservationis sacerdotiorum literas praenominato dno. Joanni Carnkowski per praesentem nuntium mittere velit, quo maxime expedit, argumento et cautelis scriptas et munitas.

Exigente autem necessitate et postulante id reverendo domino episcopo Cracoviensi et regni nostri vicecancellario, ne in ecclesia sua, quae celebris est et variae conditionis hominibus referta, possint passim et sine illius canonica cognitione ejusmodi deinceps homines recipi, qui possent aliquod nobis posthac, uti alibi non multo ante factum est, in religione negotium facessere, plurimum Dtionem. vestram rmam. rogamus, impetrare illi velit nostro nomine apud Sanctissimum dominum nostrum reservationem septem infrascriptorum sacerdotiorum in majori sua et collegialis duabus ecclesiis, ut de iis, si forte in mense suae Sanctitatis vacaverint, libere disponere possit, non obstantibus quibuscunque gratiis, reservationibus, coadjutoriis etiam de consensu, nominationibus et nominandi facultatibus, unionibus et ceteris concessionibus quibuscunque cujuscunque ordinis, status et dignitatis hominibus concessis vel concedendis, prout id Dominatio vestra rma. pro

sua

sua prudentia et ejusmodi literarum conficiendarum summa et singulari peritia melius obfirmare sciet et poterit providere.

Est etenim hic antistes ex dignitate et commodo ecclesiae suae personas ad munus canonicum et templi curam subeundam optaturus, quae et nobilitate generis et optimae cujusque disciplinae eruditione praeditae facile et dignitatem ecclesiae et bona illius tueri et conservare potuerint. Sacerdotia vero, quae reservari illi optamus, sunt ista: Scolastria Cracoviensis, cantoria ecclesiae collegiatae Visliciensis, canonicatus et praebenda ecclesiae collegiatae Kielciensis, quae obtinet venerabilis Nicolaus Bedlenski, in spiritualibus Cracoviensis vicarius. Item canonicatus et praebenda ecclesiae Cracoviensis, quos obtinet Felix Sirchowski. Item alter canonicatus et praebenda ejusdem ecclesiae Cracoviensis, quos nunc possidet venerabilis Joannes Jacubowski. Item capellania seu altare in ecclesia Cracoviensi, quod obtinet venerabilis Petrus Vapowski, ejusdem ecclesiae Cracoviensis decanus. Item canonicatus et praebenda ecclesiae collegiatae Kielciensis, quam nunc habet et obtinet venerabilis Jacobus de Lublyn.

Esset autem nobis quam gratissimum, ut Dtio. vestra rma. in unico brevi Apostolico omnem hanc impetrationem conscribi munirique et custodiri firmissimis quibusque cautelis et verborum clausulis ac munimentis faceret, ut postmodum illis cavillationi et curiositati improborum reniti et resisti possit, et ut fructus et proventus beneficiorum reservandorum supranominatorum habeantur nunc pro expressis. Nos vero, quantum diligentiae et patrocinii sui in id Dtio. vestra rma. contulerit, nostra illi deinde plurima benevolentia et gratificatione per omnem occasionem referemus.

124. Instructio per Stephanum Brodericum conscripta, secundum quam legatio a rege Poloniae mitteretur ad Ferdinandum.

Kod. Karnk. X, 63.
Kod. Sap. VII, 55.

(Ante fugam regis Joannis ex Hungaria in Poloniam — ad Tomicium missa Brodericus tunc agebat in Poltowsko.[1])

Orator, qui ad serenissimum dominum regem Ferdinandum mittitur, praemissis his, quae in primo congressu apud ejusmodi principes praemitti solent, dicat:

Serenissimum dominum regem Poloniae cupidum salutis publicae totius Christianitatis, studiosum item honoris et omnis commodi suae Majestatis, praeterea reputantem in animo, quid post tantam cladem regni Ungariae, rege interfecto, exercitu deleto, regno fere toto per hostem ferro et igne crudelissime vastato, sequi potuisset, si regnum ipsum in diversas partes fuisset scissum, semper ab eo tempore, quo haec contigerant, usque ad horam praesentem omnia ea egisse teste sua Majestate, quae ad res illius regni stabiliendas et pericula, quae regno illi imminere videbantur, avertenda, pertinerent, atque hanc ob causam in conventu etiam Olomucensi interposuisse partes suas, si quomodo pax inter suam Majestatem et adversarium suae Majestatis confici potuisset, vidisse se postea (nam ea paene sub oculis fuisse) illa, quae subsecuta sunt et quae nunc quoque in illo misero regno agantur, oculis lacrimantibus et cum maxima et incredibili cordis amaritudine. Quae quidem tot curae ac labores Majestatis regiae etsi omnes frustra hactenus ceciderint, tam rege Ferdinando, quam adversario ejus sua salubria pacis consilia aspernante, statuisse tamen, publico etiam regni sui conventu id a se expostulante, ultimum hunc

[1]) Przypisek Górskiego w kodeksach.

hunc in hac re conatum adhibere, si quomodo adhuc persuaderi possit suae Majestati et ejus Majestatis adversario, ut armis depositis ad ea curanda adjicerent animum, per quae pericula procul dubio imminentia propulsari possent. Misisse itaque hujus rei gratia Majestatem regiam ad utrumque regem; se esse missum ad Majestatem serenissimi regis Ferdinandi, alium eodem tempore pro hac eadem re cum diligentissimis mandatis ad adversarium suae Majestatis.

Motam autem esse regiam Majestatem ad hoc faciendum cum illis iisdem de causis, quibus antea, tum vero, quod certo intelligat Turcum aestate proxima regnum Ungariae omnino invasurum, qui sive veniat ad occupandum pro se regnum Ungariae, quod vero sit similius, sive in auxilium adversarii suae Majestatis, quod multi opinentur, utrumque esse valde periculosum toti reipublicae Christianae et maxime regnis ac dominiis tam suae quam regiae Majestatis; vires autem Turci non esse adeo contemnendas, ut eas nonnulli potentiae ejus ignari elevare soleant. Solere eum sub signis habere trecenta et eo amplius hominum milia, et magnam ejus exercitus partem constare ex milite omnium exercitatissimo et pugnandi perito et aliter quam antea fuerit armato, totque etiam continuis victoriis non parum elato; tormenta ei bellica omnis generis plurima et praestantissima esse cum magistris et omnibus ad id necessariis ex media Italia et Germania petitis, ordinem vero tam in pugna, quam extra pugnam, immo rebus in omnibus ad belli gerendi rationem pertinentibus talem, ut omnia veterum de hoc praecepta et instituta ad unguem observare videatur; obedientiam esse miram et incredibilem; nullum pecuniae aut stipendii, nullum commeatuum defectum, nihil non esse diligentissime provisum, nullius esse nunc unius in toto terrarum orbe principis vires cum illius viribus conferendas, quidque de hoc suae Majestati fortasse dicatur.

Quantum autem sit suae Majestati vel in viribus suis privatis, vel in auxiliis aliorum principum contra tantum hostem fidendum, id regem Poloniae non ignorare, sese illud probe recordari et non sine lacrimis saepe memoria repetere, nepotem suae Majestatis et eundem sororium suae Majestatis, serenissimum dominum regem Ludovicum, omnium amicorum et fratrum auxilia suppliciter implorantem, prius et caput amisisse et exercitum nobilissimum, quam fuerit ab illis adjutus, Ungaria per hoc in illam, quam Majestas sua oculis videret, calamitatem adducta. Quodsi Turcus in adversarii suae Majestatis auxilium veniat, illud etiam esse suae Majestati verendum, ne Turco non ut hoste, sed ut amico nationi Ungariae veniente et pacem eis afferente, malint illi bonam aliquam et tolerabilem ab illo amicitiam, quam arma illius et vires experiri, praesertim nuper tanto suo sanguine et tanta regni jactura satis expertas. Quin et illud fortasse esse regi Ferdinando, uti principi prudentissimo, considerandum, si adversarius suae Majestatis a Turco adjutus praevaleat, ne quid periculi sit ab adversario etiam suo cum Turca conjuncto regnis et dominiis suae Majestatis exspectandum. Satis recentem esse memoriam earum calamitatum, quas Austria, Styria et Charintia sub rege Mathia ab Ungaris sit perpessa tunc cum Turco etiam parte ex alia pugnantibus, regis Joannis patre belli istius ductore.

Haec igitur omnia et iis plura esse suae Majestati consideranda, et longe esse consultius suae Majestati venire ad aliquam tolerabilem cum adversario concordiam, quam et regna ista, tam sua, quam regiae Majestatis Poloniae, cum his et universam rempublicam christianam extremo periculo exponere. Quod Majestatem suam tanto majore nunc sua gloria facere posse, quanto latiorem habeat in Ungaria ditionem, tanto autem cum majore damno, quanto sint vehementius suae Majestati ista, quae praemissa sunt, pericula extimescenda: consultissimum saepe fuisse contemnere in summo felicitatis gradu fortunam. Itaque agat

dominus

dominus orator quanto diligentius poterit ad serenissimum regem Ferdinandum modis omnibus ad arma deponenda, ad pacis cum adversario suo tractatus ineundos inducendum.

Referat praeterea dominus orator, oratores adversarii suae Majestatis in conventu Piotrkoviensi assidue protestatos, regem ipsorum ad omnia justa et aequa fuisse et esse etiam antea semper, tunc quoque cum res ipsius securae ac florentissimae forent, paratissimum, nunc etiam paratum stare judicio cujuscumque modo non in totum suspecti judicis, subiturum aequo animo omnem, quamcunque justitia tulerit, sive aequam, sive iniquam sortem; si vero vi et armis secum agatur, tentaturum eum prius omnia extrema, quaecunque pro regni et status sui conservatione facere possit, quam regno legitime, ut ipsi dixerunt, adepto vi ejiciatur, ex quo si quid adversi reipublicae christianae eveniat, non regi ipsorum, sed ei, qui eum ex regno ejicere conetur, fore imputandum, quae verba, dicat, Majestatem probe intelligere, quam vim habeant et quorsum tendant.

Illud etiam cogitandum esse, dicat dominus orator regi Ferdinando, non defuturos, si Ungaria per ista dissidia pereat, qui magnam hujus culpae partem sint suae Majestati ascripturi, suam enim Majestatem tale regnum occupasse, quod non erat verisimile privatis suae Majestatis viribus a tanto hoste defendi posse, Joannem vero regem fortasse potuisse illud aliquibus foederum conditionibus salvum reipublicae christianae conservare, prout oratores ejus sint de hoc coram Majestate regia et toto consilio ac regni conventu non semel protestati.

Illud etiam atque etiam inculcet orator serenissimo regi, nullam omnino jam aliam vel certe difficillimam rationem retinendae a Turco Ungariae esse, vel etiam in posterum fore, rebus praesertim christianis in hunc modum se habentibus, nisi per foedera, foederum autem rationem cum Turca ineundorum esse suae Majestati difficillimam et paene impossibilem, quia Turcus nunquam sit (quod et alias facere negavit) Siciliam, Apuliam et Italiam in hujusmodi foedera Ungarica recepturus, volet enim ita foedus inire cum Ungaria et cum his provinciis septentrionalibus, ut liberum sit ei christianae reipublicae occupandae inhianti in illas regiones facere expeditionem; regis vero Joannis non esse eandem in hac parte rationem.

Pulchrum fuisse et nunc esse dicat, quomodocunque sua Majestas ad regnum Ungariae occupandum et ad hoc tam grave onus Ungariae a Turco defendendae assumendum animum adjecerit, alieno periculo, aliena cura, alieno sumptu, tuto in pacatis regnis imperare et a tanto hoste, quantus Turcus, alienis alis protectum regnare.

Dicat orator non esse inter postrema regi Ferdinando, uti principi justo et catholico, illud etiam considerandum, quam juste et legitime petat Ungariam, rege praesertim in ea et electo et coronato et obedientiam totius regni praeter paucissimos consecuto, non quod Majestas regia, rex Poloniae, nunc judicem velit agere inter partes vel jura regis Ferdinandi facere deteriora, sed quod videt adversarium suae Mtis., quidquid id sit, in quo is confidat, semper ab initio suscepti regiminis, tunc etiam cum res ejus viderentur multum securae, fuisse paratum ad standum juri et ad omnia, quae jure decisa fuissent, libenti animo subeunda, et id ad universos etiam principes christianos perscripsisse, per quod non parum causam suam justificaverit coram Deo et hominibus. Nunc quoque in praeterito Piotrcoviensi conventu oratores ejusdem adversarii assidue hoc auribus regiae Majestatis et totius conventus inculcasse et regem suum judicio cujusvis judicis, modo non in totum suscepti, submisisse. Meminerit serenissimus rex Deum justum esse, immo ipsam justitiam, solere saepe intrare in aures divinas hujusmodi clamores, quales nunc adversarius suae Majestatis per universum christianum orbem faciat, nihil aliud nisi justitiam implorans;

implorans; bella et quaecunque dissidia non semper esse in manu forti et brachio excelso, sed saepe etiam nutu et voluntate Dei, qui justitiae favere soleat, dirimi ac terminari, et haec Majestatem regiam dicere, non uti judicem, vel jurium suae Majestatis diminutorem, sed quia judicat Majestas regia christiano et justo principi haec vel imprimis esse consideranda, ac suae Majestati potissimum, quam scit omnium suarum actionum scopum in Deum dirigere, et totum pro sua bonitate ac religione a nutu et voluntate divina pendere.

Dicat postremo dominus orator Majestatem regiam Poloniae per haec functam esse officio suo apud utrumque regem, qui si consiliis suis salutaribus morem gesserint, acturam se Deo imprimis, deinde utrique ipsorum gratias et maxime suae Majestati, utpote in cujus manu magis nunc esse videat et pacem et bellum; si vero consiliis suis nullum esse locum apud eos viderit, deploraturam se, quod et hactenus fecerit, jugibus, lacrimis et suspiriis communes calamitates et infelicem reipublicae christianae sortem, cui in hunc etiam miserabilem modum afflictae nulla quies ab intestinis bellis concedatur, suis autem rebus licet per haec ipsa dissidia in extremum discrimem adductis, quocunque tamen modo et quanto celerius possit, consulturam.

Haec vero, quae et nunc agat et antea egerit apud utrumque regem, omnibus principibus christianis perscripturam, ut totus christianus orbis intelligat Majestatem regiam nihil penitus omisisse ab initio istarum dissensionum, quod ad commodum utriusque ipsorum et ad quietem ac salutem pertinuerit.

His coram serenissimo rege Ferdinando in publico ejus consilio dictis, adeat postea orator utramque reginam et maxime Mariam, si cum fratre erit, agat haec eadem cum illis, hortetur eas nomine regiae Majestatis, ut se pro pace interponant, pacem suadeant, respiciant haec pericula jam jam ventura et exterminium horum regnorum. Deinde adeat privatim potiores consiliarios, imprimis Alexium Thurzonem et Palatinum, deinde Paulum archiepiscopum, Petrum Perenni, Thomam episcopum Vesprimensem, Simonem episcopum Zagrabiensem, si eum ibi reperiet, apud quos hoc idem agat. Si erunt apud regem Ferdinandum aliqui ex potioribus consiliariis Germanis, prout verisimile est futuros, hoc idem agat cum illis. Sed ante omnia cum Alexio Thurzone et Maria regina, quae si erit absens, adeat tamen eam omnino et cum ea diligentissime de his rebus agat.

Et si respondeatur ex adverso, Turcum pro hac aestate vel quieturum, vel aliquo alio arma moturum, dicat: id nos esse verisimile propter illa, quae sint Majestati regiae nuntiata ex fidelissimo loco, Turcum alioquin esse astutissimum et saepe aliud fingere aliud agere, deinde dicat, quodsi etiam pro hac aestate Turcus Ungariam non esset invasurus, suae tamen Majestati regi Ferdinando, veluti prudentissimo principi, esse in futurum quam longissime rebus suis prospiciendum, et virium illius magnitudinem esse pertimescendam, neque esse, quod speret in pace cum eo ineunda propter causas superius dictas.

Quodsi interim fieret in rebus vel Ferdinandi vel regis Joannis, vel rebus Turcicis aliqua insignis mutatio, moderetur orator omnes suas actiones pro temporis qualitate, et sese ad statum rerum accommodet, nam in his consilium ei praescribi non potest, tendat tamen ad eum, qui superius est expressus et per quem Ferdinandum ad pacem inclinare possit, scopum, et huc omnes ingenii sui vires intendat.

Illud meminerit, regem Ferdinandum longe facilius trahi posse ad omnia, si intellexerit, Joannem a Turca habiturum auxilia. Postremo si videat orator Ferdinandum regem neque precibus ullis flecti, neque ullis consiliis acquiescere, veniat ad illud, ut dicat Ferdinando: si sua Majestas nihil alliud facere vult, faciat illud saltem, quod a christiano principe recte

recte negari nullo modo potest: sit contenta sua Majestas, quod haec causa jure discernatur, remittatur in arbitrium aliquorum, qui neutri parti sint futuri suspecti, et quidquid illi decreverint, id per utramque partem observetur. Christianos nos esse, dicat orator, eidem Christo Domino omnes, ita reges ut pauperes, subjectos, jure esse et aequitate, non armis invicem christianis hominibus contendendum, reddituros districtam in districto Dei judicio rationem omnium nostrarum actionum, praesertim tanti sanguinis christiani fusi; deinde illud quoque adjiciat, nullum violentum ac minus juste quaesitum solere esse perpetuum, immo nec diuturnum, exstare sexcenta hujus rei exempla tam in veteribus diversarum nationum, quam in recentioribus christianorum historiis. Majestas sua, tanquam princeps justus et catholicus, non recuset id, quod justum est et aequum, ne Deum reddat sibi per hoc infensiorem. Fortasse, visis juribus suae Majestatis, regnum ei adjudicabitur, atque ita cum magna sua gloria illud obtinebit, et obstruet ora multorum hanc violentam, ut illi dicunt, illius regni praesertim tali ac tam periculoso tempore occupationem non mediocriter improbantium, et sic adversarius etiam suae Majestatis cogetur suae Majestati colla submittere. Si vero Majestas sua, adversario justitiam tantum et judicium implorante atque inclamante, justitiam recusare pergat, cavendum erit suae Majestati, ne vel adversarius aliquo occulto Dei justitiam adjuvantis auxilio adjutus contra suam Majestatem praevaleat, vel uterque a tertio regno ejiciatur, et universa respublica christiana suam Majestatem pro hoc perpetuo incuset. De hoc loquatur orator diligentissime coram rege Ferdinando in consilio, sed tunc, ut dictum est, quando viderit eum ad propria regiae Majestatis petita nullum bonum responsum dare.

Denique si regem omnia recusantem viderit, dicat postremo, ut Majestas sua remittat oratorem cum aliquo responso ad Majestatem regiam Poloniae, ex quo possit intelligere Majestas sua, si quid adhuc spei superest, et quid tandem ad petita regiae Majestatis pro bono totius christianitatis sit sua Majestas rex Ferdinandus factura, ut collato simul responso, quod a rege Joanne reportabitur, et responso suae Majestatis, sciat regia Majestas Poloniae, quid agere debeat. [1])

1528 VI Martii Joannes, rex Ungariae, ab exercitu regis Ferdinandi proditione suorum in proelio victus et fuga in Poloniam delatus, vigesima secunda Martii ad Camieniecz castrum in terris Submontanis pervenit. Inde se ad Tarnow contulit et illic est commoratus.

Kod. Karnk. X, fol. 90.
Kod. Sap. VII, fol. 68.

125. Sigismundus primus, rex Poloniae, Joanni, regi Ungariae.

Teki Naruszewicza.

Serenissime princeps etc. Mittimus ad vestram Majestatem generosum Joannem Wietwienski, castellanum et tribunum Plocensem et capitaneum Brathianensem, fidelem nostrum dilectum, cui commisimus ea, quae intelligimus praesentissima istius regni Ungariae et rei christianae pericula, eidem Majestati vestrae referre, quam plurimum rogamus, ut fidem illi

[1]) Przypiski Górskiego — w kodeksie Karnkowskiego: Legationes vero, quas Cricius conscripsit, ad Joannem et Ferdinandum reges vide infra..., quae ob mutationem fortunae mutatae fuerunt, quemadmodum reliqua legendo videbis; — w kod. Sapieżyńskim: Ex hac praecedenti instructione vide formatam legationem a rege Poloniae ad regem Joannem fol. 127 et similiter ad regem Ferdinandum fol. 130. — Zob. nr. 126 i 129.

illi adhibeat, et in eis, quae retulerit, ita se exhibere velit, ut et illius excelsa virtus et res christiana nunc maxime periclitans exposcit, valeatque felicissime vestra Majestas et nos diligat. Datum.

Teki Górskiego, nr. 1030 i 3386, (minuta).
Kod. Karnk. X, 127.
Kod. Sap. VII, 127.

126. Legatio a Sigismundo, rege Poloniae, ad Ferdinandum, regem Ungariae & Bohemiae,

quam Petrus Opaleniczki obivit.

Praemissis his, quae ad dicendam salutem et declarandum fraternum amorem Mtis. regiae erga ipsum serenissimum regem Ferdinandum pertinent: rogabit inprimis dnus. orator, ut idem sermus. rex persuasum habeat, quod quicquid hactenus cum illo Mtas. regia per literas et oratores suos in negotio Ungarico et de concordia cum ejus adversario ineunda egerit, id totum proficisci partim ex integerrimo amore, quo illum complectitur eique omnia recte succedere optat, partim ex summa sollicitudine, quam de communi omnium salute semper habet, cui quanta ex hoc intestino bello regni Ungariae ruina impendeat, et consideravit ab initio Mtas. sua et indies magis considerat.

Habet enim exploratissimum Mtas. sua, imperatorem Turcorum omnino decrevisse et sese viribus omnibus accingere ad regnum ipsum Ungariae totum occupandum, et quamvis rumor sit, illum suppetias adversario illius Mtis. laturum esse, qui an verus sit, incertum est, quomodocunque tamen res processerit, non potest nisi toti reipublicae christianae summum discrimen afferre; sive enim regnum ipse occupabit — et tum actum erit brevi de reliquis vicinis regnis et dominiis, seu vero juvabit adversarium illius Majestatis et tum etiam illum ita sibi devinciet, ut eo non obstante quocumque velit in regiones christianas libere grassari possit.

Expenderet itaque Majestas sua hostis istius vires, opes, apparatum bellicum, fortunam et res gestas, expenderet conditionem regni Ungariae attritam et exhaustam, consideraret statum christianorum turbatissimum, reduceret in memoriam, quot modis frustra a tanto tempore expeditio generalis contra hunc hostem tentata fuerit, quot principes freti hac generali expeditione et subsidiis externis se et statum suum praecipitaverint. Cujus rei exemplo esse manifesto miserabilem olim Vladislai, novissime vero Ludovici, regum, patrui et nepotis Mtis regiae, interitum, exemplo Rodon et Nandoralbam aliaque reipublicae christianae propugnacula intra spem et exspectationem subsidiorum intercepta. Inducere velit adhuc Mtas. sua animum et rationes aliquas capere ineundae cum adversario suo concordiae, ex qua utique spes aliqua conservandi regni illius restare possit, nec putet Majestas sua eundem suum adversarium jam in toto debellatum esse, quod e regno Ungariae profugerit; non facile enim nomen illius delebitur ex animis Ungarorum, quibus et dilectissimus erat semper a cunis usque, et summo ipsorum favore et consensu ad regium culmen evectus, quin quamdiu vivit, poterit magnum negotium facessere Majestati suae et toti reipublicae christianae, praesertim fretus his auxiliis, quae sibi conciliavit.

Maluisse quidem Mtem. regiam, si res ex voto suo successisset, ut illius Majestas regno ipso Ungariae tuto et pacifice potita fuisset, quae illud sua cum caesarea Majestate amplitudine commodius, quam aliquis alius, defendere posset, verum cum ita sors tulit, ut res in scissionem et arma venerit, veritam fuisse ab initio Majestatem suam et vereri in dies magis, ne tertius superveniens bellum dirimat et regnum illud, quod dudum inhiabat, per eam commoditatem occupet cum praesentissima etiam omnium divinorum ruina.

Et

Et proinde rogare et obtestari Majestatem suam ipsum serenissimum regem Ferdinandum paterno amore et animo integerrimo, ut illius Majestas his omnibus, quae supra dicta sunt, expensis, potiorem esse ducat communem reipublicae christianae salutem, quae per pacem et concordiam adhuc servari potest, quam dubii exitus plenumque maximi periculi bellum.

Misisse etiam ejus Mtem. eam ob rem ad illius Mtis. adversarium his et multo acrioribus rationibus illum ad subeundas quascunque honestas conditiones pacis hortando, nihilque Mtem. suam praetermittere laboris et impendii, quo ipsa pax et concordia confici possit, quandoquidem plane videat ex hujusmodi bello ingens et sibi et toti reipublicae christianae discrimen imminere. Alioquin si haec Mtis. suae opera et saluberrima consilia non profuerint et casus aliquis intervenerit, testatum esse volet omnibus regibus et christianis principibus, in opera et consilio suo nihil defuisse omniaque mala, quae acciderent, illis accepta ferre oporteret, qui has preces, haec monita et consilia Mtis. suae negligerent et obaudirent. Unde quantum apud Deum praemium et apud posteros laudem essent habituri, ipsi viderent.

Negotium hoc non esset adeo cordi Majestati suae, nisi bene cuperet ex animo ipsi sermo. regi Ferdinando et nisi suae et reipublicae christianae saluti recte consuli velit. Et proinde, ut in eam partem haec monita illius Mtas. acciperet, erit omni studio roganda, nam non videtur ex re utriusque Mtis. et totius reipublicae christianae in negotio tam periculoso aliter, quam sentiat et quam instare videat, tam cum illa quam etiam cum ejus adversario agere.

Si illius Majestas persuaderi sibi patietur, ut pax et concordia tractetur, significandum erit extemplo Mti. regiae et oratori Majestatis suae apud serenisimum regem Joannem, ut super eo negotio quatenus agi deberet, mutua intelligentia constitui possit, seu minus, erit nihilominus responsum qualecunque exigendum et Mti. regiae e vestigio declarandum.

In his autem et aliis omnibus tam cum ipso sermo. rege Ferdinando, quam etiam cum principibus Germaniae tractandis, opus erit summa consideratione dni. oratoris ad omnes eventus et aleam partis utriusque, exploranda studia hominum et apparatus, disquirendum, quorsum res hujus atque illius partis inclinent; si de suppetiis a Turco regi Joanni aliquid certi constabit et suppetiae Germanorum regi Ferdinando more solito parabuntur, tum eo audentius stimuli erunt ad concordiam addendi. Sin aliter, sermo erit, ut res et tempus docebit, instituendus, vitando per omnia, ne qua occasio dari possit ipsi serenissimo regi Ferdinando aliquid sinistri suspicandi de Mte. regia, quae illius Mtem. sincero et patruo amore complectitur neque aliorsum hanc concordiam tractat et cupit, quam ad honorem illius Mtis. et reipublicae christianae salutem et pacem, quae ex ea ipsa concordia maxima ex parte dependere videtur.

Orator Majestatis regiae habebit procul dubio cum apud sermum. regem Ferdinandum tum etiam in Germania et alibi multas exprobrationes, duas potissimum ob causas: primum, quod nostri plerique apud sermum. regem Joannem militarunt, deinde quod ipsi dno. regi Joanni sit apud nos receptus datus.

Primum erit diluendum his veris et in regnis christianis non insolitis rationibus: Homines videlicet in hoc regno liberos esse, libere sibi dominum eligere, neque illis a Mte. regia, nisi jure imperari posse, fuisse illis semper liberum militare pro pecunia apud quoscunque vellent, praeterquam apud hostes patriae, atque hanc libertatem illos cum ab aliis nationibus christianis tum vero potissimum a Germanis didicisse, qui non solum ubique, quo volunt, sed etiam ad hostes dominorum suorum naturalium militatum proficiscuntur, prout

apud

apud regem Galliae et alios hostes caesareae Mtis. plurimi reperiuntur. In hac tamen libertate Mtem. regiam et universum senatum regni Poloniae hoc constituisse commodandi et gratificandi studio sermo. dno. regi Ferdinando in hoc conventu generali novissimo, ut nullus deinceps possessionatus iret extra regnum militatum sub poena capitis et privatione omnium bonorum, post quod edictum promulgatum nullos alios ad regem Joannem profectos fuisse, quam eos, qui jam pridem apud illum conducti erant, et hi quidem pauci nec perinde instructi, ut regi Joanni robur aliquod magnum addere potuissent, quos et alios Polonos si sermus. rex Ferdinandus suo servitio dignatus esset, multo libentius illos Mti. suae servitores fuisse.

Secundum ita refellendum erit, quod receptus datus sit regi Joanni in hoc regno duas ob causas. Primum, quod non videbatur officium christiano rege dignum, confugientem ad se vicinum et affinem suum in tanto ejus casu et calamitate e regno suo expellere, quod neque fraterculi in monasteriis suis facerent, deinde quod hac occasione oblata sperat Mtas. regia se id, quod hactenus non potuit, pro sermo. dno. rege Ferdinando nunc commodius praestare posse, ut videlicet regno Ungariae pacifice et sublatis omnibus impedimentis potiri posset. Nam ubi adversarius ejus ad Turcos transfugisset, quos Majestas sua non ignorat accingere sese viribus omnibus ad regnum ipsum Ungariae occupandum, quanta hinc difficultas sermo. regi Ferdinando et toti reipublicae christianae pernicies sequi possit, neminem esse rationis compotem, qui non intelligat et praesertim sub ea fide et constantia Ungarorum erga reges suos, quam cum alias semper, tum nunc potissimum abunde declararunt. Nunc Mtem. regiam commodandi causa primum sermo. regi Ferdinando, deinde toti reipublicae christianae hoc fecisse sub eo eventu: concessisse imprimis receptum dno. Joanni regi in regno suo ea lege, ut se quiete contineret et nihil hostile in ipso regno Mtis. suae adversus sermum. dnum. regem Ferdinandum et regnum Ungariae moliretur; deinde curaturam esse Mtem. regiam modis omnibus de hac differentia et bello toti reipublicae christianae perniciosissimo extinguendo idque quantum maxime fieri poterit cum dignitate et commodo ipsius sermi. regis Ferdinandi, si quidem id ejus Majestati gratum et placitum fuerit, alioqui, si illi hoc studium et officium fraternum Majestatis regiae non perinde acceptum erit, tempus posterum docebit, rectene an perperam Majestas regia et Poloni consultum voluerint in hoc eventu sermo. regi Ferdinando et regno Ungariae, cujus bonum statum communem semper reputarunt.

Teki Górskiego, nr. 3536, (kopja współczesna).
Kod. Karnk. X, 128 i 130.
Kod. Sap. VII, 128.

127. Legatio a Sigismundo primo, rege Poloniae, ad conventum principum Germaniae,

quam Petrus Opaleniczki obivit.

Credentia.

Sigismundus, rex Poloniae, principibus Germaniae.

Illmi. rmi. ac illustres principes, spectabiles, mgci. et generosi domini, amici nostri charissimi. Cum essemus certiores facti de conventu vestrarum D., quem isthic [1]) agunt in praesens ad consulendum bono statui et defensioni rei christianae ab infidelibus, nunc magis quam unquam alias illi ingruentibus, quia haec duo Poloniae et Ungariae regna prima sunt, quibus tota haec moles et calamitas impendet, mittimus in medium D. vestrarum

[1]) W kodeksach próżne miejsce do wpisania miejsca sejmu, t. j. Ratysbony.

strarum nobilem et generosum Petrum Opaleniczki, secretarium nostrum fidelem dilectum, cui ad ea, quae consulturae sunt de republica christiana, commisimus nonnulla nomine nostro illis referre, rogamusque D. vestras, ut et fidem plenam illi adhibeant, et in his, quae egerit ac retulerit, ita se exhibere velint, ut nostrum et totius reipublicae christianae praesens et summum periculum exposcit. Facturae D. vrae. rem sua excelsa virtute et animo dignam et communi saluti apprime necessariam. Quae felicissime valeant et nos diligant. Datum.

Verba legationis.

Post dictam salutem et oblatas fidei literas dicendum: Non opus esse multis verbis declarare clades et calamitates reipublicae christianae et impendentia in dies magis pericula, cum haec mala eo usque jam processerunt, ut nemo illa non videre, nemo non manu ipsa palpare possit et praesertim cum ruentibus vicinis parietibus nemo non intelligat, quid suis etiam aedibus immineat.

Declarandum, ut ab eo tempore, quo Turcus Graeciam, Tartarus Tauricam occuparunt, nunquam haec duo regna Ungariae et Poloniae a bellis et infestationibus illorum respirare potuerunt, cum quibus licet interdum indutiae fiebant, interdum acriter reprimebantur, tamen neque ulla fide aut jurejurando neque ullis felicibus successibus et victoriis nostrorum hactenus contineri potuerunt, quin assidue si non aperto Marte, dolo saltem et clandestinis incursionibus regiones nostras finitimas premerent et vastarent, unde in dies magis regna ipsa desolari et deficere, hostium autem vires assidue augeri coeperunt.

Ut in ea calamitate et discrimine communi reprimendo nihil laboris et periculi praetermiserunt cum alii serenissimi Ungariae et Poloniae reges, tum vero maxime familia et stirps Majestatis regiae atque hujus rei satis et continua bella Mtis. suae et serenissimorum olim Vladislai, recens vero Ludovici in Ungaria interitus documento esse possunt.

Ut item non praetermiserunt quicquam ipsi serenissimi reges Ungariae et Poloniae in declarandis ipsis calamitatibus suis et imminenti ruina toti christianitati cum summis principibus et imperatoribus, tum et aliis christianis principibus, ita ut nullus conventus imperialis fuerit, in quo non satis superque de his malis declamatum et deploratum esset, nihil tamen unquam praeter verba et inania promissa de generali expeditione referebatur.

Quod interim christiani principes verbis quidem eam ipsam generalem expeditionem parturiebant, re ipsa tamen discordias intestinas alebant et pro sua quisque libidine alter in alterum ferebatur hactenusque nihil aliud nisi bella intestina et seditiones viguerunt et, quod monstri simile est, in dies magis vigent, ita ut non humana solum, sed etiam divina omnia cum summo dedecore et ruina sint confusa.

Quibus rebus factum esse, ut duae potentissimae januae totius christianitatis, Nandoralba et Rhodos sint interceptae ac postremo regnum Ungariae una cum rege suo in summam cladem deductum regnumque Poloniae acriter vastatum a Tartaris, in hoc a Turco instructis, ut Mtem. regiam distinerent, cui licet his proximis annis de ipsis Tartaris insignis Dei benignitate victoria contigit, tanta est tamen ejus generis efferata colluvies, ut subinde veluti hydrae capita succrescant nullaque strage domari, nulla custodia arceri potest.

Quare cum audisset ejus Majestas ipsos principes istic conventum acturos esse, potissimum communis salutis causa, mittere ipsum dominum oratorem voluisse ad eorum Dominationes hoc unum declaratum, quod jam Turcorum et Tartarorum vires adeo auctae, regnorum vero Ungariae et Poloniae adeo attritae sunt his bellis continuis, quae absque ullius principis christiani

christiani auxilio hactenus semper gesserunt, ut amplius tantam molem hostilem sustinere et solis suis viribus illi resistere nequaquam possint, rogareque summis precibus ejus Mtem., ut Dnes. suae tandem amore sanctae fidei catholicae, amore patriae et libertatis communisque omnium salutis permoveantur operamque tandem re ipsa faciant, ut quam celerius reductis christianis principibus in concordiam et seditionibus intestinis sopitis, suppetiae ab illis citra moram regnis Ungariae et Poloniae in extremo discrimine constitutis ferantur, nam abunde intelligere possunt, quod perfractis et ad interitum redactis his duobus regnis, haec tota calamitas in istas regiones devolveretur visque hostilis, viribus tantorum regnorum aucta, jam deinceps a nulla alia potentia reprimi posset. Et proinde, si illos usque adeo non movet vicinorum christianorum calamitas et ruina, saltem sua ipsorum salus illos moveat, quam tutius et facilius est post alienas saepes quam intra suas tutari.

Meminisse velint, quanta olim pernicies et calamitas inundaverat orbem christianum ex oris illis, quas Mtas. regia tuetur; illinc enim Gotthi, illinc Allani, illinc Vandali et Hunni proruperant, quorum omnium numerum et ferocitatem longe exsuperant Tartari. De Turcis res ipsa indicat, quid valeant et quousque progressi sunt, proindeque, ut tandem expergisci dignentur et regnis Ungariae et Poloniae in extrema jam deductis opem certam et opportunam quam celerius ferant, alioquin testatum esse vult Mtas. sua, nihil a se praetermissum non solum in reprimendis his hostibus, ne ad intima orbis christiani penetrarent, sed etiam in commonendis illis et his discriminibus, quae impendent, denuntiandis, ut si demum aliqua communis ruina, quam dominus Deus avertat, sequeretur, per ejus Mtem., quominus saluti reipublicae christianae prospectum esset, nihil omnino defuisse videretur.

Et quia Majestas sua habet certissimum documentum, imperatorem Turcorum se omnibus viribus et conatu suo accingere, ut totum, quod reliquum est regni Ungariae occupet, eique hoc incentivum praebet scissio regni et duorum regum inter se digladiatio, unde attritis utriusque viribus citra ullum negotium ambobus regnum ipsum praeripere posse videtur, rogandi erunt principes et status omnes, in ipso conventu congregati, ut modos et rationes aliquas inveniant, ipsos reges ad aliquam aequam et honestam concordiam reducendi in eoque negotio curam et vires omnes intendant. Nam Majestas sua videns ab initio, quid ex hoc tam pernicioso bello sequi oporteret, non cessavit hactenus etiam magno suo impendio pro pace et concordia laborare, sed hucusque nihil et operam et consilia Mtis. suae profuisse fatali quadam rerum christianarum adversitate. Maluisse quidem Mtem. suam, si ejus arbitrio res acta esset, ut serenissimus rex Ferdinandus illo regno pacifice potitus fuisset, quod et necessarius sit Mtis. suae et tantae generis et fortunae amplitudinis cum caesarea Mte. et Germanis principibus suisque etiam vicinis regnis et dominiis, ut nemo ipsum regnum Ungariae videatur certius et facilius, quam illius Mtas., defendere posse. Sed cum ita sors tulit, ut illic duo reges coronati sint resque in dissidium venit, non posse probare ullo modo Mtem. suam, ut ea ipsa res bello decernatur, quod et dubii est semper eventus et maximum malorum agmen in universam rem christianam post se trahat. Et proinde hortandi, rogandi et monendi sunt ipsi principes, ut omne studium suum de concordia istorum regum et regno Ungariae pacando impendant.

Et haec publice dicentur. — Haec eadem, quae publice dicentur, erunt etiam speciatim agenda cum principibns, ita tamen in omnibus et per omnia loquendum et agendum erit moderate et circumspecte, conditionem rerum et affectus hominum, quantum fieri potest, considerando,

considerando, ut nulla vel sinistra suspicio de Majestate sua vel certe nota aliqua privati favoris, qui nullus est, hinc apud aliquem oriri posset. Quae omnia ex industria domini oratoris dependent, cum locus et tempus multa afferunt, quae ante provideri et documentum de illis fieri non potuit.

Cum domino duce Georgio Missnensi agendum erit etiam speciatim, quod Majestas sua ejus instinctu et consilio miserit ipsum oratorem ad conventum istum Imperii ea potissimum spe, quod ejus Illustritas pro sua prudentia et necessitudine, qua Mti. suae conjuncta sit, promovebit eam legationem et negotia Majestatis suae regiae rogandaque erit ejus Illustritas, ut operam faceret apud principes et status Imperii, quo, ubi subsidium regno Ungariae adversus Turcos decerneretur, etiam regnum Mtis. suae Poloniae non omitteretur, quod etiam praeter Turcos habet Tartaros et scysmaticos continuos hostes, a quibus non minus periculum rei christianae, quam a Turcis, impendet. Et proinde, ut pars aliqua ipsius subsidii assignaretur Mti. suae adversus Turcos et Tartaros.

Excusanda etiam erit apud ejus Illustritatem occlusio viae in Slesiam, quam universi ordines regni nullo modo, ut relaxaretur, permittere voluerunt propter monetam Swidnicensem, quae hucusque in maximum regni hujus detrimentum cuditur et importatur ex Slesia in Poloniam, sed nec minus propter haeresim Lutheranam, quae Slesiam ipsam infecit, a qua Majestas sua regnum suum servare et illibatum manutenere decrevit, ut christianum et catholicum decet principem. Et proinde cum hae causae sint gravissimae neque ullo modo tolerandum sit, ut via in Slesiam aperiatur, donec causae ipsae cessabunt, et damnum inde acceptum resarciatur, aequi bonique consulat ejus Illustritas hanc ipsam occlusionem viae, quam in ejus gratiam libenter Mtas. sua relaxari fecisset, si id apud regnicolas efficere aut si absque maximo regni detrimento fieri potuisset.

128. Sigismundus primus, rex Poloniae, Georgio, duci Saxoniae.

Kod. Karnk. X, 129.

Illustrissime princeps et domine affinis noster charissime. Mittentes ad praesentem conventum Sacri Romani Imperii hunc oratorem nostrum, nobilem et generosum Petrum Opaleniczki, secretarium nostrum, fidelem dilectum, commisimus illi, uti vestram Illustritatem nomine nostro inviseret et nonnulla negotia communem christianorum ac Ungariae et Poloniae regnorum statum attinentia cum ea tractaret, rogamusque illam plurimum, ut et plenam fidem illi adhibere et in his, quae egerit atque retulerit, ita se exhibere velit, ut amor et conjunctio nostra et res christiana nunc maxime periclitans exposcit. Valeatque feliciter vestra Illustritas et nos diligat. Datum etc.

129. Legatio a Sigismundo, rege Poloniae, ad Joannem, regem Ungariae,

quam Stanislaus Tarlo, can. Crac., secretarius, obivit.

Teki Górskiego, nr. 1029 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 126.
Kod. Sap. VII, 126.

Orator praemissis, quae de more praemittenda videbuntur, dicet:

Non esse ignotum serenissimo Joanni regi, quanto studio ac diligentia quaesiverit regia Majestas Pol. ab eo tempore, quo serenissimus rex sit ad culmen regii fastigii evectus, modum, quo sua Majestas potuerit regnum illud pacifice possidere et cum serenissimo rege

rege Ferdinando, adversario suo, perquam optimis et facillimis conditionibus concordare, atque in hoc Majestatem regiam non curae ac labori suo et suorum, non expensis satis gravibus pepercisse. Quae licet omnia malo quodam fato videat aliter quam optabat cecidisse et rem in eum statum esse adductam, ut ferro jam per multos menses inter suam Mtem. et regem Ferdinandum decertatum sit cum maximo regni illius miserrimi detrimento illiusque Mtem. adversario suo cedere et e regno suo abire coactum esse: se tamen, ne quid penitus omittat, quod pro salute reipublicae christianae, pro honore et commodo suae Mtis. facere possit, statuisse rursus utrumque regem tentare, si qua inter eos pax et concordia fieri possit, et jam hunc novissimum tot suis prioribus laboribus actum superaddere. Quod si quid proficiat in commune, se publico totius christianae reipublicae nomine sibi vehementissime gratulaturam et Deo ac regibus ipsis gratias acturam, sin minus, deploraturam se perpetuo miserae Ungariae, alterius patriae suae, ac totius christiani nominis infelicem sortem. Misisse igitur, dicat dominus orator, hujus rei gratia ad utrumque regem cum diligentissimis mandatis, se ad suam Mtem., alterum eodem tempore ad regem Ferdinandum esse missum, utrumque ad pacem, si qua ejus adhuc spes supersit, suadendam.

Motam autem esse regiam Majestatem ad hoc tum amore, quo regem utrumque et eorum commoda et honorem prosequatur et quo christianae reipublicae recte prospectum esse velit, tum quod intelligat pro certo Turcum facere pro aestate futura maximos apparatus, majores etiam, quam tum fecerit, quando serenissimus olim rex Ludovicus, nepos regiae Majestatis, interiit, invasurum omnino hoc anno et occupaturum Ungariam. Haec sibi ab eo esse nuntiata, cui et constent consilia et acta caesaris Turcorum, et soleat suae Majestati non nisi veritatem nuntiare.

Majestatem serenissimi regis scire, quales sibi sint cum Turco intelligentiae et tractatus, hoc unum sibi compertum esse, qualescunque illi sint et quicquid suae Mti. Turcus promittat, si quidem aliquid promittit, parum esse promissis illius fidendum; etiamsi omnia tutissima ac securissima polliceatur, verendum esse, ne dum fingat, se venire in auxilium, veniat in exitium. Quod si etiam praestet nunc, quod polliceatur, paulo tamen post gravem fore et intolerabilem ejus amicitiam et tam suae Mti. regnoque Ungariae, quam aliis vicinis regnis perniciosam, praesertim hujus moderni imperatoris Turcorum, quem omnes majores suos belli gloria, felicitate et rerum gestarum magnitudine supergressum verisimile est; nihil aliud nisi totius christiani orbis imperium animo agitare. Qui si quid promiserit, tam diu duntaxat servabit, quousque ei commodum videbitur; his artibus majores ejus peperisse magna ex parte, quicquid habent, praesertim in Europa.

Quod si rex Ungariae nullam habeat cum eo vel fortasse incertam adhuc atque ambiguam intelligentiam, tanto magis periculosum esse, dicat orator, ex illius nutu et arbitrio pendere, qui sit christianorum omnium ex professo hostis, cujus in christianos crudelitas si unquam alibi, nunc certe in Ungaria maxime apparet. Itaque serenissimus rex diligenter animo perpendat, quid agat, quales cum eo tractatus habeat, Mtem. regiam ea tantum consulere, quae sibi optima et tam honori ac saluti Mtis. suae, quam conservationi Ungariae et reliquae christianitatis videantur esse accommodata. Melius esse, quomodocunque se habeant res suae Mtis. cum Turco, per aliquas pacis conditiones cum christiano potius adversario concordare, quam hostem illum teterrimum in rempublicam christianam inducere et causam praebere alicujus magni mali, quod nunc fortasse neque sua Mtas. neque alii tam facile considerare possunt. Erunt, qui ea, quae ex hoc sequi possunt, Ferdinando

regi,

regi, sed non deerunt, qui et suae Mti. [1]) ascribant, quae cum videret tantas regni Ungariae et tam recentes ruinas, campis omnibus et oppidis ac villis adhuc recenti cruore madentibus et humanis cadaveribus plenis, susceperit regnum tutatu difficillimum, non exspectato, quod illi dicunt, consueto ac legitimo omnium conventu, praecipitantius fortasse, quam in tali casu fieri debuisset, regno jam tum in diversas partes scisso, non ignara, se geminum habituram hostem et utrumque potentissimum, et fieri posse, ut, qui in hunc modum fuerint Mtis. suae immaturam obedientiam secuti, non difficulter essent, data occasione, a sua Mte. recessuri. Quod tamen ipsum licet non dubitet Mtas. regia regem Joannem optimis de causis et optimo animo fecisse, non deesse tamen etiam ex amicis suae Mtis. et fautoribus, qui haec non usquequaque probent.

Oratores suae Majestatis tam in conventu Olomucensi quam in Piotrcoviensi diligentissime egisse causam suae Mtis., multa adduxisse pro causae ejus justificatione, sed adversarium adhuc perstare in sua Majestate eo nomine criminanda, quod non liberis populorum suffragiis sit in regem electa, sed per factiones illud occupare festinaverit, cujus rei comprobandae gratia ostentarunt ejus oratores literas quasdam sigillo suae Mtis. et aliorum, qui cum sua Majestate eo tempore in Thokai erant congregati, obsignatas, minarum atrocissimarum plenas. Quae licet regia Mtas. non propterea commemoret, quod rem adversarii velit per hoc facere firmiorem, vel rem suae Mtis. invalidiorem, sed quod putat, non defuturos neque nunc deesse scit multos, qui quicquid incommodi ex his dissensionibus vel regnum Ungariae vel alia regna christianitatis acceperint, id non solum Ferdinando, sed etiam suae Mti. sint ob praedictas causas ascripturi. Sed sive uni sive alteri ex eis haec culpa ascribatur, illud erit perpetuo dolendum, quod inter istas duorum regum pro regno Ungariae contentiones et mutuas in alterutrum culpae hujus rejectiones regnum omnium quae Europa habet nobilissimum ac ditissimum peribit, cum ingenti et apertissimo regnorum aliorum ei vicinorum discrimine. Peribit autem non Ferdinandi, sed suae Mtis. patria et longe majore suae Majestatis, quam Ferdinandi, jactura, quippe cui non desint Ungaria amissa aliae innumerae et satis opulentae provinciae, Mtem. autem suam quid aliud habere sive regni sive patrimonii, nisi quod finibus Ungariae contineatur?

Itaque si serenissimus Joannes rex sana Mtis. regiae consilia amplecti velit, considerabit etiam atque etiam, quid faciat, et subibit potius quasvis cum adversario conditiones, quam hanc vel jacturam vel notam perditae patriae et in tantum discrimen adductae universae reipublicae christianae in se et in posteros suos recipiat. Misisse se, quod supra dictum sit, ad regem Ferdinandum, dedisse oratori illuc misso accuratissima mandata, dare omnem operam, ut ille cum sua Mte. concordiam aliquam tolerabilem ineat.

Si tamen ab eo id impetrari nullo modo possit, agat dominus orator apud serenissimum Joannem regem, ut omnia potius faciat, quam ad istas extremitates veniat patriae tanto discrimini objiciendae, donet hoc, quod faciet, Deo et ejus sacrae religioni, veniat ad aliquas tolerabiles conditiones cum adversario suo ineundas; non ponat autem sua Mtas. spem magnam in principibus amicis, videt illos ita occupatos in suis negotiis, ut negotiis Mtis. suae vacare non possint.

Credat sua Majestas id, quod revera res se habet, eo rem suae Majestatis esse deductam, nisi Deus miro aliquo modo aliter rebus suae Mtis. prospexerit, ut se vix possit ab uno hoste nisi per alium hostem defendere et eum quidem toti christiano nomini infensissimum, ac propterea valde suae etiam Mti. periculosum. Relinquat igitur amore Dei sua Majestas

[1]) Joanni dopisał Górski w kod. Karnkowskiego.

stas has periculosas et non dignas christiano principe cogitationes, convertat potius eo animum, unde possit oriri maximus honor suae Mti. et salus totius reipublicae christianae, quam rebus omnibus anteponat et sit contenta armis depositis tractari pacem inter se et adversarium suum.

His et similibus, in hanc tamen sententiam, coram rege expositis conetur dominus orator omnino regem in sententiam regiae Majestatis adducere.

Quodsi viderit, quod ita obscurum esse vix poterit, quin illud alicunde persentiscat, regem spem habere in Turci auxiliis ac eam ob causam esse duriorem ac in sententia sua pertinaciorem, conetur tamen eum ab amicitia Turci avellere quantum poterit illis, quae superius dictae sunt, rationibus et aliis, si quas meliores pro rei et temporis qualitate reperire poterit.

Agat etiam de his iisdem rebus et in hanc ipsam sententiam cum potioribus consiliariis regis, cum archiepiscopo Colocensi, cum oratore regis christianissimi, cum cancellario, cum magistro curiae, cum episcopo Varadiensi, cum Joanne Statilio, praeposito Budensi, sed imprimis cum archiepiscopo Colocensi et oratore regi Franciae.

Ceterum ubi orator omnem in his diligentiam adhibuerit, si viderit regem et suos omnino pertinaces neque ad id, quod sibi sit commissum, ullo modo inclinabiles, quaerat postremo a rege, quid sit, quod tandem sit Majestas sua ad hanc petitionem et tot exhortationes regiae Majestatis pro salute publica factura? ne cum nullo prorsus responso orator redeat ad Majestatem regiam et ut Majestas regia intellecta finali voluntate suae Majestatis et regis Ferdinandi possit intelligere, si quis adhuc modus sit pacis inter eos tractandae. Hoc omnino excipiat orator a serenissimo rege, si nihil aliud obtinere poterit.

Videretur etiam tentandus uterque rex, istis tamen actionibus praemissis, si posset induci ad causam hanc arbitrio vel Majestatis regiae vel cujuscunque alterius non suspecti judicis submittendam, ad quod verisimile est Joannem regem, cum se totiens ad hoc sponte obtulerit, non fore difficilem. Ista igitur actio magis ad oratorem ad Ferdinandum mittendum pertinet. Orator tamen et iste, qui ad Joannem vadit, dicat Joanni regi, Majestatem regiam commisisse oratori ad Ferdinandum misso, ut conetur eum ad hoc inducere, ad quod Majestatem suam non dubitet esse paratissimam, ut semper ab initio fuit.

Postremo quicquid responsi a rege Joanne orator habuerit, offerat tamen ei Majestatem regiam ad omnia, quae pro honore, commodo et dignitate suae Mtis. facere possit, paratam et similia, quae in hanc sententiam dicenda et offerenda videbuntur.

130. Sigismundus primus, rex Poloniae, palatinis terrarum — singulatim, pro continuatione taxationis fundorum.

Metryka koronna
Ks. 43, str. 438.
Ks. 44, str. 57.
Kod. Karnk. X, 15.
Kod. Sap. VII, 16.

Magnifice sincere nobis dilecte. Non ignorat tua Sinceritas decretum esse in conventu Piotrkoviensi proxime praeterito, ut taxationes fundorum continuentur. Et proinde volentes nos hoc ipsum decretum, sicut et alia decreta et constitutiones rempublicam regni nostri concernentes, debitae executioni demandari et in nulla re ipsam rempublicam negligi, mandamus tuae Sti., adhibeat diligentem operam, ut illi, qui ad taxanda bona seu fundos in palatinatu tuae Stis. sunt deputati, ad prosequendam et continuandam eandem taxationem ad districtus, qui nondum sunt taxati, proficiscantur, quorum taxatio inchoari debet in eisdem districtibus nondum taxatis duabus septimanis ante dominicam Pentecosten

costen proxime futuram.[1]) Factura tua S. pro debito officii sui et gratia nostra. Datum in Radom feria quarta proxima post dominicam Invocavit, anno domini quingentesimo vigesimo octavo.[2])

131. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, episcopo Plocensi.

Kod. Sap. VII, 82.

Rme. in Christo pater et dne. nepos charissime. Vadit ad vram. rmam. Dtionem. iste dominus Liberhandus, decanus Sandecensis, petiturus ab ea justitiam in negotio, quod illi non est incognitum et de quo facile a servitoribus antiquis domini olim Erasmi, praedecessoris sui, edoceri potest. Quem vrae. rmae. Dtioni. ex animo commendo rogoque illam plurimum, benigno in eum oculo respicere et efficere velit, ut vel advocatiae, quae redemptae sunt pecuniis olim doctoris Garsiae, pro quibus ipse excommunicatur, vel saltem pecuniae ipsae ei restituantur. Quo faciet vra. rma. Dtio. rem suo officio dignam et mihi admodum gratam. Et felicissime valeat.

132. Andreas Cricius, epus. Plocensis, Guardiano Warssowiensi et fratribus ejus.

Zbiór pism Krzyckiego nr. 283. (Kod. bibl. Kórn.)

Rde. pater et religiosi fratres in Chro. nobis charissimi. Cum nuper ex Pyotrkoviensi conventu huc ad Poltowsko rediissemus, intelleximus fratrem Bernardinum ordinis et conventus vestri, qui per tempus Adventus Domini et per festa Sacratissimae Nativitatis ejus in hoc oppido nostro Poltowsko verbum Dei, ut accepimus, religiosissime populo praedicavit ceteraque officia ecclesiastica, quantum sua intererat, pie et sine reprehensione exercuit, per aemulos suos apud vos esse delatum simul et accusatum, quasi ipse potationibus et aliis excessibus laxius et sumptuosius indulgere deberet, quam rigor et institutum professionis vrae. permittit, vosque ea causa indignatione erga eum commotos in eum severe animadvertere constituisse: unde nos non ex ulla ipsius significatione aut etiam scientia, sed ex debito officii nostri, quo ut delinquentes puniri omnino putamus, ita immeritos poenis affligi vehementer doleremus, curavimus inquiri de rebus gestis et conversatione dicti fratris Bernardini in eis locis, in quibus ipse hic diversatus est, praesertim in domo civis nostri Poltoviensis Felicis Volski, a quo et a tota familia ejus non aliud exquirere potuimus, quam dictum fratrem Bernardinum in omnibus actionibus suis caste, sobrie et modestissime se gessisse sine cujusquam scandalo. Quare rogamus vos in Domino: velitis huic nostro de fratre Bernardino testimonio fidem habere indignationemque vestram erga eum conceptam remittere eumque charitate christiana et fraterno amore prosequi. Quod pro mansuetudine vra., qua misericordem Christum imitamini, et favore nostro, quo ordinem vestrum prosequimur, vos facturos minime dubitamus. Valete in Christo Jesu. 1528.

[1]) D. 18—31 maja 1528. — W kodeksie Karnkowskiego oznaczone terminy 3 województw: Palatino Sandomiriensi: feria secunda post dominicam secundam post festum Paschae proximam, quae Misericordia domini appellatur. (D. 27. 4. 1528). — Palatino Russiae: feria secunda post dominicam Jubilate proxime futuram. (D. 4. 5. 1528). — Palatino Belsensi: feria secunda post dominicam Jubilate proxime futuram. (D. 4. 5. 1528). — Do którego województwa odnosi się termin w tekście listu naznaczony, kodeks Karnkowskiego nie daje objaśnienia. — [2]) D. 4. 3. 1528. — Kod. Sap. ma datę: feria quinta — a zatem 5. 3. 1528.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1, fol. 11b.)

133. Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Capitulo Warmiensi.

Venerabiles etc. Quoniam monetarium negotium multis est difficultatibus implicatum, ut ad illud probe conficiendum pluribus viris iisque hujusce negotii peritis opus esse arbitremur, unde venerabilem fratrem nostrum dominum doctorem Nicolaum Coppernic elegimus ac deputamus et ut Fraternitates v. ipsum eligant et deputent, ut una cum prioribus dominis Decano et Felice Reich pro feria secunda post Oculi [1]) Elbingi constituatur, desideramus, consulturus et pro sua hujusmodi monetariae rei peritia in medium adducturus, quae necessaria visa fuerint et opportuna. Fraternitates vestras bene valere cupimus. Ex arce nostra Heilsberg, feria secunda post Reminiscere Anno 1528. [2])

Kod. Karnk. X, 72.

134. Petrus Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Nicolao de Szidlovec, cast. Sandomir., regni Pol. thesaurario.

Magnifice domine, amice charissime ac honorande. Non videtur mihi consultum, ut vel vestra Magnificencia, vel ego cum novitate de profligato rege Joanne ad Mtem. regiam tam subito mittere debeamus, ne de adverso illius casu et rebus ejus inclinatis laetari videamur. Verum sub hac rerum mutatione videbitur consulenda Mtas. sua, an oratores de tractanda concordia inter eundem Joannem regem et regem Ferdinandum erunt mittendi nec ne, et cum quibus instructionibus, postquam alia sit nunc facies rerum, quam prius fuerit. Et cum haec scribemus, subinferemus etiam de profligato ipso rege Joanne et fuga elapso ad castrum dominorum de Camieniecz, ut non principaliter renuntiando hanc infaustam illius cladem, sed propter expeditionem oratorum nuntium nostrum ad Mtem. suam misisse videamur. Sed de his omnibus liberius et plenius conferam cum vestra Mgcia., cum bene juvante Deo ad me huc venerit. Interim vero aliquid etiam innovabitur de eo ipso rege Joanne, quid agat, quid spei habeat quidve consilii capiat. Felicissime valeat vestra Mgcia. meque habeat sibi charum et commendatum. Datum.

Kod. Karnk. X, 71.
Kod. Wojcz. nr. 54.

135. Petrus Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Lucae de Gorca, castellano Posnaniensi, capitaneo Majoris Poloniae generali.

Magnifice domine, domine et frater honorande. Credo prius, quam meus doctor Jacobus istuc veniat, perventuram ad vestram M. novitatem de fuso fugatoque non longe a Caschowia serenissimo Joanne, Ungariae rege, castrisque omnibus exuto, proditione Ungarorum et per gentes regis Ferdinandi. Sustinuit se bonus princeps, quantum potuit, copiasque auxiliares sibi comparavit; verum cum sui eum spreverunt et ad extremum prodiderunt, coactus est hanc insignem contumeliam et cladem subire, non audensque amplius fidere non solum dno. de Homonna et aliis necessariis Ungaris, servis suis propriis, quos in custodia castrorum suorum reliquit, ad terram Sanocensem auxilio Polonorum nostrorum cum

[1]) D. 16. 3. 1528. — [2]) D. 9. 3. 1528.

cum paucis admodum suis perfugit et in castro dominorum de Camieniecz consedit. Quid nunc illic agat, quam spem rerum suarum concipiat quidve consilii captet, incertum habeo, brevi tamen id intelligam et vrae. Mciae. perscribam. Cum autem adeo infeliciter sit cum eo actum, opus erit mihi consulere Mtem. regiam, an oratores per eam designati tam ad eum ipsum regem Joannem, quam etiam ad regem Ferdinandum ire nihilominus et de concordia inter illos tractare debeant necne, quandoquidem alia sit nunc facies rerum, quam fuerit eo tempore, quo Mtas. sua e regno discessit. Interim igitur dnus. Petrus Opaleniczki quietus istic maneat, donec eum faciam certiorem, an obire debeat munus legationis sibi injunctum, necne. Felicissime valeat vra. Magnificentia meque habeat sibi charum et commendatum. Datum.

136. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Lucae de Gorca, castell. Posnaniensi.

Teki Górskiego nr. 916, (własnoręczna minuta Tomickiego). Kod. Karnk. X, 70. Kod. Sap. VI, 62.

Mgce. dne., dne. et fr. honorandissime. Quantis simus casibus obnoxii omnes, quamdiu hanc vitam incolimus, recens ecce praebet exemplum sermus. dnus. Joannes, rex Ungariae, qui nuper favore fortunae, tanquam matris indulgentissimae, evectus ad clarissimi regni fastigium, ad ultimum feria sexta ante dominicam Reminiscere est fusus, fugatus et prostratus, vel potius a suis Ungaris desertus et proditus et post res suas perditas extorris factus ad dominia Mtis. regiae fuga est delatus auxilio nostrorum Polonorum, qui soli illum servarunt et in arcem Camieniec civitati Crosnenti vicinam salvum ac incolumem deduxerunt, ubi hactenus se continet. Ferunt hi, qui fuerunt in illo proelio, quod velites Ungari et antesignani ejusdem regis Joannis, qui initium pugnae facere debebant, in congressu cum hostibus non illos armis impetebant, sed versi in salutationes mutuas et oscula amice cum illis confabulabantur, quorum rex considerata perfidia fuga saluti suae consuluit et nisi Poloni adfuissent, fuisset per suos proditus et in manus ac potestatem hostium traditus.

Dominus Antonius Rincon, orator sermi. d. regis Franciae, erat inter pedites, qui satis animose pugnarunt; verum visa Ungarorum perfidia ac suorum et regis fuga ipsi etiam in fugam sunt versi, quorum trecenti viriliter pugnantes occubuerunt. Ex equitibus vero circiter viginti desiderati, castra direpta, currus tamen regii ferme omnes abducti opera Polonorum, quos proditores Ungari per longum spatium insequebantur animo regem capiendi. Certe edoctus sum, quod rex ipse desperatis rebus suis eo animo ad nos confugit, ut hoc receptu sive effugio suam et suorum, qui eum et partes ejus usque ad extremum secuti sunt, salutem et vitam servet incolumem. Mittitque ad Mtem. regiam nuntios suos, supplicans, ut Mtas. sua illum nuper regem, nunc autem profugum, extorrem et omnium indigum pro jure foederis, vicinitatis et affinitatis, quae illi cum Mte. sua intercedit, in regno suo susceptum habeat foveatque cum suis paucis, qui et ipsi sunt extorres ejusque fugae se adjunxere comites, — interim vero ut agat Mtas. sua per insignes oratores suos cum rege Ferdinando de conditionibus concordiae et pacis si non utilibus ac honestis, at saltem tolerabilibus et ferendis. Ego mihi certo persuadeo, quod rex ipse Ferdinandus, hac recenti victoria elatus, erit durus ad suscipiendas quasque conditiones concordiae et pacis, nam agit omni studio apud Mtem. regiam, ne rex ipse Joannes hostis ejus habeat receptum in dominiis Mtis. suae. Verum mihi crudele nimis et parum christianum esse videretur, si Mtas. sua regem vicinum et affinem in

in hac ejus extrema necessitate omni praesidio et favore suo destituere deberet, scribereque propterea volo Mti. suae et persuadere, ut Mtas. sua faciat officium pietatis et regis christiani, regem afflictum et odio novercantis fortunae collapsum non deserat et in dominiis suis ad tempus conservet, non ut inde aliquid hostile moliatur adversus regem Ferdinandum et regnum Ungariae, sed duntaxat, ut contineat eum, ne vel ad Turcum vel ad alias terras hostiles elabatur, unde posthac regno Ungariae vel rei christianae cladem aliquam insignem ferre possit. Maluissem laetiora nova scribere vrae. Mgciae., sed cum haec, quae vobis non satis arrident, evenerunt, qualiacunque illa sunt, significare ea volui. Commendo me ex animo vrae. Mgciae., quam dominus Deus servet cum suis omnibus quam diutissime sospitem et felicem. Dat. in arce mea Bodzanczinensi.

137. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, epo. Plocensi.

Teki Górskiego, nr. 917, (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 73.
Kod. Sap. VII, 63.

Rme. in Chro. pater et dne. nepos charissime. Quantis simus casibus obnoxii omnes, quamdiu hanc vitam incolimus, recens ecce praebet exemplum sermus. dnus. Joannes, rex Ungariae, qui nuper favore fortunae, tanquam matris indulgentissimae, evectus ad clarissimi regni fastigium, ad ultimum feria secunda ante Reminiscere [1]) est fusus, fugatus, dejectus, vel potius a suis desertus et proditus, et post res perditas extorris factus, ad dominia Mtis. regiae fuga est delatus, auxilio nostrorum Polonorum, qui soli illum servarunt et in arcem Camieniec, quae est civitati Crosnensi vicina, salvum ac incolumem deduxerunt. Ferunt enim hi, qui fuerunt in eo proelio, quod velites Ungari et antesignani, qui initium pugnae facere debebant, in congressu cum hostibus non illos armis impetebant, sed versi sunt in salutationes mutuas et oscula. Quorum rex considerata perfidia fuga saluti suae consuluit, et nisi Poloni fuissent, fuisset per suos proditus et hostibus traditus. Dnus. Antonius Rincon erat inter pedites, qui satis animose pugnarunt: verum visa postea Ungarorum perfidia et suorum ac regis fuga ipsi etiam in fugam sunt versi, quorum trecenti viriliter pugnantes occubuerunt, ex equitibus vero circiter viginti desiderati, castra direpta, currus tamen regii ferme omnes abducti opera Polonorum, quos proditores Ungari per longum spatium insequebantur, animo regem capiendi. Audio, quod rex ipse Joannes in rebus suis desperatis eo animo huc ad nos confugit, ut hoc receptu sive effugio suam et suorum, qui eum et partes ejus usque ad extremum secuti sunt, salutem et vitam servet incolumem, mittereque decrevit, ut certo edoctus sum, ad Mtem. regiam supplicaturus, ut pro jure foederis, vicinitatis et affinitatis, quae illi cum Mte. sua intercedit, Mtas. sua illum nuper regem, nunc autem profugum, extorrem et omnium indigum in regno suo susceptum habeat foveatque cum suis, qui et ipsi sunt extorres ejusque fugae se adjunxerunt comites; interim vero, ut agat Mtas. suas per insignes oratores suos cum rege Ferdinando de conditionibus pacis, si non utilibus aut honestis, at saltem tolerabilibus. Quia vero veretur ipse rex Joannes, ne Mtas. dni. nostri in gratiam victoris recuset ei dari receptum in regno suo et partes suas de concordia et pace interponere neget, mittit etiam ad me nuntium suum, forte dnum. Laurentium Miszkowski, postulans, ut se Mti. regiae commendarem et ut, si fuero designatus per

[1]) Tak mają oba kodeksy, przypadałoby to na 2 marca. Prawdopodobnie kopiści odczytali mylnie II zamiast VI feria, która przypada na 6 marca. Porównaj nr. 124 i 136.

per Mtem. suam mediator pacis et concordiae inter ipsum et regem Ferdinandum, ut munus hoc non detrectarem. Ego his diebus sum aliquantulum debilis ex catarro et tussi atque ita multa scribere et meditari non possum, quare rogo plurimum vram. rmam. Dtionem., scribere velit exemplum literarum, quibus optimum regem et nobis amicissimum fortunamque ejus deploratam Mti. suae commendem, deducendo, quod officium est Mtis. suae regem vicinum et affinem in regno suo suscipere, et ne funditus cum familia sua et suis fidis pereat, omni ope et consilio suo juvare agereque inter illum et regem Ferdinandum de aliquibus honestis pacis et concordiae conditionibus. Praeterea si ventum fuerit ad hoc, quod ego ire debeam cum dno. castellano Cracoviensi aut aliquo alio collega ad tractandum de hac sancta pace et concordia: rogo vram. rmam. D., meditari interim velit et scribere orationem et instructionem legationis tam ad regem Ferdinandum quam ad consiliarios et ordines regni Ungariae, argumentis rhetoricis et persuabilibus refertam, ad persuadendam et reconciliandam concordiam et pacem inter hos duos reges, quorum alter prostratus jam jacet, ut sim bonus nuntius et mediator reique christianae et his regnis in magno discrimine constitutis mea quantulacunque opera consulere et prodesse possim. Referam vicissim vrae. rmae. D. hanc ejus curam et laborem fraterno amore et officiis amicitiae per omnem occasionem. Optoque, ut vra. rma. D. sit semper incolumis ac felix meque diligat et dno. Broderico, communi nostro amico, diligentissime commendet. Rogo etiam vram. rmam. Dominationem, scribere velit epistolam brevem, quam poni faciam in prima charta librorum Missalium, quos formis excudi in Germania jussi et per hunc puerum mihi etiam illam mittat. Datum.

Post scriptas literas misit ad me mgcus. dnus. castellanus Cracoviensis exempla literarum regis Ferdinandi et oratorum ejus, quae mitto cum praesentibus, ex quibus cognoscet vra. rma. Dominatio, quod rex ipse Ferdinandus aget omni studio suo et urgebit vel fortasse jam urget suis literis Mtem. suam regiam: ne rex Joannes, hostis ejus, habeat receptum in dominiis Mtis. suae; sed certe crudele nimis foret ac parum christianum, si Mtas. sua regem vicinum et affinem in hac ejus extrema necessitate omni praesidio et favore suo destituere deberet, cum non conservabit eum Mtas. sua, ut aliquid hostile moliatur contra ipsum regem Ferdinandum, aut regnum ejus Ungariae, sed duntaxat, ut contineat eum, ne vel ad Turcum vel ad alias terras hostiles elabatur, unde posthac regno Ungariae et rei christianae negotium facessere et cladem aliquam insignem inferre posset.

138. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancell., Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego nr. 915, (kopja współczesna). Kod. Karnk. X, 75. Kod. Wojcz. nr. 67.

Sacra Majestas etc. Jam hactenus satis constare potest Mti. vrae. sermae. ingens et miserabilis casus sermi. dni. Joannis, Ungariae regis, qui his praeteritis diebus, ubi cum hostibus congrediendum erat, non solum circumventus et desertus est a suis, sed etiam ita insecutus ab eis, ut, nisi a nostratibus, quos conduxerat, servatus esset, vel in discrimen vitae vel certe in potestatem hostis sui devenisset. Mira et stupenda sunt, serme. rex, quae hoc fatali saeculo nostro tam in divinis quam etiam humanis rebus geri videmus, et si quis expendat corruptissimos hominum mores, tot perjuria et sacrilegia, tantam religionis et rerum publicarum perturbationem, tantos populares motus et seditiones, summorum principum exilia, captivitates, interitus, quae hoc brevi tempore contigerunt, non levius

levius esse ducet eum regem desertum proditumque a suis, qui et dilectissimus illis erat semper a cunis usque et summo ipsorum favore ad regium culmen evectus, proditum autem in gratiam ejus principis, cujus genus et natio fuit illis semper omnium maxime invisa. Verum si vicissim mos hujus gentis expendatur, ita quasi natura insitus, ut semper fidem et reges suos pro equis desultoriis habuerit, si ad calculum revocentur priora regni illius gesta, equidem id adeo nunc neque mirum neque novum videri poterit, siquidem exstant hujusmodi inconstantiae, ne dicam perfidiae exempla plurima et huic consimilia. Nam ut ex multis unum commemorem: electus et coronatus erat ab Ungaris, mortuo Sancto Stephano, Petrus Almanus, Henrici caesaris nepos, qui dum intra modicum tempus exosus fit Ungaris, pellitur e regno et Aba, comes Ungarus, coronatur, fitque et ille non multo post invisus, revocatur rursus Petrus, resque in certamen venit, succumbit et occiditur a suis Ungarus, Petrus rerum omnium cum applausu potitur praesenteque caesare denuo coronatur; displicet is rursus paulo post et rursus regno ejicitur, fugiensque prae maerore apud Quinque Ecclesias moritur. Exulabat interim in Polonia stirps regia Ungariae, ex qua Andreas major natu Petro defuncto sufficitur, et cum summo honore ad patriam et regnum suum reducitur. Ea est illic fidei et regni firmitudo. Longum esset plura ejusmodi recensere. Nunc, serme. rex, confugit optimus iste princeps ad sacram Majestatem vram. quasi ex naufragio in portum, fretus virtute, pietate et affinitate Mtis. vrae., fretus conscientia et innocentia sua; veretur id, quod res est, ne sermus. rex Ferdinandus agat apud Mtem. vram., ut sibi in regno ejus receptus non detur, supplicatque Mti. vrae., uti se et salutem suam suorumque paucorum fidelium conservet ac ut operam suam impendere non gravetur, quo cum hoste suo ad aliquas conditiones pacis et concordiae venire posset, si non honestas, saltem tolerabiles. Me etiam, uti se commendem Mti. vrae., et munus hoc tractandae concordiae, si per illam designatus fuero, non detractem, obnixe rogat. Ego, serme. rex, ut et officium christiani episcopi faciam et Mti. vrae. pro fide mea debita integerrime consulam, censeo et supplico, ut Mtas. vra. regem ipsum tam adversa actum fortuna, conservet. Si is hostis, si vel maleficus esset, confugientem tamen ad Mtem. vram. et opem ejus suae saluti implorantem non conveniret principi christiano excludere; nunc is et vicinus rex est et affinis Mtis. vrae. observantissimus. Censeo item pacem et concordiam tractandam modis quibus fieri poterit. Id cedet in summam gloriam non solum Mtis. vrae., sed etiam ipsius sermi. regis Ferdinandi, cedet ad honorem Dei et horum regnorum totiusque christianitatis commodum et salutem. Persuadeat sibi quidquid velit ipse sermus. rex Ferdinandus, verum cum multo majori commodo suo factum est, quod hostis suus ad Mtem. vram. confugit potius, quam, ut in talibus eventibus fieri solet, ad hostes ejus aliquos confugisset. Documento est nobis dux Michaël Gliński, documento id genus multa alia. Ego quicquid in ea re praestare possum opera et labore meo, pro honore Mtis. vrae. et communi bono statu horum regnorum et salute nihil ad mandatum vrae. Mtis. subire gravabor. In cujus gratiam me et orationes meas humiliter commendo. Datum.

Teki Górskiego, nr. 906, (list oryginalny).
Kod. Karnk. X, 65.
Kod. Sap. VII, 57.

139. Franciscus de Frangepanibus, archiepus. Colocensis, Petro Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Rme. in Christo pater et domine, dne. mi observandissime. Salutem et amicabilium obsequiorum commendationem. Quo in statu sint nunc res sermi. dni. mei, dni. regis Ungariae,

gariae, Dtio. vra. rma. et audivit, ut opinor, ex fama publica et audiet intelligetque clarius ex ore hujus nuntii Mtis. suae, quem ad v. r. D., uti ad amicum specialissimum, misit, in qua plurimum Mtas. regia confidit. Scit enim eam esse vitae integritatem et amicitiae constantiam ejusdem, ut eodem modo se gerat erga amicum et prospero et adverso tempore. Ego autem ex me rogo vehementer eandem, ut non omittat suadere per literas et nuntium suum sermo. domino regi Poloniae de missione oratoris ad Imperium in negotio sermi. dni. regis mei, uti Mtas. sua concluserat Pyotrkoviae. Istum casum, quem Mtas. regis mei passa est, vellem posse oretenus reserare eidem, quae — ut spero — cognosceret ex hoc casu non esse stabilitum regnum Ungariae in manu Ferdinandi, immo tantum habebit agere forte, quantum hucusque, et quia haec maxime dependent ex arbitrio ejusdem, volui eam his meis literis commonefacere, ut non frangatur his adversis, sed faciat officium ejusdem amici, quem semper hactenus se esse ostendit. Deus enim et amici facile possunt restaurare, quae paucorum proditione aliquantulum corruere. Haberemus enim adhuc unum locum, quem nondum movimus — (non dico de Turco) — qui cedet gravius domino Ferdinando, quam superiora omnia. O! si liceret mihi per spatium unius horae colloqui cum vra. rma. Dominatione, cui me iterum commendo et quam felicissime valere opto. Ex arce Camenecz decima septima Martii 1528.

E. v. r. D. deditissimus Fr. Fran. de Frangepan̄.

140. Andreas Cricius, epus. Plocensis, Petro Tomicio, epo. vicecancellario.

Teki Górskiego nr. 903, (list oryginalny). Kod. Karnk. X. 78. Kod. Sap. VII, 84.

Rme. et colendissime mi domine. Mitto nuntium meum ad invisendum sermum. regem Joannem in hoc ejus adversissimo successu, ad explorandum, quo res summa loco. Audio, quod convocat ad se primores dominos nostros et ad me etiam nuntius est venturus, quod olfeci ex his dominis nostris, qui apud illum sunt, processisse, ut soli non sint, qui viderentur ejus partium esse. Nam in quem profectum fiat haec convocatio, prorsus non intelligo, nam neque conventus iste noster adeo cito esse posset, ut res ejus postulant, neque si esse posset, liceret cuiquam nostrum absque scientia et jussu sermi. dni. nostri id facere, neque scire posset quisquam ullum dare consilium inscia voluntate regia. Et ita ego me ingenue excusabo consulamque, ne quid captet consilii inceptetve absque scientia et consilio Mtis. regiae. Quid vra. rma. D. et alii domini respondebunt, nescio. Supplico, faciat me de his et aliis, si quae habebit, certiorem. Cujus gratiae me ex corde commendo. Poltowii XVII Martii. 1528.[1])

141. Ferdinandus, Ungariae et Bohemiae rex, Christophoro de Schidlovic, cast. Crac., cancell.

Archiwum Wiedeńskie.

Illustrissime sincere dilecte. Scribimus cum hoc praesentium latore ad serenissimum principem dominum Sigismundum, regem Poloniae, magnum ducem Lituaniae, fratrem et socrum nostrum charissimum, super rebus nostris, sicut ex incluso literarum exemplo videbitis

[1]) Pod adresem zanotował Tomicki: Literae epi. Plocensis, quas reddidit in Bodzanczyn Ozarowski feria quarta ante dominicam Palmarum (t. j. 1 kwietnia.)

bitis, quae cum nobis plurimum important et quantocius fieri possit expediri cupiamus nec lateat nos tam hoc, quam alia negotia suis viribus credita esse, idcirco vos plurinum hortamur, ut nuntium nostrum, qui ad vos cum literis praedictis veniet, nostri contemplatione ad serenissimum dominum regem praefatum cum eisdem statim dirigere et comitari facere, illumque, ut citam ac votivam expeditionem consequatur et ad nos redeat, promovere velitis. Interea vero ut deinceps etiam per vosmet ipsos, ne subsidia aliqua ex regno isto ad Johannem Scepusiensem mittantur, curare et providere cunctaque simul pro nobis, sicut antea semper officiose fecistis, agere non intermittatis, quae ad rerum nostrarum tuitionem et promotionem deservire cognoveritis, sicut in vos clementer confidimus et vicissim erga vos, ubi oblata fuerit occasio, peculiari gratia nostra recognoscemus. Datum Viennae 19 martii 1528.

Archiwum Wiedeńskie.
Kod. Sap. VII, 87.
Kod. Wojcz. nr. 175.

142. Ferdinandus, Ungariae et Bohemiae rex, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Ferdinandus etc. Serenissimo etc. Tametsi Serenitatem vestram et literis et nuntiis saepius hortati simus, ut nec ipsa Johannis Scepusiensis studiis et factionibus favere aut locum dare nec agentes suos in subsidium ipsius mittere vellet aut ire permitteret, atque Serenitatem vestram pro pristina sua in nos affectione ac juxta oblationem nobis ab ea super hoc et per literas et oratores tam suum quam nostros, praesertim ultimos illos factam, illud omnino facturam existimaverimus, tamen certo nobis innotuit, plures Polonos etiam insigniores et alicujus nominis cum antea tum in conflictu nuper a nostris cum Johanne praefato habito repertos esse, quamvis hos eadem Serenitas vestra colluviem tantum esse, hancque propter regni libertatem non facile prohiberi posse asserat, quominus ad eundem currat aut confluat, immo et ipse Johannes palam jactitare non cesset, se externis abundare auxiliis et eo potissimum, quod a Serenitate vestra sibi suggeritur. Id autem ex eo, quod ex relatione praedictorum oratorum nostrorum accepimus, cognosci potest, cum Antonius Rincon tamquam factionis Scepusiensis capitaneus et princeps eisdem oratoribus nostris in dieta Piotrkoviensi existentibus non veritus sit gentes contra nos collectas, immo possessionatos et nobiles aliquot regni Serenitatis vestrae in auxilium Johannis antedicti mittere. De rumoribus variis et pluribus de Serenitate vestra et regnicolis ejusdem vulgo sparsis nihil scribimus, cum illi non solum, sed etiam facta Serenitatis vestrae jactationi Johannis correspondeant. Quare eandem Serenitatem vestram affectuose hortamur et rogamus, ut veteris nostrae in eam benevolentiae et amoris dictaeque oblationis suae memor per se ipsam in favorem et assistentiam Johannis antedicti nihil prorsus facere et admittere, simul et regnicolis suis inhibere eosque cohibere velit, ut domi maneant nec ad Johannis istius stipendia progrediantur. Et quia praedictus Rincon tamquam fugitivus et rebellis servitor[1]) noster nondum cessat ab iniquis et perniciosis actionibus, quarum seminaria et fructus jam aliquoties molesto quidem animo vidimus, qui si regis sui oratorio munere dumtaxat fungeretur, non admodum aegre ferremus, sed cum illius praetextu, non attentis, quae oratorem respiciunt, ea tamen conari non desinat, quae tumultuarium et factiosum arguunt primusque sit, qui reliquos in nos concitet et persuadeat, nobis non potest esse non molestum. Unde Serenitatem vestram magnopere hortatam esse volumus, ut eundem Rinconem habito ad praemissa respectu ulterius

[1]) W kodeksach: subditus.

ulterius apud se et in curia sua agere, ut haec contra nos facere possit, non patiatur, attento, quod nos quoque eidem Serenitati vestrae pari vice et officio, si operae pretium foret, gratificari vellemus, sicut etiam illam indubie facturam esse confidimus, quod profecto regnorum utriusque nostrum incolis, quin potius et publicae paci et tranquillitati nonnisi quam maxime prodesse poterit. Sed si, quod equidem nobis persuadere nec possumus nec volumus, hoc neutiquam fiat, tum necessitas ipsa nos invitos quidem adiget ad cogitandum et amplectendum alia media, quae forte facile et in promptu haberi possunt ad hoc, ut nos et subditos nostros ab iis atque aliis eruamus et in pace servemus. Nobis tamen persuasum habere volumus, Serenitatem vestram pro sua sapientia et judicio perspicaci nihil unquam admissuram, quod nobis aut rebus nostris contrariari possit, sicut et nos vicissim faciemus, eamque in amore nostro bonaque vicinia, sicut huc usque fecimus, fraterne conservare studebimus, quae nos de certo et votivo super iis responso cum hoc praesentium exhibitore admonere velit et felicissime valeat. Datum Viennae 20 martii, 1528, regnorum vero nostrorum secundo.

143. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. vicecancellario.

Teki Górskiego nr. 905, (list oryginalny). Kod. Karnk. X, 61. Kod. Sap. VII, 53.

Rme. mi domine. De negotio Ardelionis nostri priusquam mihi literae vrae. rmae. D. essent redditae, jam et Zambocius mihi retulerat et dnus. Chojenski perscripserat id totum, quod ab illa intellexerant. Ego profecto non eorsum ista scripseram vrae. rmae. D., ut vel hac ambitione [1]) titillarer, vel tractatus aliquos indignos sequi vellem, volui tantum indicare ipsius Ardelionis machinas, ut illa eas sciens faceret, quod videretur, ne esset in posterum, quod dicere posset: non putaram. Alioquin si in isto visco haesissem, intendissem tragulam aliquam per illos, [2]) qui nunc nihil non posse creduntur, sed ne ullam quidem significationem dedi cuiquam praeter Dominationem vram. rmam., idque eo, quo dixi, animo.

De tractatibus nihil est, quod vereatur, ne me in hanc nassam illici patiar, testis est mihi palatinus meus, [3]) qui magno praemio in hoc conductus erat, ut mihi hunc ambitum persuaderet, me hoc unico verbo: nolo illum semper absolvisse. Si quid aliquando tractavi, feci magis explorandi causa, quam serio agendi aliquid. Quod uterque princeps conatibus illius obstet, utinam ita sit: verum eadem et ante fuit de illo, quae nunc est, apud utrumque persuasio, existimatio de nobis praecipua, ac optima quaeque nobis pollicebamur; fuimus tamen machinis illius prostrati adeo, ut et de futuris, quo via nobis intercluderetur, facta fuit illa pro Euclione [4]) declaratio, de quo non opus est ulla sollicitudine; per me equidem non impedietur. Matrimonium illud omni studio inficere conatus sum et persuasi, ut mihi videor; verum potius ducitur non solum apud virginem, sed etiam apud gentem, domesticum connubium, quam externum, idque in eventum mutationis alicujus, [5]) de qua quid Briareus [6]) noster illic locutus fuerit, ut persuaderet connubium, nolo in praesens scribere, verum miraretur vra. rma. Dominatio plurimum, quae utique non sunt de nihilo et principis maxime interest providere tempori. Eadem illum acturum sub hoc munere, quod

[1]) Archiepiscopatus (przypisek Górskiego w kod. Karnk.) — [2]) Per reginam (przypisek Górskiego) — [3]) Felix Srzenski, palat. Plocensis (przypisek Górskiego) — [4]) Euclionem Mathiam Drevicium, epum. Cujaviensem. intelligit, qui ad archiepiscopatum de futuro designatus erat (przyp. Górskiego). — [5]) i. e. mortuo rege patre filius non deberet eligi in regem Poloniae, eo quod B. seu Hieronymus Laski, palatinus, rex esse deberet per practicas Laski archiepiscopi (przyp. Górsk.) — [6]) Latalski, epus. Posn. (przyp. Górskiego).

quod instat, non dubito; non credo tamen persuasurum esse aliquid, olfaciam nihilominus omnia, et quoad potero impediam. Me rmae. Dominationi vrae. unice commendo, quam dominus Deus servet sospitem semper et felicem. Pultowii, die Veneris vigesima martii. 1528.

Teki Górskiego nr. 907, (list pisany ręką pisarza z podpisem Krzyckiego).
Kod. Karnk. X, 62.
Kod. Sap. VII, 54.

144. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne. mihi colendissime. Venit ad me puer iste nudius tertius et paulo ante, quam ad me venisset, dnus. Bielinski cum literis vrae. rmae. D. ex Radomia praecessit, ita, ut nihil interea ad scribendum vacaret, conscripsi tamen ea omnia biduo, quae mitto, majori qua potui diligentia, censui tamen, ut et dnus. Brodericus, qui utriusque regis ingenium et rationes novit, scriberet, quae illi viderentur, quae mihi in multis probantur. Atque ideo illa etiam mitto.[1] Scripsi tamen et ipse aliam succintiorem ad Ferdinandum instructionem, quod apud illum cautius et circumspectius omnia sint agenda, ut haberet vra. rma. Dominatio, quod eligere posset, sive ex illis alteram seu vero ex utraque id, quod magis ex re agi videretur, ne quo pacto principis illius, cui alioquin suspecti sumus, aures offendi aut aliqua occasio illi dari possit sinistre de nobis suspicandi, praesertim si in persuadendo multum diffusi esse vellemus, et Germani observant omnia et facile rapiunt omnia in pejorem partem. Quae singula vestra D. rma. judicio suo recte disponet. Ad Summum Pontificem et rmum. dominum cardinalem Sanctorum quatuor scripsi etiam, ut potui, diligentius, neque videbantur plura necessaria. Verum miror, quomodo haec sine subscriptione regia mitti in Urbem debeant aut, si subscribenda sunt in Lithuania, quando in Italiam pervenire poterunt? nam interim multa alia intervenire possunt. Literas Erasmi et Sichardi videor mihi misisse cum responsis ex Wolborz vestrae D. rmae., nam memini me illas seorsum colligasse et cum aliis, quae missurus eram, seposuisse, tamen perquiram adhuc illas inter omnes fasciculos meos et, si reperero, mittam e vestigio, verum ego meas, dum petentibus ad legendum praestabam, nescio quo pacto amisi.

Coributus noster[2] nudius tertius Varschowiae vita functus est, cujus mors magnam mihi partem solacii mei in his regionibus abstulit. Quod ad me attinet, valeo gratia Dei, nisi quod circa scyam dolui per dies aliquot. Traduco tempus partim in lectione cum Broderico, partim in muniis meis obeundis.

Rogarunt me cives Plocenses, ut impetrarem illis apud dnum. thesaurarium summam aliquam novae monetae, pro qua pauperes homines illic in civitate commodius monetam Swidnicensem mutare possent. Pro hac re justa et decenti rogo, vra. D. rma. intercedere dignetur. Et profecto bonum esset, ut ita ad omnes civitates et oppida principalia mitterentur aliquae summae ipsius pecuniae, annotando omnes, ut pauperes homines non haberent difficultatem quaerendi istam commutationem pro moneta Swidnicensi et illa tanto celerius exstirpari posset. Ego ex censibus meis et contributione spiritualium ferme nullam aliam quam Swidnicensem monetam habeo.

Citatus

[1]) W kod. Karnkowskiego dopisał Górski na marginesie: legationes ad reges, vide has infra fol... — Mowa tu o instrukcyach poselskich, które umieściliśmy wyżej pod numerami 124 i 126. — [2]) Do listu Krzyckiego w Tekach przylepiona jest kartka, zawierająca Krzyckiego: Coributi epitaphium. — O Korybucie Koszyrskim zob. Andreae Cricii Carmina edidit C. Morawski, pag. XXIX. Tamże Krzyckiego epitaphia na Korybuta str. 233—235.

Citatus est ad vram. rmam. D. per dnum. Zbąski dnus. Gamrath et Carolus ob salarium quoddam suum sibi a domino Erasmo episcopo defuncto debitum, quod dicunt se quidem illi ad solvendum obligasse coactos per arestum, in quantum illi deberetur, tamen testes se et documenta habere certissima, nihil illi fuisse debitum. Quae documenta, quia longe et incommodissimum eis esset nunc coram vra. D. rma. producere, petunt, ut id alio tempore et commodiori loco fiat, sed et citra judicium dicunt se esse paratos facere illi hanc solutionem, si docebitur salarium ipsum fuisse debitum. Dominatio vra. rma. pro sua benignitate faciet in ea re, quod decens fuerit, verum commodius istud Piotrkowiae agi potuisset praesente Carolo, quam in eo tanto loci intervallo. Me rmae. Dominationi vrae. et servitia mea ex corde commendo. Quam plurimum rogo, ut dnum. Rudniczki, capellanum suum, commendatum habere et per occasionem non praeterire dignetur. Valeatque felicissime et sit felix perpetuo. Ex castro Poltoviensi die XX martii 1528.

145. Joannes, rex Ungariae, Petro Tomicio, epo. vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 908, (list oryginalny z własnoręcznym podpisem Zapolii).
Kod. Karnk. X, 64.
Kod. Sap. VII, 56.

Rme. in Christo pater, amice noster charissime. Significavimus nuper rmae. Paternitati per Mgcum. Laurentium Myskowski, consiliarium nostrum, de omnibus rebus nostris et adventu in regnum Poloniae, ad quod nos ea mente venimus, ut cum rma. P. vra. et aliis proceribus hujus regni constituamur et Dominationum vestrarum consilio auxilioque rebus nostris consulamus. Cum autem rmam. Dominationem vram. sincerum amicum et ex nostrorum oratorum relatu et re ipsa semper cognoverimus et de ea certi semper fuerimus, optavimus optamusque cum rma. Paternitate vra. constitui, nec labori parcemus ad eandem accedendo, si vel rmae. Pti. vrae. grave id non esset futurum, vel aliis de causis liceret. Unde cum id fieri non possit, rogamus rmam. P. vram., — licet illud sine labore esse non possit, — velit venire ad nos in Tharnow, ubi nos quidem Deo volente constituemur praestetque rma. P. vra. nobis praesentibus id quod absentibus semper tribuit; nam cum coram fuerimus secum constituti, poterimus cum rma. P. vra. et colloqui et de omnibus negotiis nostris, quae communia nobis cum rma. P. vra. sunt eruntque perpetuo, consulere tractareque et quamvis ad potiores dominos idem scripserimus rogaverimusque, ut ad nos veniant, multique se facturos pollicti sint, adventus tamen Ptis. vrae. rmae. cum sit magnae autoritatis, trahet multos. Faciet rma. Paternitas vra. rem nobis gratam et necessariam et cujus perpetuo recordabimur. Reliquum est, ut eandem feliciter valere optemus. Datum in castro Kamenecz in dominica Laetare. Anno domini M. D. XXVIII.[1])

146. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Ottoni de Chodecz, palat. Sandomiriensi, Haliciensi, Colomiensi, Snatinensi capitaneo.

Teki Górskiego nr. 2968, (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 77.
Kod. Sap. VII, 66.

Magnifice domine, amice charissime ac honorandissime. Magnas ago et habeo gratias vestrae M. de novitatibus Thurcicis ad me perscriptis; faxit dominus Deus, ut is communis christiani nominis hostis neque hoc anno, neque aliis sequentibus unquam Ungariam aut regnum nostrum bello infestet, quo parumper a continuis bellis respirare et bonum ordinem

[1]) D. 22. 3. 1528.

nem defensionis, quem nullum habemus, constituere inter nos aliquando possimus. Serenissimus dominus Joannes, Ungariae rex, est jam bello victus et regnum suum exire coactus nec recuperare unquam vires poterit, postquam illi, in quibus majorem fiduciam salutis suae reponebat, ab eo defecerunt. Sed et difficile est nimis illi imperare Ungaris, qui imperium ejus detrectant subesseque illi nolunt. Misit idem serenissimus rex Joannes ad me nuper nuntium suum implorans consilium et auxilium in rebus suis deploratis, scripsit etiam posthac mihi, postulans, ut ad se in Tarnow venirem, quo speraret alios quoque dominos consiliarios regni ad se venturos. Verum me excusavi illius Mti. ab hac profectione aegritudine mea, quam nunc patior, quae si etiam impedimento non esset in praesens, invenissem aliquam aliam honestam excusationem, qua me a congressu cum illius Mte. excusassem; non enim decet nobis conventus aliquos facere sub absentia et sine consensu regiae Mtis., praesertim cum Mtas. sua declaraverit, se jam neutralem esse et neutri horum regum de regno Ungariae concertantium quo ad bellum, utrique vero quoad concordiam et pacem vult adesse. Satis enim superque suspecti sumus omnes serenissimo regi Ferdinando et dominis Ungaris, quod gentes nostrae iverunt hactenus passim ad stipendium regis Joannis contra ipsos, cavendum ergo nobis est et providendum, ne his conventibus, qui occulti esse non possent, majorem nobis suspicionem et hostilitatem pariamus. Quare consilium meum est, ut se vestra Mgcia. excuset ipsi serenissimo domino Joanni regi a veniendo in praesens ad illum publicis negotiis, quibus in palatinatu suo nunc distringitur, et aliis, ad quas obeundas in Russiam vocatur. Quacunque autem in re posset vestra Mgcia. pro virili sua juvare res suae Mtis., omnem studium, operam, curam et facultates suas illi polliceatur. Nihil scripsit mihi vestra Mgcia., quos viros nobiles designaverit ad subjudicatum terrae et palatinatus sui Sandomiriensis. Valeat felicissime vra. Mgcia. et me diligat habeatque sibi commendatum. Datum etc.

Teki Górskiego, nr. 1054, (kopia współczesna).
Kod. Karnk. X, 161.
Kod. Sap. VII, 159.
Archiw. Kapit. Gnieźń.

147. Salvus conductus pro oratore regis, ad caesarem Turcorum ituro.

Sultan Suleyman Tsacus, Dei gratia gloriosus, magnus et invictissimus imperator Constantinopolis, rex regum, largitor coronarum, umbraculum terrae, dominus magni maris, Inferioris, Minoris et Majoris Asiae, Africae, Europae, Siriae, Arabiae, Judaeae, Cananeae, Gallileae, Phoeniciae, Alexandriae et Aegypti, nec non magnae civitatis Akairi, Ethiopiae, Mediae et Lamachiae, Libiae et Maris Indici Rubrique, regni Jerusalem, Samariae et Maris Tyberiadis, Damasci, Halepi magnae et Antiochiae, Mezapotamiae, Caldeae et magnae Babilonis cum majori et minori Armenia, Parthiae, Persiae, Hiberiae, Georgianiae cum Mari Caspio, Trapesonti, Tauriciae, Cappadociae, Caesaraeae, Pamphiliae, Ciliciae et Tarsiae, Caromaniae, Amasiae, Paphlagoniae, Phrygiae, Bityniae, Niceae, Nicomediae et Calcedoniae, nec non universae magnae Anatoliae, Graeciae, Traciae, Romaniae, Macedoniae, Thessaliae, Peloponnesi, Corinthi, Chersonesi, Albaniae, Bosnae, Bulgariae, Valachiae, Bogdaniae, Scytiae, Tartariae et multarum aliarum provinciarum imperii et regni nostri, fortitudine, armis, virtute et framea fluminea acquisitarum per nostros praedecessores, imperatores, Sulthanum Machumeth Tsac, Sulthanum Baiazat, avum nostrum, et per filium ipsius Sulthan Selim, patrem nostrum, quibus divina clementia tribuat requiem et beatitudinem in sempiternum: vobis [1] serenissimo et excellentissimo domino Sigismundo, Dei

[1]) Archiw. Kapit. Gnieźń.: Salus.

Dei gratia regi Poloniae, Magno duci Lithuaniae, Russiae, Prussiae et multarum aliarum provinciarum. Post consuetas et debitas salutationes. Ad praesens comparuit in curia mea magna et excelsa nuntius Mtis. vrae. cum literis prae se ferentibus affectuosam et amicabilem salutationem nobis significando et declarando: Mtem. vram. designasse ad mittendum oratorem et consiliarium suum ad nostram caesaream Majestatem pro confirmatione pacis et bonae amicitiae inter nos praeteritis temporibus firmiter observatae, pro quo etiam salvi conductus literas petiit, et licet praeterito tempore rex Joannes in curiam meam magnam et excelsam miserat per nuntium suum literas significando, ut pax et amicitia inter Mtem. vram. et meam caesaream Mtem. reformaretur, ut ipse posset habere succursum et subsidium ab ipsa Mte. vra., per quem nuntium salvus conductus fuit scriptus et ex mea magna et excelsa curia Mti. vrae. missus et ex parte Mtis. vrae. oratori ad comparendum et veniendum ad nostram Mtem. erat designatum tempus pro confirmatione praeteritorum capitulorum pacis et amicitiae, quae est inter nos. Et quoniam per nullum effectum vel alium quemvis modum unquam sit violata immo confirmata utque orator ipsius Mtis. vrae. possit venire et ire securissime, tali effectu et vigore praesentium nemo audeat impedire eum nec dare fastidium et impedimentum aliquod. Itaque id sit notum omnibus et istud sit pro fideli salvo conductu ipsi oratori et his nostris praesentibus eam praestabitis fidem, ut decet, nec plura. Et bene valete. Datum in magna curia nostrae honoratae sedis Constantinopolitanae die secunda Lunae Rogiep[1]) anno nostri prophetae D. CCCCXXXIIII., die vigesima secunda Martii anno Jesu Christi 1528.

148. Instructio in Turciam magco. Joanni de Tanczin, castellano Lublinensi, data 1528.

Teki Górskiego, nr. 1054, (kopia współczesna*). Kod. Karnk. X, 162. Kod. Sap. VII, 161.

Serenissime ac potentissime Caesar. Serenissimus princeps dominus Sigismundus, Poloniae rex et Magnus Lithuaniae dux, dominus meus gratiosissimus, mittere me dignatus est ad visendam sanitatem Majestatis vestrae, cui imprimis plurimam salutem dicit, optans ex animo, ut Majestas vestra et diutissime valeat et illi omnia pro voto ac desiderio succedant tanquam amico et vicino suo.

Offerendae dehinc literae creditivae, quibus lectis dicendum: Regia Majestas dominus meus per oratorem suum, quem novissime apud Majestatem vestram habuit, inviserat salutem Majestatis vestrae, evectionem et sublevationem ad paternum solium, tum etiam triumphos et victorias de hostibus suis habitas eidem Majestati vestrae gratulata est, postremo amicitiam et benevolentiam, quae inter Majestatis vestrae et Majestatis suae regiae majores jam a multis annis durabat, etiam inter Majestatem vestram et se renovari, coalescere et conservari cupiebat. Nunc quoque per me hoc ipsum repetit, dignitati, famae, honoribus, triumphis, victoriis et omnibus aliis rebus, quibus Majestatem vestram decoratam esse audit, congaudet et gratulatur, tanquam amico et vicino suo charissimo. Et quo ipsa amicitia et conjunctio inter Majestates vestras duret et diuturna maneat, commisit mihi Majestas domini mei regis ea agere et concludere cum Majestate vestra, quibus amor et amicitia mutua inter utramque Majestatem vestram, dominiaque, terras, gentes et populos earum foveretur. Et petit sua Majestas, ut vestra Majestas imperatoria velit esse suae regiae Majestati bonus amicus et amicitiam atque pacem cum sua Majestate servare

[1]) Ma być pewnie: Redżeb, turecka nazwa miesiąca marca.

*) Dokument w Tekach przekreślony, ale Górski dopisał: scribatur, vera est legatio et missa in Turciam.

servare dignetur, et non modo inter personas Majestatum vestrarum, verum etiam inter dominia et subditos ipsarum Majestatum vestrarum, ita ut nuntii, mercatores et subditi quicumque Majestatum vestrarum possint ultro citroque inter Majestates vestras et earum regna et dominia libere commeare, manere et redire, negotiarique in omnibus suis mercimoniis et negotiis honestis ac decentibus, ita quemadmodum tempore olim praedecessorum Majestatum vestrarum fieri consuevit.

Privatim agenda cum Bassis.

Primum, salutatis bassis nomine regio, dicendum cum illis, ad quid et qua causa te illuc miserimus, ut videlicet bonam valetudinem caesaris inviseres eique omnia fausta et felicia nomine nostro precareris, utque pacem et amicitiam tractares inter nos et ipsum caesarem, talem qualis erat inter praedecessores utriusque nostrum. Si quaesitus fueris, quanto tempore cum ipso caesare indutias inire vellemus? respondebis: nos nunquam optasse neque optare aliquam differentiam esse inter nos et ipsum caesarem, et proinde vellemus indutias cum illo decem annorum, ut intra illud tempus possit solidior et diuturna pax atque amicitia inter nos firmari et concludi. Et proinde ages, ut ipsae indutiae decem annorum inter nos fiant et conficiantur. Si autem recusabunt tot annorum indutias, dices: breve spatium indutiarum non bonam spem praebere utrinque firmae et sincerae amicitiae, et res tanti momenti tractari et confici non possunt commode per tanta viarum et locorum intervalla tempore brevi et angusto, et proinde perstabis, quantum poteris, in decem annorum indutiis. Qua in re si pertinaces fuerint, descendes ad novem annos, si ad id non consentient, nominabis octo, deinde septem, sex, quinque, quatuor, et postremo si aliter fieri non poterit, stabis in tribus annis, ita quemadmodum ante solitum est fieri. Quodsi ad tres quoque annos indutiarum consentire noluerint, contendes, ut saltem duorum annorum indutias habere possemus, si vero id quoque efficere non poteris, saltem ad unius anni decursum indutias obtinere curabis. Ad extremum ita agas, ut quam longissimas indutias habere possemus, et ne sine indutiis ad nos redeas. Si bassae interrogabunt aut mentionem facient, an nos tributum aliquod caesari Turcorum dare vellemus, (nam dominus castellanus Biecensis et capitaneus Opocznensis ex Turcia rediens narraverat hic, quod bassae ab eo tributum petebant dicentes, quia cum nos Tartaris tributum pendimus, aequius esset, ut ipsum tributum imperatori eorum penderemus), respondebis: de tributo pendendo nihil te habere a nobis in commissis, neque te credere, quod orator noster dominus castellanus Biecensis aliquam mentionem tributi fecerit, quandoquidem tu certo scires, nunquam id sibi a nobis commissum fuisse. Quod enim nos amicitiam et indutias cum domino Turcorum imperatore optamus, id non facimus metu aliquo, duntaxat majorum nostrorum vestigia sequimur, qui cum hac inclyta Ottomanica domo semper in pace et amicitia vixerunt et consenuerunt; mirumque, quod dominus imperator tributum optare deberet a nobis, qui amicitiam suam exquirimus; nam tributum non fere exigi solet, nisi ab hostibus, et qui hostilia meditentur et moliantur; nos vero nihil aliud cogitamus et favemus domino imperatori, nisi omnia honorifica et decora, nullam hostilitatem prae se ferentia, quare de tributo te nihil respondere posse, cum de eo nihil in mandatis habeas. Quodsi nihilominus ipsi bassae instabunt, ut tu saltem sermones hos de tributo pendendo tecum habitos nobis referres et narrares, respondebis, tibi non licere de istis rebus ad nos referre, quae nullam amicitiam, sed potius inimicitiam repraesentant. Dicesque, te istuc venisse ad tractandam et conciliandam amicitiam talem, qualis inter majores nostros fuit, ista autem, quae domini bassae tecum locuti sunt, tendere

dere ad inimicitiam et non ad amicitiam, petesque eos, ne te tam odiosa relatione onerarent. Si vero ipsi bassae nullam mentionem tributi tecum facient, tu quoque ne hisces quidem quidquam de eodem tributo.

Quodsi de Ungaricis rebus interrogaberis: respondebis, verum quidem esse, quod duo reges de regno Ungariae contendant, videlicet Ferdinandus et Joannes, uterque autem eorum praetendit se ad illud jus habere, attamen dum ego huc absolvebar, utriusque regis, videlicet Ferdinandi et Joannis, oratores fuerunt apud serenissimum dominum nostrum regem, quilibet auxilium ejus implorans. Itaque sua Majestas interposuit se inter ipsos, misitque ad utrumque eorum legatos suos et confidit, quod eos in amicitiam reducet et regnum Ungariae pacabit. Si autem a te explorabunt de ceteris Europae rebus, puta de bellis inter caesarem, papam, regem Galliae etc., respondebis: verum quidem esse, quod nonnulla dissidia inter papam et caesarem exorta fuerant, ita, ut caesariani milites a caesare procul in hibernis existentes sine scitu et imperio caesaris ob aviditatem praedae urbem Romam adorti sunt et depraedati, pontificemque obsidione cinxerunt, tamen cum ego hic dimittebar, allatum erat nuntium, papam cum caesare rediisse in gratiam, obsidioneque solutum; praeterea omnes reges et principes Europae laborare, atque ita et dominum nostrum regem, quo reliquum bellorum inter omnes principes christianos sedaretur et sopiretur.

Dicendum etiam erit vel cum caesare, vel cum bassis, ut illic videbitur, quod Tartari Bialogrodenses, qui sunt subditi caesaris, partim soli, partim etiam ascitis sibi Tartaris Precopensibus, turbare solent pacem et indutias, quae fieri consueverunt inter caesares Turcorum et reges Poloniae, grassantes in mercatores ultro citroque commeantes, et ad fines regni aut ducatus Lithuaniae excurrentes et plurima damna perpetrantes. Et proinde ut caesar illos a talibus facinoribus contineret. Quod etiam erit in articulis indutiarum exprimendum. Item fit plerumque, quod subjecti domini imperatoris Turcorum, et praesertim ovium pastores, pascere solent greges suos ovium in ditione et pascuis regiae Majestatis domini mei; quapropter ob firmiorem pacem et concordiam utrimque inter subditos amborum dominiorum stabiliendam, admonendus erit dominus imperator, aut cum bassis agendum et constituendum, ut eorundem pastorum aliqualem modum praescribi imperent, ut videlicet homines et pastores subjecti ipsius imperatoris non temere nec vi, sed aliquo ordinato modo et cum bona venia et scientia praefectorum et officialium regiae Majestatis domini mei talibus pascuis uterentur.

Indutiae firmandae sunt juramento caesaris, quemadmodum antehac semper est fieri solitum, et literae earundem indutiarum in forma consueta accipiendae. Item ut ipsae indutiae fiant ad tot annos, ut praedictum est, inter nos regnumque nostrum Poloniae, Magnum ducatum Lithuaniae, aliaque omnia dominia et subditos nostros, ac inter caesarem, ejusque omnia regna, dominia et subditos quoscunque. Et ut nullum damnum nobis regnoque et ducatui Lithuaniae, aliisque dominiis et subditis nostris a gentibus quibuscunque caesaris et Tartaris Bialogrodensibus aliisque omnibus ipsius caesaris subditis inferatur, et ut pax firma et amicitia solida fiat et observetur utrimque. Ut nuntii et oratores tam caesaris, quam nostri, ultro citroque inter nos commeare possent, similiter et mercatores ex utraque parte ut libere ire, redire et commercia ac negotia sua libere exercere valeant, theloneis et vectigalibus consuetis persolutis. Aget autem orator noster summa diligentia, ut literae ipsae indutiarum sermone Latino aut Italico, prout antea fieri consuetum est, scribantur; nam non habemus in regno nostro homines, qui scirent literas lingua Turcica aut Arabica scriptas debito modo interpretari. Cetera industriae et virtuti ejusdem oratoris committuntur.

Teki Górskiego, nr. 3412, (kopja współczesna.) Kod. Karnk. X, 163. Kod. Sap. VII, 160.

149. Instructio ad wojewodam Moldaviensem magco. Joanni de Tanczin, castellano Lublinensi, data.

Quoniam oratori regio ad imperatorem Turcorum profecturo iter est faciendum per Moldaviam, vult Majestas regia, ut idem orator concedat et descendat ad dnum. Petrum,[1]) wojevodam Moldaviensem, et cum eo nomine Majestatis suae conferat in hunc, qui sequitur, modum:

Et primum omnium post denuntiatam verbis Majestatis suae eidem dno. Petro, wojevodo Moldaviensi, salutem, post dictam et nuntiatam gratiam Mtis. suae consiliariis et bojaris ipsius ac post oblatas literas creditorias, dicet haec verba:

Serenissimus dominus meus Sigismundus, rex Poloniae et Magnus dux Lithuaniae etc., agit ingentes gratias vobis, domine wojevoda Petre, pro eo, quod sibi per aulicum ejus Borowski, qui nuper hic oratorem apud vos nomine suae Mtis. egit, significastis multas res scitu necessarias. Quibus ex dicto Borowski, aulico suo, intellectis, coepit mox Majestas sua cogitare et consilia capere, quibusnam modis communium hostium consiliis resistere valeret, prout sua Majestas intellectis his rebus per vos, dne. palatine, significatis jamque se instruxit et praeparavit quibuscunque moliminibus hostium contrastare. Quam amicitiam et benivolentiam vestram, domine wojevoda, vult sua Majestas vobis vicissim omni sua amicitia et benivolentia data occasione compensare ut amico et vicino suo charissimo.

Petitque, ut in futura quoque tempora, si quid tale sive a Turcis sive a Tartaris intelligeretis, quod suam Mtem. scire expediat, velitis eam, prout hactenus fecistis, de omnibus rebus facere certiorem. Qua in re facietis, dne. wojevoda, rem suae Mti. gratissimam et bona amicitia atque vicinitate dignam.

Significastis praeterea, domine wojewoda, suae Mti. regiae per legatos vestros, quos apud suam Mtem. nuper Pyotrkoviae habuistis: imperatorem Turcorum plus tributi a vobis exigere, quam superioribus annis a praedecessoribus vestris ipse et ejus praedecessores exigebant, ideo suam Mtem. regiam rogastis per eosdem legatos vestros, ut sua Majestas vos pecunia juvaret ad tantum tributum Turco solvendum.

Ad id sua Majestas taliter vobis respondere mandavit: Scitis, domine wojewoda Petre, regiam Mtem. per omnem regni sui ambitum circumcirca gravibus et potentibus hostibus vallatam esse, ad quos arcendos et reprimendos semper mercenarios milites servare cogitur, et ad eos alendos maximos sumptus facere necesse est Mti. suae nec ei ullam pecuniam satis esse; quare vos in ea re nequaquam juvare potest, tamen quotienscunque Mtas. sua exercitus conscribit et milites ad tuendos regni sui fines mittit, totiens semper ductoribus exercituum suorum imperare solet, ut hostes vestros, dne. wojewoda, pro hostibus suae Majestatis habeant, et si terra Moldaviae ab aliquo hoste sollicitudinem vel metum habuerit, non aliter eam juvarent et defenderent, quam terras suae Mtis., idque re ipsa fieri jam hominum memoria non semel comprobatum est.

Simile factum etiam sperat sua Majestas, domine wojewoda, a vobis et a gentibus vestris, ut si quando necessitas postularet, vos quoque gentes vestras in auxilium gentibus suae Mtis. mitteretis, quo conjunctis viribus facilius communibus hostibus resisti posset, quod etiam, domine wojewoda, secundum renovationem foederum et inscriptionum mutuo factarum facere tenemini, ut videlicet idem hostis sit regni Poloniae atque terrae Moldaviae. Nec dubitat sua Mtas., quin occasione se offerente talibus foederibus et inscriptionibus facietis

[1]) W Tekach: Petrinum.

facietis satis, hoc est: si quando quipiam hostes in regnum Poloniae irrumperent, vos sine omni mora ad eos propulsandos etiam armatas gentes mittetis. Quod quum aliquando contigerit suaque Majestas re ipsa et non verbis duntaxat comperiet, gentes vestras regno suo aliquod adjumentum praestitisse, ex tunc talem tamque solidam et perfectam amicitiam et subsidium curabit Mtas. sua vobis et gentibus vestris, domine wojewoda, sua liberalitate et honesta remuneratione compensare.

Ad ultimum dicat dominus orator, se a regia Mte. ad imperatorem Turcorum missum esse, et ut ei ipse wojewoda liberum transitum et reditum conductoresque fidos et peritos per terram suam Moldaviensem concedat, nomine Majestatis suae postulabit.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1, fol. 12).

150. Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Sigismundo, regi Poloniae.

Post fidelem et officiosam observantiae, servitiorum et fidei meae exhibitionem. Serenissime rex et domine clementissime. Est Elbingi civis quidam vir consularis nomine Bartholomaeus Vogt, Lutherana haeresi plurimum infectus, qui cum anno superiori mihi designaretur, quod nec confessus esset nec corpori dominico communicasset, aliaque plurima contra veterem ecclesiae ritum atque constitutionem sacrae regiae Mtis. insolentia perpetrasset, causam officiali ac custodi ecclesiae meae audiendam atque ut super quibusdam articulis fidei et ecclesiasticarum observantiarum medio suo juramento examinaretur, commisi. Is autem ipsis respondere noluit, provocans ad ejusdem Elbingensis civitatis magistratum, cujus jurisdictionem ea in re, non meam, agnoscebat. Id quod et magistratus idem Elbingensis justum et aequum mihi fore asseverabat. Ego ut ecclesiasticam jurisdictionem tuerer, eam causam ut mere ecclesiasticam ad vrae. sacrae regiae Mtis. commissarios tunc praesentes rejeci cognoscendam. Quibus decernentibus permissum est magistratui Elbingensi, ut audito collega suo, ipsum a prandio mihi sisterent, quod cum fieret, idem Bartholomaeus Vogt variis exceptionibus subterfugere conabatur, ne aliis se confirmaret, negans se Lutheranum esse, quod vero non communicaverit, allegabat se domi non fuisse atque multa alia, quae singula repetere nimis longum et auribus Mtis. vrae. indignum foret, pro inculpata fide ac vita sua (quae tamen tota Lutherana est et haeretica) causabatur. Replicatum est, regalibus constitutionibus cautum esse, antiquum ritum ab universis observandum esse, aut intra quatuordecim dies sub poena capitis et confiscationis bonorum migrandum. Quod qui ipse praevaricatus esset, in poenam in eis expressam incidisset, vellemque ego eam rem ad sacram v. M. referre et contra ipsum prout de jure procedere. Ad petitionem autem praefati Elbingensis magistratus suspensus est processus, praedictoque Bartholomaeo mandatum, ut resipiscens intra eum diem, quae tunc fuit 22. Julii anni 1527 ac festum Assumptionis sanctae Mariae virginis, confessus juxta veterem ritum communicaret, alioqui processum contra ipsum coeptum resumerem atque justitiam facerem. Cum vero festum Assumptionis adesset, ipse Bartholomaeus ne mandato pareret, praesentiam suam subduxit. Cum vero hic Elbingensis conventus celebraretur, feria quinta post Oculi, ipse Bartholomaeus per officialem meum meo jussu, an mandato satisfecisset ac confessus communicasset, interrogatus, irridenter atque petulanter respondit, se necdum ad dandum mihi responsum paratum esse, velle autem nescio quando respondere. Atque ita regiam constitutionem, quam servaturum juraverat, contemnens, immo ne poenam capitis et bonorum confiscationis, quam incidit, formidans,

formidans, pertinaciter in haeretica pravitate ad multorum bonorum scandalum perseverat. At serme. rex, quoniam contra ipsum Bartholomaeum tanquam haereticum ecclesiastica censura, quae hac temporum malignitate contemptui est, procedere non possum, visum est mihi illudque sacrae regiae Mti. consulo, quatenus ipse Bartholomaeus (salvo altiori sacrae vrae. regiae Mtis. consilio), ut personaliter coram Mte. vra. compareat, citetur super fidei ac vitae suae sinceritate et haeretica pravitate, qua se non solum polluit, sed et plurimos infecit ac quotidie inficere non omittit, responsurus. Et ubi reus (quemadomodum indubie est) atque convictus fuerit, regia severitate in ipsum v. sacra r. Mtas. tanquam in constitutionis suae praevaricatorem animadvertat ac unum illum haereticum et regiae constitutionis praevaricatorem sic tractet, ut omnibus exemplo sit, bonis quidem, ut perseverent, malis vero, ut vel emendentur, vel ne pejores evadant. Praeterea humillime precor, dignetur sacra regia Mtas. v. Elbingensibus mandare, ut libere permittant me uti jurisdictione mea ordinaria easque et similes causas ad forum meum spectantes mihi non eripiant. Alioquin dignabitur Mtas. v. sicut et alios praelatos in jurisdictione mea ordinaria gratiose manuteneri. Id quod devotissimis ac fidelissimis meis officiis erga sacram regiam Mtem. vram. promereri studebo. Haec sunt, sacratissime rex, quae pro officio meo et christianae religionis zelo non significare non potui s. r. Mti. v., ne si mali aliquid huic civitati per hujusmodi constitutionis praevaricationem eveniat, id meae negligentiae imputari possit aut valeat. Eandem sacram regiam M. v., cui me ac ecclesiam meam diligentissime commendo, optime et felicissime valere precor. Datum Elbingi, die lunae post dominicam Laetare. Anno 1528.[1])

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1, fol. 12b.)

151. Mauritius, epus. Varmiensis, Christophoro Szydłowiecki, cast. Cracoviensi.

Illustris et magnifice domine, amice fautor et patrone observande. Monetarium hoc negotium, de quo Franciscus orator per regios harum terrarum Prussiae consiliarios ad sacram regiam Majestatem ac Illustritatem vestram missus fusius coram referet, ex totis cordis visceribus ac ea commendatione, qua major esse non potest, commendo, idque ut Illustritas vestra potenti sua cooperatione promovere non dedignetur. Erit hoc communi tam regni Poloniae quam harum terrarum reipublicae commodo, necnon sacrae regiae Majestati ac Illustritati vestrae aeterno honori ac nunquam intermoriturae memoriae, mihi autem, qui huic monetariae rei ac communi reipublicae ex integro corde faveo, gratissimum ac perpetuis officiis meis inserviendum.[2])

Novitates

[1]) D. 23. 3. 1528.

[2]) *Pares literae mutatis mutandis ad episcopum Cracoviensem datae sunt, addita tamen hoc loco ea, quae sequuntur.*

Civitates Prussiae habent privilegium, quod possint cum consensu consiliariorum terrarum Prussiae super grano et valore monetam cudere, a quo discedere haudquaquam volunt. Immo et nos, ut eas in privilegio ipsarum manuteneremus, rogaverunt. Id quod ipsis negare non possumus, ut autem omnes simul nummos percutiant, in tempore esse non arbitror, sed ut vel una officina monetaria in Prussia sit vel alternatim et per vices monetam cudant, nempe una aliquot annis sola, uno, duobus aut ad longum tribus monetandi officinam teneat, deinde altera similiter aliquot proximis sequentibus annis eo munere monetam percutiendi fungatur, subinde reliqua, ut sic ordo ea in re servetur et confusio nulla oriatur. Id quod rmae. D. vrae. scribere atque ita per rmam. D. vestram regiae Mti. consulendum esse mihi visum est.

Novitates praeterea ex Lubeca mihi missas ac praesentibus inditas eidem Illustritati vestrae, cum aliud hac tempestate, quod scriptu ac auribus ipsius Illustritatis vestrae dignum arbitrer, non habeam, mitto. Quas ut boni consulat meque ac ecclesiam meam solito favore ac protectione prosequi non cesset atque feliciter ac faustiter valeat, precor, eadem Illustritas vestra, cui me diligentissime commendo. Datum Elbingi die Lunae post dominicam Laetare anno 1528.[1])

152. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Francisco de Frangepanibus, archiepo. Colocensi.

Teki Górskiego nr. 910, (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 67.
Kod. Sap. VII, 59.

Rme. in Chro. pater et dne. frater et amice charissime ac major honorande. Salutem et omnis felicitatis continuum incrementum. Dici non potest, quanto dolore affecerit me haec clades novissima, quam sermus. dnus. Joannes, Ungariae rex, accepit plus gentium suarum ignavia, ne dicam perfidia, quam aliquo alio sinistro eventu. Quia tamen id, quicquid accidit, evenisse non dubitamus nutu et voluntate divina, cui nemo refragari potest, ferendum est id totum aequo animo totisque viribus incumbendum et agendum, ut iniri possit aliqua ratio stabiliendae concordiae et pacis inter ipsum sermum. dominum regem Joannem et ejus adversarium. Qua in re Mtas. dni. mei curam et operam suam interponere non desistet. Mittet etiam procul dubio Mtas. sua ad conventum Imperii oratorem suum, quem prius, quam e regno discessisset, designavit, et qui se jam accingit itineri. Ego vero illi dabo instructiones necessarias. Mi rme. domine, in me et mea erga se fide ac observantia nihil dubitet sermus. dnus. rex vester, talem enim me praestabo erga Mtem. suam et res ejus in hac ejus adversa fortuna, qualem me hactenus praestiti, urgebo, admonebo literis meis Mtem. dni. mei, ut illius Mtem. non deserat, periclitarique ad extremum non permittat. Id quod certo mihi persuadeo, Mtem. suam pro sua in omnes clementia et pietate esse non gravatim facturam. Commendo me ex animo vrae. rmae. D., quam dnus. Deus servet quam diutissime sospitem et felicem in sua gratia. Ex arce mea Bodzanczinensi XXIV. Martii anno domini 1528.

153. Ferdinandus, rex Ungariae et Bohemiae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 911, (kopja).
Kod. Karnk. X, 97.
Kod. Sap. VII, 86.

Serme. princeps, frater et sororie noster charissime. Pervenit ad nos e tribus locis nuntium, quo certo edocti sumus, felicissimum sacrae caesareae et catholicae Mtis., dni. et fratris nostri charissimi, exercitum superioribus mensibus in Etruria degentem cum exercitu Gallorum, qui jam regnum Neapolitanum ingressus erat, cui quoque caesareus ex urbe Roma digressus in occursum venerat, proelium atrox commisisse, in quo ex Gallis tria milia peditum, duo autem equitum milia succubuerunt, residuum vero Gallicarum copiarum cum a nostris persequeretur, ad spatium XV miliariorum Italicorum in fugam actum, hostesque caesos atque dispersos esse, nec finem pugnae futurum, donec nostri quod reliquum est ex copiis hostium proterant et deleant. Praeterea mgcum. Antonium de Leva, gentium Mtis. caesareae praefatae Mediolani existentium capitaneum, una cum copiis equestribus

[1]) D. 23. 3. 1528.

equestribus et pedestribus tam Hispanis quam Germanis, quas sub se habet, ex copiis Venetorum aliorumque Italiae potentatuum Mti. caesareae antedictae adversantium pedites bis mille, cataphractos centum et plures aliquot levis armaturae equites trucidasse castraque et oppida complura cepisse caesarique subegisse. De duplici et insigni hac victoria nos statim accepto nuntio gratias immortali Deo, tamen minime pares, egimus pro magna et multiplici clementia et misericordia ejus inperscrutabili, qua Mtem. caesaream et nos, qui res cum ea communes habemus, complecti et fovere dignatur, qui denique ut nos, divinae suae Mti. alioqui cuncta debentes, redderet magis obnoxios, justitiae caesareae rectisque studiis ejusdem gratiae solitae signum dare voluit, sperantes et nunc quidem unice in divinam ejus bonitatem, partam hanc per nostros victoriam rebus caesareis in Italia prosperius aliquanto dirigundis apprime profuturam atque nostris etiam in inclyto regno nostro Ungariae ex sententia conficiundis, immo et paci universali tandem commodius et maturius constituendae nihil non commodaturam. De quo Serenitatem vram., quam aeque ac nos rerum caesarearum prosperitatem optare et cupere non dubitamus, et ut ipsa rei gestae seriem luculentius ac verius per literas nostras intelligeret, admonere volebamus. Cujus felicitatem et nos quoque vicissim audire percupimus, quae felicissime valeat. Datum in civitate nostra Vienna die XXV mensis Martii. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo, regnorum nostrorum anno secundo.

Archiwum Kapit. Gnieźń.

154. Salvus conductus Hungariae regi Johanni datum 1528, rege in Magno Lithuaniae Ducatu existente.

Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae etc. Significamus tenore praesentium etc. Quia serenissimo principi domino Johanni, Dei gratia Hungariae, Dalmatiae etc. regi, affini et filio nostro carissimo, pro nostro erga ejus Mtem. amore et necessitudinis vinculo, salvum et securum conductum personae Mtis. suae rebusque omnibus et pro personis ipsius dedimus damusque praesentibus, quod Mtas. sua cum rebus et pro hominibus suis praescriptis habeat liberam perviam facultatem ad regnum nostrum Poloniae et dominia subjecta veniendi in eisque manendi, et ex eis quocumque et quandocumque libitum ejus Mti. fuerit, evadendi, promittentesque ejus Mti. verbo nostro regio ex persona nostra regia et pro subditis nostris universis in regno nostro et dominiis nostris, ut praemissum est, personae suae Mtis. rebusque et personis designatis securitatem et libertatem. Et mandamus praesentibus subditis nostris, quibuscunque censeantur nominibus et quacunque praefulgeant dignitate, ut praefato smo. regi Hungariae nullam displicentiam aut molestiam tam suae Mti. quam rebus et personis inferre sub poena criminis laesae Mtis. neque per se neque per submissas personas audeant. Sed omnia venerationis et obsequiorum officia cum summa diligentia illuis Mti. exhibeant, et aliter pro eorum erga nos fide et gratia nostra facere non praesumant. In cujus rei fidem et testimonium sigillum nostrum est subimpressum. Datum in oppido nostro Merecz in festo Annuntiationis Mariae 1528, regni vero nostri vigesimo secundo. [1])

[1]) D 25. 3. 1528.

155. Andreas Cricius, epus. Plocensis, Petro Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 912, (list oryginalny).
Kod. Karnk. X, 74.
Kod. Sap. VII, 64.

Rme. in Christo pater et dne. mihi colendissime. Venit ad me cubicularius iste vestrae rmae. Dtionis. hesterno die, cum rem divinam faciebam, et reddidit mihi ejus literas, quas cum dno. Broderico pene lacrimis delevimus. Scripsi, ut mandavit, e vestigio et exemplum scribendarum literarum ad Mtem. regiam et praefatiunculam in libros Missales fabricaboque pro captu ingenii mei legationem vrae. rmae. D. ad pacem et concordiam aliquam tractandam, quae quod hoc munus subire non gravatur causa pietatis et pro bono reipublicae christianae, nihil sanctius laudabiliusque facere potest, pro quo optimo instituto agimus illi ambo cum dno. Broderico gratias immortales; nam praebet nobis ea res spem non vulgarem futuri adhuc alicujus boni. Verum mi rme. domine, si per tantam moram, ut forte necesse est, geri debet communicando omnia per tanta locorum intervalla cum Mte. regia, et nihil interim tentando, vereor plurimum, ne meus labor in texenda ipsa legatione vel frustra fiat, vel sit posthac aliter faciendus, quemadmodum in instructionibus nuper scriptis contigit; multa enim interim, quam Dtio. vestra rma. exire ad hoc munus poterit, mutari possunt, quae forte diversa postulabunt. Nam unum ego ex duobus futurum maxime timeo, vel exacturum acerbius tentaturumque aliquid sermum. regem Ferdinandum etiam hic in regno nostro adversus regem Joannem, unde et ille aliud cogitare et nostri pro illo in aliquam hostilitatem cum ipso rege Ferdinando devenire cogerentur, vel certe, ut fama constans est, ad conventum Imperii proficisci cogeretur. Quod si fiat, quam commodum esset hoc iter vrae. rmae. Dtioni. aut etiam utile absque dominis regni Ungariae, ipsa satis intelligere potest; tamen fiat ita, ut fieri potest, cum et neuter ex vestris Dtionibus., qui officiis his funguntur, cum Mte. regia profectus sit neque ita providerunt, ut a Mte. sua celeres et sufficientes instructiones in rebus tanti momenti semper hic habere possent.

Quod ad libros Missales attinet, probo maxime, quod vra. rma. Dtio. in Germania excudi fecerit, nihilque dubito, quin illos repurgarit non ab erroribus solum, sed etiam a plerisque superfluis et superstitiosis, provideritque potissimum, ne quid novitatis inesset praeter morem veterem in re divina facienda, qui ut minus habet cerimoniarum, ita plus habet sinceritatis et favoris, hoc praesertim saeculo, quo omnia in contemptum et ludibrium vertuntur, maxime si quid novum et insolens conspicitur. Proindeque divus Hieronimus monet, ut traditiones ecclesiasticae sic observentur, ut a majoribus sunt traditae utque unaquaeque provincia sensu suo abundet et instituta majorum leges apostolicas esse arbitretur. Nunc apud nos omnia varietatis et confusionis plena sunt, neque mirum est sacra nostra improbari ab haereticis, cum neque nobis ipsis satis certa et probata esse videntur, ut apparet in Ardelione nostro, rerum omnium novatore et chao confusissimo. Nolo prolixius scribere, ne in tanto negotio nuntium hunc remorer, satis alioquin seu domi seu in itinere moratum. Commendo me et obsequia mea in gratiam rmae. Dominationis vrae. et precor dominum Deum, ut illam diutissime salvam, sospitem et felicem conservet. Ex Poltowsko die Jovis in crastino Annuntiationis gloriosissimae virginis Mariae, dominae nostrae. Anno Domini millesimo quingentesimo virgesimo octavo. [1])

[1]) D. 26. 3. 1528.

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr. 242 (list orygin.)

156. Joannes Dantiscus Sigismundo primo, regi Poloniae.

Serma. regia Mtas. et dne. dne. clementissime. Humillimam perpetuae meae servitutis commendationem. Ista hora fuit apud me factor Velzerorum, qui mihi dixit, si literas meas fortunae vellem committere cum aliis, quas ipse per Galliam terra missurus esset, ut scriberem. Quam opportunitatem, licet dubium sit, an perveniant, nolui negligere, unde cum et breve mihi scribendi tempus esset assignatum, et ut literarum fasciculum, quantum possem, facerem tenuiorem, compendiosior esse cogor, quam velim.

Scripsi novissime Mti. vrae. sermae. 20 mensis Februarii praeteriti cum dno. Cornelio Duplicio Sceppero, caesareae Mtis. consiliario et oratore ad Mtem. vram. sermam., quas jam pridem redditas esse spero. Inde et ex eodem oratore Mtas. vra. serma. omnia, quae hic acta sunt, abunde accipiet, quae si ad praesens velim repetere, et longum esset, atque etiam non adeo tutum. Alia, quae interea se obtulerunt, sic habent in compendio.

Agimus hic in his curtis, hoc est in conventione primorum et statuum Castiliae pro nervo conflando, quem futurum dicunt immensum, ceterum adhuc non est conclusum, quandoquidem procuratores quaedam ad suos retulerunt, a quibus responsum exspectatur.

Caesar hinc versus Valentiam ante festa Pascae ire decreverat; verum mutata sententia ob responsum, quod a statibus praestolamur, post Pasca 16 Aprilis fertur profecturus; jam enim conventum pro 1 die Maji in Monzo oppido, quod est medium inter Arragoniae et Castiliae regnum, indixit, et alium die 3 Junii in Valentia. Ingens auri vis speratur suntque ad eam contribuendam Hispani undequaque satis propensi, et ut sunt animo semper elatiori, male eos id habuit, quod isti reges in Hispania bellum indicere ausi fuerint, dicunt hoc nunquam prius neque factum, neque auditum; quocirca multa caesari pollicentur. Sed nescio, quo pacto tam brevi tempore a 22 Januarii hic omnia quodammodo refrixerint; nihil hic fieri video, quod bello congruit, praeterquam quod dnus. de Beauwyn cum duobus milibus Hispanis ex Hispali solvit cum classe satis tenui, quem aliqui ad Belgas, quidam in aliam partem tendere dicunt. Biscaji et Astures, qui sunt ad litus Oceani, jam aliquoties vicinis Gallis naves onerarias, parvas tamen, cum commeatu abstulerunt, quarum numerum supra 70 fuisse ferunt. Concremarunt etiam quasdam miseras villas circa Bajonam et Burdigaliam. Angli et Galli ab utraque ripa multas naves habere dicuntur, sic, quod nemo a Belgis huc transire possit, quo fit, quod hic simus mari ab utraque parte infesto et terra ipsa Gallia obsessi et velut in quandam insulam redacti, quod jam a multo tempore literas habere nequivimus, idque neminem magis, quam me, conficit; quandoquidem 8 fere menses praeteriere, quo nullas accepi, videorque mihi in demortuorum loco haberi. Hoc tamen plus temporum iniquitati adscribendum putavi.

Ex Italia solent huc venire postae, applicuitque pridie una, quae retulit dnum. de Lautrecht captum, regis christianissimi[1]) recta versus regnum Neapolitanum profectum, cui se offeret obviam exercitus caesaris, qui fertur ex 17 milibus Germanis et Hispanis constare, quodque paulo ante non procul ab invicem remoti fuerint, eosque non posse nisi conflictu disjungi; qua de re hic anxie eventus exspectatur, crediturque, quod summa totius belli ab eo dependeat. Dicunt Pontificem novas conscribere gentes et novum exercitum; 12 milia peditum Germanorum properant in Italiam. Quid hinc nascetur, exitus probabit.

Oratores

[1]) Scil. exercitum.

Oratores omnes, qui hic fuerunt, praeter me et Portugaliensem, ablegati agunt in quodam castello Pozo dictum, 8 leucis a Burgos, et non dimittuntur, donec illi, quos caesar apud eorum dominos habuit, revertentur.

Essent pleraque alia scribenda, quae huic tempori credere non ausi, quapropter brevitati Mtas. vra. serma. dabit veniam, cui me humillime ut domino meo clementissimo commendo, atque supplico, dignetur tandem post quartum annum reditus mei clementem habere rationem, et cum me revocare dignabitur, ut literae ad regem christianissimum mittantur, quibus salvo conductu habito per Galliam libere transire possim. Datum ex Madrit sive Madritio, oppido regni Tolos Hispaniae, die 27 Martii anno dni. 1528.

Sermae. Mtis. vrae. regiae humillimus servus Joannes Dantiscus.

Has adjunctas literas dedit mihi secretarius dni. cancellarii Valdesius, quae hic fuerunt relictae, cum orator hinc discederet, qui ad Mtem. vram. sermam. profectus est, unde cognoscet, quantum idem orator dno. cancellario sit charus. Accepi ab eodem 18 hujus literas datas: in portu Veneto Pisaviae (?) 8 Martii, in quibus mihi scribit, se jam cum sociis suis nihil aliud quam ventum praestolari propitium. Scripserat etiam dno. cancellario, qui mihi illius ostendit literas, dicens: ipse me accepit in patrem et ego eum in filium; amatque bonus senex juvenem hunc unice, quem ideo hinc mitti promisit, ut pro aetate experiretur, quod velim, cum aderit, in illius notitiam deduci; et quod is, qui hoc ⊓ furcae signo notatur, exclusus est ex privato caesaris consilio, quem, qui hoc o——> signo notatur, paulo post sequetur. Ille orator, qui scit, dicet: uterque semper mihi et rebus reginalis et regiae Mtis. vrae. fuit infestus. Datum 27 Martii.

157. Joannes Dantiscus Bonae, reginae Poloniae.

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr. 242 (list orygin.)

Serma. reginalis Mtas. et dna. dna. mea clementissima. Humillimam fidelis meae servitutis commendationem. Nolui omittere, cum haec posta per Gallias secreto mitteretur, quin scriberem, licet sit incertum, si istae ad Mtem. vram. sermam. perveniant nec ne; omnium hoc turbulentissimo tempore itinera clausa sunt, quo factum suspicor, quod jam ab VIII mensibus ullas a Mte. vra. serma. acceperim, quae alias pro gratia in me sua dignata fuit scribere frequenter.

XX^{a} Febr. praeteriti ad longum scripsi de omnibus cum oratore caesaris, qui ad sermam. regiam et vram. Mtem. proficiscitur. Interea cum negotio remissionis Adohae hic feci, quae potui; ceterum hucusque responsum habere non potui, cum hic hoc curtarum, ut voeant, conventu tot agenda se offerant, quod adhuc caesar huic rei intendere non posset; nihilo secius tamen magnus cancellarius superiori die, cum ego dicerem me in ista expeditione desperare, me bene sperare jussit, asserens, caesarem non male affectum nihilque aliud obstare, quam quod adhuc sua Mtas. privatis negotiis nollet occupari, donec magis ardua, quae ad praesens incumbunt, absolveret. Accedit, quod his diebus dnus. cancellarius podagra laborare coepit, qua domi in lecto per aliquot jam dies detinetur, unde hactenus ea in re nihil a me tractari potuit. Cum primum erit opportunum, nihil a me, quod expedire videbitur, ut semel tandem hujus rei finem habere possimus, omittetur.

Bonus vir iste dnus. Sigismundus Loffredus, de quo abunde scripsi cum novissimis, obtinuit a caesare in Burgos eo die, quo caesar exivit, ut Neapolim redire possit, et nescio quas alias

alias, ut vocant, mercedes; unde hic ad me venit et cum gaudio hanc suam absolutionem mihi recensuit, offerens se Mti. vrae. plurimum, dixitque vestem meam, quam ei commodo dederam, cum res suas ex Burgos remisisset, sibi fortunatam fuisse. In his omnibus cum eo dissimulavi, donec de his, quae cum novissimis Mti. vrae. sermae. perscripsi, sciam, quid facere oporteat, ibitque hinc cum primis navibus, quae in Italiam sunt trajecturae, fortassis fidei suae poenas daturus.

De castro Barensi quod actum, hucusque aliud non scio, quam id, quod idem Loffredus mihi in Burgos retulit, quod etiam hic mihi exposuit, dixitque superiori dno. cancellario, quomodo Mtas. vra. serma. cum officialibus in ducatu Barensi esset provisa; de castellano nihil respondit, dnum. tamen Scipionem de Summa magnopere laudavit, bonum virum esse et magnae in regno Neapolitano aestimationis et auctoritatis asserens; utinam uterino suo sit fidior Majestatique vrae. sermae. commodior.

Cum ista Adoha, ut castrum sit expeditum, nihil video, cur Mtas. vra. serma. tot graves hic per me expensas ulterius facere debeat. Die 15^{a} hujus mensis quatuor anni praeterierunt, quo a Mte. vra. serma. Cracovia exivi; quod redire cupio, non potest mihi imputari, praesertim cum nihil aliud agendum restat, quare Mti. vrae. sermae. suppliciter supplico, dignetur tandem cum gratia sua me revocare. Si quidpiam adhuc esset agendum in servitium Mtis. vrae. sermae., non faceret mihi mora fastidium; cum vero omnia ferme sint absoluta, praeter Adoham, in qua brevi caesar mentem suam declarabit, nihil reliquum est, propter quod Mtas. vra. serma. tantas impensas facere et me ulterius in his caloribus et flammis torrere debeat, quod incomparabili suae prudentiae et gratiae in me committo.

Quae alias in his bellis se hic offerunt, Mtas. vra. serma. ex meis ad Mtem. regiam intelliget, in quibus etiam queror de mora mea et quod tam diu literas non acceperim. Si hoc tempore Mtas. vra. serma., ut consuevit, per Urbem scribere non potest, commodior erit via, quod Mtas. vra. serma. literas ad me in manus dnorum. Velzerorum, qui sunt Augustae, transmittat, qui eas per secretos suos nuntios, ut solent, per Galliam huc semper cum aliis suis mittere possunt sine graviori Mtis. vrae. sermae. dispendio.

Alia pro hoc tempore non restant, quam quod me Mti. vrae. sermae. humillime commendo. Deus O. M. illam quam diutissime felicem et incolumem conservet. Datum celerrime ex Madritio oppido regni Tolet. Hisp. 27 Martii a. d. 1528.

Sermae. reginalis Mtis. vrae. humillimus servus Joannes Dantiscus.

158. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 1020, (minuta z poprawkami Tomickiego). Kod. Karnk. X, 53. Kod. Sap. VII, 46.

Sacra regia Majestas et domine domine clementissime.

Post humilem mei et orationum mearum commendationem. Redditae sunt mihi hodie literae vestrae Mtis. una cum exemplo literarum serenissimi domini regis Ferdinandi ad Mtem. vestram scriptarum. Quas cum diligenter perlegissem, comperi, Mtem. vestram nonnihil addubitare, ne forte adhuc interdicti literas, prout ex conventus decreto debueram, ad praefectos et alios quosque subditos vestrae Mtis. non dimiserim eamque ob causam dare mihi in mandatis, ut id nunc demum interveniente regis Ferdinandi querimonia omni mora procul exsequi curarem. Serenissime Rex! Pro eo, quod nunquam in officio meo quicquam ejusmodi sum desiderare passus, nihil attinebat dubitare Mtem. vram. etiam in eo, quod

quod nunc in curam receperam diligentem, quamque operam me accommodatum iri debere. Namque ita est, simul atque digressus a Mte. vestra in arcem meam Islzensem veni, omnia, quae sunt in proximo conventu communiter decreta et constituta, curavi diligenter literis mandare, pluribusque confectis de more exemplis cubiculariis vestrae Mtis. in diversum ferenda distribui, ubi neque id omisi, quod ad interdictum facere externa stipendia prohibens, simulque etiam revocationem ex Ungaria subditorum Mtis. vestrae pertinebat, credoque ad omnes eas jussiones Mtis. vrae. tempori pervenisse, praeterquam ad dnum. Seczigniewski, qui multo ante, quam praevenire eum Mtis. vestrae literae potuissent, ea, quae rex Ferdinandus queritur, subditis ejus Mtis. hostilem in modum denuntiaverat.

Ceterum allatae sunt ad me sub id quoque tempus literae reverendi domini electi Premisliensis, mgci. dni. thesaurarii, et dni. Severini Boner, salis fodinarum Mtis. vrae. praefecti, quibus multa perscripserunt, quae non sunt a commodis reipublicae vrae. Mtis. aliena et quae etiam Mti. vrae. suis literis nota esse voluerunt. Quos cum nihil aberasse a recta via judicarem, probavi illorum consilium cum in aliis omnibus, tum maxime in eo, quod liberos ire dimiserint ad Mtem. vram. usque lapicidas et ceteros bellicorum instrumentorum artifices a legatis ducis Moscoviae huc advectos, siquidem in memoria habeam, id quoque in eorum foederibus et indutiis, quas non fas est violare, nominatim contineri: liberum esse debere utrinque per dominia subditis alterutrius ultro citroque commeari; verum tamen cum ea res possit magnum posthac reipublicae afferre detrimentum, maxime quod ad catapultarios seu tormentarios et id genus machinarum fusores attinet, optima ratione factum esse censeo, Majestatem vestram istius rei esse admonitam, quae deinde pro sua prudentia in his, cum ad se dicti artifices venerint, poterit constituere, quicquid salubre et frugiferum sibi suaeque reipublicae futurum existimabit.

Ego hic adhuc gravedine corporis et distillatione catarrali nondum probe liberatus non sine maximo fastidio maneo, a quibus cum primum contigerit, si Diis placet, me esse expeditum, Cracoviam recta proficisci decrevi, ubi quantum in me erit diligentem dabo operam, ut omnia optimo consilio absente vra. Majestate administrentur, quae vel ad dignitatem ipsius vel ad reipublicae suae commoda pertinere videbuntur. Interim vero me gratiae vestrae Majestatis iterum atque iterum commendo. Quam felicissime valere cum tota serenissima prole sua vehementer opto. Datum etc.

159. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Joanni Chojenski, archidiac. Crac., secretario.

Teki Górskiego nr. 1021, (minuta Tomickiego). Kod. Karnk. X. 54. Kod. Sap. VII, 47.

Is cum rege in Lithuaniam profectus munia cancellariorum in regno remanentium in custodia reipublicae apud regem obibat.[1])

Venerabilis domine frater in Christo charissime. Hodie redditae sunt nobis literae regiae Majestatis et vestrae. Majestas regia significat, quid scripserit sermus. dnus. rex Ferdinandus adversus nonnullos subditos Mtis. suae, qui illius Mti. et ejus subditis apertas inimicitias denuntiarunt, et mandat nobis Mtas. sua, ut, si nondum sint publicatae literae, quibus inhibeatur omnibus subditis Mtis. suae, ne quopiam extra regnum ad militiam egredi audeant et si qui temere egressi sint, ut propere ad domos suas revertantur, eas quam primum edi et publicari curaremus. Nos ut diligenter observavimus et sine ullius adjutorio conscripsimus omnia decreta conventus regni generalis praeteriti, ita illa mox ad

[1]) Przypisek Górskiego w kodeksie Karnkowskiego.

ad omnes terras et capitaneatus transmisimus nihilque est a nobis in his, quae ad nostrum spectabant officium, praetermissum. Non miramur autem, quod dominus Seczigniewski et ejus comites ejusmodi literas diffidatorias miserint. Iverant enim ad militiam serenissimi dni. regis Joannis durante adhuc Piotrkowiensi conventu atque ita de hac secunda inhibitione poterant ignorare, verum cum aestate praeterita praecesserat prima ejusmodi inhibitio, non debuerunt se certe extra fines regni movere absque speciali voluntate et annuentia regiae Mtis.

Literas vestras non sine cachinno legimus, quibus gratulationes longas et taediosas, quibus serenissimi principes nostri istic excepti sunt, perscripsistis. Mirari autem non debetis ejusmodi ineptias, nam multas his similes posthac istic videbitis et audietis. Nos adhuc ex catarro laboramus, qui certe multum nos et debilitavit et extenuavit. Bene valete. Datum etc.

Teki Górskiego, nr. 909, (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 66.
Kod. Sap. VII, 58.

160. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Joanni, regi Ungariae.

Serenissime princeps et domine domine clementissime. Post servitutis et orationum mearum humilem commendationem. Magno dolore affecit me is casus, qui nuper sive ignavia sive potius proditione suorum accidit vestrae Mti. testatusque sum eum ipsum dolorem meum, quo affectus sum, coram nuntio et amico Mtis. vestrae, domino Augustino, qui nuper hic apud me fuit, et quae sit sententia mea, quam in hac adversa fortuna sua sequi potius debeat Mtas. vra., illi declaravi. Veniremque et nunc solus perlibenter ad vestram Mtem. eaque, quae statui ejus utilia et salutaria esse putarem, coram consulerem, verum tam gravi aegritudine catarrali sum in praesens affectus, ut nequaquam integrum mihi sit, id facere. Et proinde supplico enixe Mti. vestrae, ut et excusatum me apud se habere et boni consulere dignetur. Quicquid autem ego pro illius dignitate tuenda et statu conservando ope et quantulacunque opera mea facere potero, nihil unquam praetermittam. Et commendo me rursus gratiae Mtis. vestrae, quam Deus Optimus Maximus servet quam diutissime sospitem et felicem et meliorem fortunam illi concedat. Datum in arce mea Bodzanczinensi die dominica Judica. Anno domini 1528.[1])

Teki Górskiego nr. 913, (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 68.
Kod. Sap. VI, 60.

161. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, Antonio Rinconi, Galliarum regis consiliario et oratori.

Magnifice domine, amice charissime ac honorandissime. Magnas ago et habeo gratias vestrae Mgciae., quod me literis et nuntio suo viserit et de clade serenissimi domini regis Ungariae et suo etiam periculo breviter perstrinxerit. Ego certe magnum dolorem concepi ex hac clade vel potius fuga vestra et cum omnia videam proditionum plena esse cumque intelligam, difficile esse regnare alicui in aliquo regno invitis et reluctantibus subditis et regnicolis, rogo plurimum vram. Magnificentiam, consulere velit serenissimo domino regi Ungariae, communi hero nostro: velit inire aliquam rationem pacificandi et servandi se ac statum suum et suorum alio modo potius, quam bello et armis, quod certo in tanta hominum perversitate et perfidia video illum nequaquam sustinere posse. Nihil autem

[1]) D. 29. 3. 1528.

autem dubito Mtem. domini mei omnem curam et operam suam impensuram esse causa rei christianae, quo eundem serenissimum dominum regem Ungariae cum ejus adversario ad aliquas honestas pacis et concordiae conditiones reducere possit. Ego, mi domine Antoni, graviter nunc laboro ex tussi et febre catarrali, quae corripuit me mox post discessum domini mei in Lithuaniam, atque ita aeger et languens hic decumbo sumque adeo extenuatus et mutatus ab illo, ut me vix agnosceretis. Spero tamen, me Dei benignitate brevi melius habiturum et vires corporis fractas et debilitatas resumpturum. Commendo me ex animo solito amori et benivolentiae vrae. Mgciae., quam cupio felicissime valere semper et gratulor, illam ex hoc naufragio salvum ac incolumem cum puero meo Conarski evasisse. Datum in arce mea Bodzanczinensi XXIX Martii anno dni. 1528.

162. Petrus Tomicius, epus. vicecancellarius, Statilio, praeposito Budensi.

Kod. Karnk. X, 69.
Kod. Sap. VII, 61.

Reverende domine, frater et amice charissime ac honorande. Doleo ex animo, serenissimum dominum Joannem, Ungariae regem, fusum fugatumque esse per hostes et e regno suo Ungariae discedere coactum. Non debet tamen propterea frangi animo Mtas. sua neque vestrae Dominationes, quae fortunam Mtis. suae secutae sunt et etiamnum sequuntur. Sed cum undique venti adversi spirant, fortuna non favet, cogitare dignetur Mtas. sua et vrae. Dtiones. cum eo de aliqua ratione concordiae et pacis cum domino rege Ferdinando ineundae; timemus enim, ne his duobus regibus inter se digladiantibus tertius superveniens utrumque excludat et regnum Ungariae intereat. Mitto vestrae reverendissimae Dominationi per hunc dominum Augustinum LX florenos in moneta regni nostri et unam vestem pellibus suffultam, ut habeat interim, quo allevet suas necessitates. Et opto vram. rmam. Dominationem bene ac feliciter valere, quae me diligat, ut consuevit, et serenissimo domino regi suo frequenter commendet. Datum etc.

163. P. Tomicius, epus. vicecancell. Bonae Sfortiae, reginae Poloniae.

Teki Górskiego nr. 904, (własnoręczna minuta Tomickiego.)
Kod. Karnk. X, 76.
Kod. Wojcz. nr. 68.

Sacra reginalis Majestas, domina et domina mea clementissima. Post servitutis et orationum mearum in gratiam Mtis. vrae. humilem commendationem. Cum descendisset ad me is nuntius dominorum consiliariorum terrarum Prussiae recta isthuc profecturus, nolui illum vacuum literis meis ad Mtem. vram. a me dimittere, quibus Mtem. vram. inviso Deumque Optimum Maximum precor, ut illi hoc sacrum Pascha laetissimum et felicissimum concedat, eamque in isto dominio sanam, laetam et incolumem quam diutissime conservet. — Serenissima princeps, non dubito satis jam constare Mti. vrae., quam ingenti et insperato casu perculsus sit serenissimus dominus Joannes, rex Ungariae, adeo ut ad regnum Mtis. domini nostri profugere sit coactus. Cui quod Mtas. sua receptum in eodem regno suo concesserit, non possum non vehementissime laudare et probare. Fecit enim Mtas. sua officium christiani et pientissimi principis erga regem vicinum et affinem suum, nec certe facere aliter licuit Mti. suae. Est modo bonus rex in Tharnow pauper et inops omnique ope dest tutus, non dubito vero, quod opera benigna et diligenti cum Mtis. domini nostri tum aliorum regum et principum christianorum ad extremum non periclitabitur. Me rursus et meam parvitatem[1]) gratiae Mtis. vrae. commendo. Quam dominus Deus cum suis omnibus servet semper incolumem et felicem. Datum in Bodzanczin.

[1]) W Kod. Karnk.: servitutem.

Archiwum Wiedeńskie.

164. Ferdinandus, rex Ungariae et Bohemiae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Ferdinandus etc. Serenissimo etc. Ex relatione venerabilis, nobilis et fidelium nobis dilectorum Laurentii, praepositi Albensis, Sigismundi de Herberstein et Georgii de Lookschau, consiliariis et oratoribus nostris, quos nuper apud Serenitatem vestram in dieta Piotrkowiensi habuimus, certo edocti sumus, quam bene et prudenter eadem Serenitas vestra tam in publicis quam privatis responderit et se erga nos gesserit, nempe quod circa illa nihil sine consilio et praescito nostro sit actura, de quo eidem meritas agimus et habebimus gratias, qui ex hoc alioqui nobis perspectum et optimum illius animum cognovimus. Nec unquam aliud de ea nobis persuadere in animum nostrum inducere potuimus neque etiam voluimus, sic quod nostrum vicissim animum erga ipsam rectum et sincerum habuimus, quem et deinceps etiam habebimus. Cum autem ad nostram notitiam deductum sit personas aliquot in regno Serenitatis vestrae esse, quae complura in nos et nostros impune machinentur et agant, mirari satis non potuimus, idque aperto constare videamus in eo, quod Antonius Rincon, factus a fidelitate nostra alienus et profugus, nihil denique apud Serenitatem vestram negotii habens in eodem regno manet, gentes conscribit et conducit, conductasque in nos et regna nostra secum educit, et quod licet iidem oratores nostri saepius petierint et ob id apud eam institerint, necdum eidem inhibitum fuerit, neque cum sit ab eadem Serenitate vestra expeditus domum ire. Possessionati item regni illius nobiles, quorum in conflictu proxime per nostros cum Johanne Szepusiensi habito circiter bis mille in acie ejusdem domini Johannis fuerunt, nondum sunt revocati, immo et alii post eorundem oratorum nostrorum dimissionem armati cum eodem Rincone regnum nostrum Hungariae fuerunt ingressi, quae, tacentes de iis, quae Petrus Sobinsky[1]) marescalcus in nostros patravit, omnia profecto etsi cum antiquis foederibus cum regno et praedecessoribus Serenitatis vestrae factis et erectis pugnent et discrepent, tamen illa consensu et voluntate Serenitatis vestrae procedere, nobis neutrique polliceri possumus, quapropter eandem affectuose rogamus et hortamur, ut perpensa rei illius importantia proque utriusque regnorum et subditorum nostrorum quiete servanda sic in regno suo providere et ordinare velit, ne tales contra Serenitatis vestrae voluntatem et nostram cum ea fraternitatem, necessitudinem bonamque vicinitatem et antiqua foedera de cetero quicquam amplius machinari vel attentare praesumant, Rinconem vero praefatum, cum nihil ulterius apud eam agere habeat, e regno illo discedere et ad regem suum ire jubeat nec illi locum in nos agendi et moliendi similia, sicut hactenus actum est, concedat. Nam nisi tam nobiles praefati quam nuntius ille ab susceptis et factis eorum destiterint aut desistere velint, cogemur in tales ipsi de modis et mediis cogitare et meditari, ut nobiles illos Serenitati vestrae obedientes reddamus, nuntiumque Rinconem a perversis ejus operibus et studiis retrahamus, nos vero et nostros regnicolas atque subditos ab indebitis injuriis et molestationibus vindicemus. Quod quidem, modo vel nostro vel Serenitatis vestrae honori atque dignitati consultum iri debeat, diutius sufferendum esse non videtur. Quod autem marescalcum illum attinet, nos offerimus illi, quotiescunque nos requisiverit, omnem justitiam administraturos. Quae omnia Serenitatem vestram pro pristina sua in nos

[1]) Marszałkiem nadwornym był Piotr Kmita. Sobieńskimi zwali się także Kmitowie od zamku Sobień, którego ruiny znajdują się dzisiaj jeszcze w powiecie liskim nad Sanem.

nos affectione et benevolentia assidue facturam esse non dubitamus quum et nos quoque simili officio et gratitudinis vice illi in suis et regni illius rebus gratificari et complacere velimus, quae felicissime valeat. Datum Znoymae die XXIX Martii. 1528.

165. Ferdinandus, rex Ungariae et Bohemiae, Bonae, reginae Poloniae.

Archiwum Wiedeńskie.

Ferdinandus etc. Serenissimae principi dominae Bonae, eadem gratia reginae Poloniae, magnae ducissae Lituaniae et Russiae Prussiaeque, sorori et consanguineae nostrae charissimae salutem et fraterni amoris omnisque fidelitatis continuum incrementum. Serenissima princeps, soror et consanguinea charissima. Revasi sunt ad nos oratores nostri, quos superioribus diebus ad serenissimum principem dominum Sigismundum, regem Poloniae, magnum ducem Lituaniae ac Russiae Prussiaeque, fratrem et sororium nostrum charissimum ac Serenitatem vestram miseramus pro referendis et communicandis iis, quae utriusque nostrum liberis et heredibus atque regnis salutaria et proficua esse non dubitabamus, qui cum aliquamdiu in dieta Pietrkoviensi retenti fuissent sicque serenissimo consorti Serenitatis vestrae visum esset, abierunt, non visitata Serenitate vestra. Speramus tamen eam omnia simulatque causam recessus eorundem ex serenissimo domino contorali suo praedicto etiamnunc accepisse. Ceterum quia ad notitiam nostram deductum est, personas aliquas in regno illo esse, quae complura in nos et nostros impune machinentur et agant, mirari satis non possumus, idque in eo potissimum liquet, quod Antonius Rincon factus a fidelitate nostra alienus et profugus nihil etiam apud serenissimum dominum contoralem suum praememoratum negotii habens in eodem regno manet, gentes conscribit et conducit conductasque in nos et regna nostra secum reducit, et quod licet iidem oratores nostri saepius id petierint et insteterint, eidem minime inhibitum fuerit, ut ab ejusmodi actionibus desisteret, neque cum sit ab eodem serenissimo consorte vestro expeditus, domum ire moneatur, possessionati item nobiles regni illius, quorum in conflictu et antea et proxime per nostros cum Johanne Szepusiensi habito circiter bis mille in acie ejusdem Johannis fuerunt, necdum fuerint revocati, immo et alii post eorundem oratorum nostrorum dimissionem armati cum Rincone praedicto regnum nostrum Ungariae fuerint ingressi, tacentes de iis, quae Petrus Sobinsky, marschalcus, in nostros patravit, quae omnia profecto etsi cum antiquis foederibus cum regno et praedecessoribus Serenitatis suae factis pugnent ac discrepent, tamen illa ex consensu et voluntate Serenitatis suae procedere nobis neutrique polliceri possumus. Quapropter eandem Serenitatem vestram affectuose hortamur, ut perpensa rei illius importantia et pro subditorum utriusque nostrum pace et tranquillitate quibus potest modis et rebus aptioribus et convenientioribus nostri contemplatione et ad nostri conplacentiam apud praefatum serenissimum consortem suum omnino procurare et tantum efficere velit, quo serenissimus dominus contoralis suus praenominatus ea, quae nunc petimus, fieri jubeat et ordinet et curet, quo necessitudo, fraternitas et bona vicinia, qua alter alterutri adhaerere debet, conservetur et illaesa maneat atque heredes utriusque nostrum tanto liberius et commodius rebus suis praeesse et prodesse possint, sicut eandem Serenitatem vestram pro solita sua in nos affectione, amore et necessitudinis vinculo facturam esse non dubitamus idque erga eam, ubicunque oblata fuerit occasio, fraterne compensabimus. Intelleximus

Intelleximus insuper Serenitatem vestram aliquantulum gravari super eo, quod officiales nostri coperturas quarundarum literarum eidem Serenitati vestrae ex Italia allatarum aperuerint et reviderint. Cum autem iidem oratores nostri serenissimo domino contorali suo causam abunde declaraverint, ex qua officiales nostri praedicti occasionem arripuerint talia faciendi, idque praeter commissionem et voluntatem nostram factum fuerit, eapropter eandem Serenitatem vestram denuo hortatam esse volumus, ut hoc aequo animo ferre atque jubere et ordinare velit, ut nuntii Serenitatis vestrae deinceps non alia, quam Serenitatis vestrae negotia nec aliorum maxime nobis adversantium, quorum magna pars in regno illo hucusque fuit, literas et bona per regna et provincias nostras deducenda in se suscipiant, quo facto et nostri officiales a similibus abstinebunt. Quod eandem Serenitatem vestram pro solita nostra in eam benevolentia latere noluimus, quae felicissime valeat. Znoymae, 29 martii 1528.

Archiwum Wiedeńskie, (regi Poloniae nova).

166. Ferdinandus, rex Ungariae et Bohemiae, Sigismundo, regi Poloniae.

Ferdinandus etc. Serenissimo etc. Pervenit ad nos e tribus locis nuntium, quo certo edocti sumus, felicissimum Romanorum caesaris et catholicae Majestatis, domini et fratris nostri charissimi, exercitum superioribus mensibus in Etruria degentem cum exercitu Gallorum, qui jam regnum Neapolitanum ingressus erat, cui quoque caesareus ex urbe Roma disgressus in occursum venerat, proelium atrox commisisse, in quo ex Gallis tria milia peditum, duo autem equitum milia succubuerint, residuum vero Gallicarum copiarum, cum a nostris prosequeretur ad spatium 15 milliariorum Italicorum, in fugam actum, hostesque laesos atque dispersos esse, nec finem pugnae futurum, donec nostri quod reliquum est ex copiis hostium proterant et deleant. Praeterea magnificum Antonium de Leuya, gentium Majestatis caesareae praefatae Mediolani existentium capitaneum, una cum copiis equestribus et pedestribus tam Hispanis quam Germanis, quas sub se habet, ex copiis Venetorum aliorumque Italiae potentatum Majestati caesareae autedictae adversantium pedites bis mille, cataphractos centum et plures aliquot levis armaturae equites trucidasse, castraque et oppida complura cepisse, caesarique subegisse. De duplici et insigni hac victoria nos statim accepto nuntio gratias immortali Deo minime pares egimus pro magna et multiplici clementia et misericordia ejus inscrutabili, qua Majestatem caesaream et nos, qui res cum ea communes habemus, complecti et favere dignatur, qui denique, ut nos divinae suae Majestati alioqui cuncta debentes redderet magis obnoxios, justitiae caesareae rectisque studiis ejusdem gratiae solitae signum dare voluit, sperantes et nunc quidem unice in divinam ejus bonitatem, partam hanc per nostros victoriam rebus caesareis in Italia prosperius aliquanto dirigundis apprime profuturam atque nostris etiam in inclyto regno nostro Ungariae ex sententia conficiundis, immo et paci universali tandem commodius et maturius constituendae nihil non commodaturam. De quo Serenitatem vestram, quam aeque ac nos rerum caesarearum prosperitatem optare et cupere non dubitamus et ut ipsa rei gestae seriem luculentius ac verius per literas nostras intelligeret, admonere volebamus. Cujus felicitatem et nos quoque vicissim audire percupimus, quae felicissime valeat. Datum Znoymae, 29 martii 1528.

167. Petrus Tomicius, epus. Cracoviensis, vicecancellarius, Nicolao Bedlenski, scholastico et vicario in spiritualibus Cracoviensi generali.

Kod. Wojcz. nr. 53.

Venerabilis dne. frater in Christo charissime. Turbavit nos non mediocriter infelix casus sermi. dni. regis Janussii et eo magis, quod a suis Hungaris non modo est spretus et desertus, sed etiam proditus et prope in manus et potestatem hostium traditus. Certum est illum vires amplius resumere non posse et proinde bene et salubriter consuleret rebus suis, si posthabito ambitu regni, a quo illum adversae fortunae procella deturbavit, adjiceret animum ad concordiam et pacem cum adversario suo ineundam et quietiora iniret consilia, si non vult se et suos ac etiam patriam suam deducere ad interitum et ultimum discrimen; credimus autem eum ita facturum, prout cognovimus ex literis dni. Premisliensis.

Probamus vehementer, quod suffectus tandem sit ad paenitentiarium vacantem magister Cleparz, vir multorum proborum hominum testimonio gravis et cum doctrina non vulgari tum singulari virtute et morum integritate praeditus, futurus haud dubie utilis ecclesiae nostrae; audimus enim eum satis in lingua nostra vernacula promptum et eloquentem esse ac in contionibus plurimum valere.

Redditae nobis sunt duae scatulae cum zuccaro candi et rotulis, quas in quotidiano usu habemus.

Fuimus non mediocriter anxii ob puerum Conarski, quem domino Antonio Rincon commendavimus, sed Sudo, servus domini Lasoczki, qui ex illo infausto proelio salvus evasit, retulit domino thesaurario regni, illum vivere et in Camieniecz cum rege esse. Bene valete et Dominum Deum pro nobis orari faciatis. Datum.

168. Petrus Tomicki, epus. Cracov., vicecancellarius, Joanni Bonero, consuli Cracoviensi, burgrabio, zuppario et magno procuratori Cracoviensi.

Kod. Wojcz. nr. 55.

Generose dne. amice charissime. Scripsimus vobis paulo ante postulantes, ut unam longam olei illius boni et recentis pro nobis reservetis. Id si fecistis, rogamus vos plurimum, ut hoc ipsum oleum olivae ad manus nobilis Andreae Nieszkowski, servitoris nostri, quem in praesens Cracoviam mittimus, dari faciatis, quod vos simul cum rebus aliis exsolvi liberaliter et cum gratitudine debita faciemus. Felicissime valete et nos diligite. Datum.

169. Sigismundus primus, rex Poloniae, Ferdinando, regi Ungariae et Bohemiae.

Archiwum Wiedeńskie.

Serenissimo principi domino Ferdinando, Dei gratia Hungariae et Bohemiae regi, infanti Hispaniarum, archiduci Austriae, duci Burgundiae, comiti Flandriae, Tirolis etc. et Imperii locumtenenti generali, fratri et consanguineo nostro charissimo, Sigismundus eadem gratia

tia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviaeque etc. dominus et heres, salutem et fraterni amoris omnisque felicitatis perpetuum incrementum. Serenissime princeps, frater et consanguinee noster charissime. Accepimus plane ex literis vestrae Majestatis quosdam ex subditis nostris contra interdictum nostrum stipendia militiae adversus Majestatem vestram suscepisse, quod ne fieret, jam diu et in discessu nostro ex regno Poloniae commisimus et severe mandavimus officialibus nostris, qui sunt ad confinia regni Hungariae, ut diligenter exsequentes edicta nostra neminem subditorum nostrorum sinant abire ex regno nostro Poloniae ad stipendia externa, eos vero, qui abiissent contra voluntatem et scientiam nostram in alienam militiam, jussimus revocare literis et mandatis nostris, quibus nisi parere mox curaverint, hereditatibus et facultatibus suis omnibus, quas in regno nostro habent, privabuntur. Cupimus etenim, ut inter regna ista vicina concordia jam dudum avis nostris insita veternusque amor mutuis officiis corroboratus temporibus nostris ac perpetue etiam conservetur et perduret. Datum Vilnae, prima aprilis anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo. Sigismundus Rex subscripsit.

Adres: Sermo. principi domino Ferdinando, Dei gratia Hungariae et Bohemiae regi, infanti Hispaniarum, archiduci Austriae, duci Burgundiae, Brabantiae, comiti Flandriae, Tirolis etc. et Imperii locumtenenti generali, fratri et consanguineo nostro charissimo.

170. Andreas Cricius Joanni, regi Ungariae,

pulso ex Ungaria, in Tarnow agenti.

Kod. bibl. Kórnickiej.

Servitutis meae commendationem. Sacra Mtas., mi dne. colendissime. Nescio prae magno dolore, quid scribam Mti. vrae., aut quo pacto illam, quod maxime vellem, consoler in hoc ejus adverso successu. Nam ab eo tempore una cum domino Sirmiensi vitam agimus moestissimam, consolatur nos tamen et Mtem. vram. consolari debet tum gentis Ungariae tum etiam fortunae mutabilitas et inconstantia; consolari item debet Mtem. vram., quia ad homines sibi foventissimos devenerit quodque inter tot magnos principes, quos hoc saeculo fatali socios habet adversitatum, hoc praestat Mtas. vra., quod neque exulat propter aliqua facinora, ut exulat rex Danorum, neque venit in captivitatem hostium suorum, ut venit Pontifex et rex Christianissimus, neque passa est discrimen vitae, ut passus est olim sermus. rex Ludovicus. Itaque sperare potest optime Mtas. vra., nam eo cursu respondent ultima primis. Ferat autem interim eam adversitatem regio et infracto animo, Domino Deo et amicis causam suam committens. Ego cum omnibus meis quicquid illi obsequii praestare possum, facturus sum libentissime, cui me iterum ex corde commendo. Dat. Poltowsko, Aprilis 1528.

171. Clemens Papa Septimus venerabilibus fratribus, archiepo. Gnesnensi, ac Cracoviensi, Wladislaviensi, Posnaniensi, Plocensi ac dilecto filio Joanni Premisliensi episcopis.

Kod. Karnk. X, 268.

Venerabiles fratres et dilecte fili. Salutem et apostolicam benedictionem. Valde gratas habuimus Fraternitatum vestrarum literas 28 Januarii datas pietatemque et curam vestram in

in Domino commendavimus, quod non solum vestris, sed etiam Swecanis ecclesiis a labe haeresum praeservandis tam pie et prudenter prospicitis nosque in parte hujus curae allevare et juvare studetis. Sed etsi jucunda fuit nobis, ut debuit, haec vestra cura et pietas, tamen non mirari non potuimus causam Luteranae haeresis in Sweciam invectae eam a vobis adduci, quod diu episcopis et pastoribus illud regnum caruerit, quasi non ipsi in culpa fuerint, non petendo a nobis episcopos, cum in nobis nulla mora fuerit aut futura sit, si de vacatione ecclesiae, idoneitate personae et aliis, ut Fraternitates vestrae norunt, requisitis antea constiterit. Nam quod Fraternitates vrae. rogant, ut dilectum filium Joannem Gottum, electum, ut dicitur, Upsalensem confirmari et consecrari mandare eique insuper facultatem episcopos consecrandi dare vellemus, quo et ipse et consecrati episcopi curam ecclesiarum suarum statim suscipere possent: nos, qui Swecanam ecclesiam paterno affectu commiseramur vellemusque ei sicut et aliis ecclesiis omnibus, haeresi et persecutione laicorum laborantibus, posse succurrere, utramque rem ad venerabiles fratres nostros, S. C. Romanae cardinales, detulimus, ut, si honeste possemus, et piis monitis vrarum. Frtatum. et ipsi ecclesiae Swecanae necessitatibus satisfaceremus. Sed cum in altera, videlicet in consecratione Joannis Gotti committenda, nos pronos et faciles exhibere parati essemus, interea nobis relatum est certissimeque affirmatum venerabilem fratrem Gosthavum, archiepiscopum Upsalensem, adhuc vivere. Quod quum ipso jure praesumeretur nec ejus mors aut dicti Joannis Gotti praefectio a nobis facta probaretur, nulli prorsus in mentem veniebat, quomodo aut vivo altero episcopo novus praefici potuisset, aut alter non praefectus posset consecrari. Quare sicut charissimo in Christo filio nostro, Sigismundo Poloniae regi illustri, ita etiam Fraternitatibus vris. super his respondemus illasque hortamur, velint ipsae, quae agunt in propinquo, de his omnibus plane ac vere informari et nos suis literis certiores facere, quemadmodum et ecclesia Upsalensis habeat. Si enim de obitu Gostavi, vacatione ipsius praefectioneque Joannis per nos facta legitimae probationes ad nos mittentur, tum nos sine mora ipsum Joannem consecrari etiam ab uno episcopo et duobus abbatibus, si penuria episcoporum fuerit, mandabimus. Praeficiemus etiam eum, si nondum id factum sit, dummodo vrae. Frtes. ipsum idoneum judicaverint, qui praeficiatur. Nullum enim majus, quam tot ac tantorum praelatorum testimonium possimus desiderare. Idem etiam sumus facturi in praeficiendis episcopis aliis ecclesiis dicti regni Swetiae, si et vacatio ecclesiarum et idoneitas personarum nobis a Frtibus. vris. comprobata fuerit. Licet enim capitula ecclesiarum Swetiae electionem non habeant, tamen pro praesenti temporum necessitate electos ab eis vel confirmabimus vel praeficiemus literasque apostolicas perlibenter et quam celeriter eis expedire curabimus, tam super praefectione quam super mandato consecrandi, ut praemittitur, idque ita sine ullo commodo et impendio nostris, quoad saltem praesens turbulentia conquieverit, ut et ipsis Fraternitatibus vris. liquido sit constitutum, nos longe plus illius ecclesiae salutis atque utilitatis vestrarumque Frtatum. amantissimae admonitionis, quam ullius emolumenti rationem habere voluisse. Quod quum satis superque illis fore arbitramur, minus dolemus, alterum, quod petierunt, concedere eis non potuisse, ut scilicet per se ipsos eligant, confirment et consecrent episcopos. Quum enim in nulla christiani orbis parte id receptum sit, non debent id a nobis optare. Quod reliquum est, Fraternitates vras. hortamur in domino Deo, ut pergant, qua pietate coeperunt, et suas et vicinas ecclesias, quoad possunt, tueri et defendere, quandoquidem talem regem Dei munere habere promeruerunt, ut ejus sincera pietas et singularis autoritas pro muro inexpugnabili adversus venenatos haereticorum impetus semper futura sit, dum is vixerit. Quod ut diu nobis concedatur, ipsum

Deum

Deum supplices deprecamur nosque impetraturos pro ejusdem inclyta bonitate confidimus. Datum in civitate nostra urbe Veteranensi sub annulo piscatoris die III[a] Aprilis. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo, pontificatus nostri anno quinto.

Teki Górskiego, nr. 918, (list oryginalny z własnoręcznym podpisem.)
Kod. Karnk. X, 79.
Kod. Sap. VII, 67.

172. Andreas Cricius, episcopus Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Rme. in Christo pater et domine mi colendissime. Cum iret ad dominum campiductorem regni in negotio suo dominus Georgius, nepos meus, commisi illi, ut meo nomine inviseret sermum. dnum. regem Joannem ejusque Mti. explicaret causas, cur ad illam, ut postulavit, venire non potuerim, videlicet et iter mihi esse longiquum et tempus valde incongruum equosque meos longe in bonis aliis abesse et alia multa id genus. Quodsi maxime commode ad Mtem. suam proficisci possem, quid mihi faciendum foret, me prorsus nescire, inconsulta inprimis Majestate regia domini nostri, consulereque me illius — Joannis regis — Majestati, ne quid inceptet captetve consilii absque scientia et consilio domini nostri, cum ita fortuna Majestatem suam in hoc regnum appulerit. In eum sensum commisi me excusare illius Mti., vere quidem, ut sentio, nescio tamen, an grate aut persuasibiliter. Itaque rogo vestram reverendissimam Dominationem, dignetur ipsi nepoti meo suggerere, si quid vel mutandum vel addendum illi videbitur. Dominus Brodericus parat etiam iter ad ejus Majestatem, sed et languet a suo stomacho et eget acriter, quapropter providendus erit mihi viatico, utcunque egeo satis ipse in praesens. Commendo mea servitia vestrae reverendissimae Dominationi, quam dominus Deus servet semper sospitem et felicem. Poltovii die III Aprilis. Anno domini MDXXVIII[o] [1]).

Teki Górskiego nr. 1018, (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 80.
Kod. Sap. VII, 94.

173. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Stephano Broderico, epo. Sirmiensi.

Sme. domine frater et amice charissime ac honorande. Certo mihi persuadeo magno ac incredibili dolore affectam esse vestram reverendissimam Dominationem ex tanto tamque insperato casu et ruina serenissimi domini regis sui, verum cum id Dei voluntate evenisse credamus, ferre velit id, quod accidit, vestra reverendissima Dtio. pro sua prudentia aequo ac infracto animo, ne nimium dolendo adversari videatur divinae voluntati, cui humanos affectus aequum est acquiescere, serenissimoque domino regi suo consulere non cesset, ut non ponat se ulterius et suos in extremum discrimen, nec ali se permittat vanis spebus et auxiliis externis, quae et serenissimum dominum regem Ludovicum bonae memoriae et alios praeclarissimos reges et principes deduxerunt ad summum casum et periculum. Conservabit autem illum Mtas. domini nostri in regno suo non gravatim. Ita enim se jam facturam recepit et promisit, a qua sancta et pia sententia ut non divellatur per adversarios Mtas. sua, modis omnibus illi consulam et suadebo. Vestram autem rmam. Dominationem plurimum rogo: temperet dolori et angori animi sui. Curabimus enim omni studio et opera nostra, ut tam res serenissimi domini regis

[1]) Pod adresem zanotował Tomicki: Literae dni. epi. Plocensis, quas reddidit Georgius Crziczki feria 2 post Palmarum (d. 6. 4. 1528).

regis vestri, quam vestrae, in toto non collabantur. Et commendo me ex animo vestrae reverendissimae Dominationi, quam dominus Deus in sua gratia diu sanam, felicem et laetam conservet. Datum etc.

174. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Lucae de Gorka, castellano Posnaniensi, capitaneo Majoris Poloniae generali.

Teki Górskiego, nr. 919, (list oryginalny z poprawkami Tomickiego). Kod. Karnk. X, 81. Kod. Sap. VII, 68.

Magnifice domine, domine et frater honorandissime. Magnas ago et habeo gratias vestrae Magnificentiae, quod me nuntio et literis suis viserit, me, inquam, aegrotum nunc et non recte valentem; nam ab eo tempore, quo huc veni post discessum regiae Mtis. in Lithuaniam, coepi male habere ex tussi et catarro, qui morbus plures homines hoc anno infestavit. Jam tamen Dei gratia meliuscule valere incipio, utcunque tussis nondum in toto cessavit, cessabit tamen, ut spero, brevi.

Habui nuper literas a regia Mte., quibus inter alia committit mihi: curarem, ut nuntius ad serenissimum dominum regem Ferdinandum et conventum Imperii designatus propere expediatur, quare admoneat vestra Magnificentia dominum Opaleniczki, castellanum Miedzirzecensem, ut se accingat quam primum itineri et ad me pro instructionibus veniat, nam opus est, ut eum informem de multis, quae hoc tempore innovata sunt, prasertim vero de hoc, quod serenissimus dominus Joannes, rex Ungariae, receptum habet cum suis in regno Mtis. domini nostri, id quod necessarium erit bonis et efficacibus rationibus excusare. Cracoviae autem habebit ipse dnus. Opaleniczki viaticum a domino thesaurario, unde rectum erit ei iter et ad regem Ferdinandum, qui nunc Pragae esse dicitur, et ad conventum Ratisbonensem.

Serenissimus dominus Joannes, rex Ungariae, est nunc in Tarnow, concessit enim ibi ei mansionem dominus palatinus Russiae sub annuentia regiae Mtis. Vocavit illuc ad se nonnullos dominos consiliarios et me quoque cum illis consultare volens de statu rerum suarum, verum ego excusavi me hac aegritudine, quam modo patior, si autem alii domini ad illum venient, incertum habeo.

De Georgio Conarski sparsus erat hic non pridem rumor, quod in furorem ex aegritudine versus mortem obiisset; quando tamen adhuc vivit, faxit Deus, ut hac modica castigatione induat alium hominem, quamquam quidem ego cognovi illum semper et cerebrosum et factiosum hominem esse. Sic Deus punit hos, qui male agunt, puniet vero procul dubio severiter omnes vel in hoc vel in futuro saeculo. Commendo me ex animo vestrae Magnificentiae, quam dominus Deus cum suis omnibus servet quam diutissime sospitem et felicem. Dat. in arce mea Bodzancinensi sabato prox. ante dominicam Palmarum. Anno domini MDXXVIII° [1]).

Vrae. M. servitor Petrus
epus. Crac. et vicecancellarius.

Na odwrotnej stronie listu adres i pieczątka.

[1]) D. 4. 4. 1528.

Teki Górskiego, nr. 3169, (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Op. IX. 30.

175. Petrus Tomicki, epus. vicecancellarius, Nicolao Zukowski, praeposito Varsoviensi.

Venerabilis domine, frater in Christo carissime. Non est mirum, quod notarii et alii officiales istius ducatus Masoviae trepidant timore, ubi non est timor, cavent, ne quam sinistram de se suspicionem incurrant aut aliqua in re animum Mtis. regiae offendant, id quod illis imputari a quopiam non debet, cum faciant id, quod bonos et fidos servos decet. Cum autem intelligeremus nos, quod nihil erit contra voluntatem et mentem Mtis. suae, cum dabitur mel et avena, utcunque anno praeterito collecta, et similiter cum emensurabuntur vobis decem mansi silvae citra magnum praejudicium et damnum mellificorum regiorum, dedimus literas nostras ad dnum. Popielski, decanum et notarium Varschoviensem, ut donationem regiae Mtis. realiter factam non impediant, sed illam diligenter exsequi curent, speramusque illos id non gravatim esse facturos, non enim subest ulla legitima causa, cur facere id non debeant. Felicissime valete et literas nostras, quas ad dominum epum. Plocensem scripsimus et huic vestro nuntio perferendas commisimus, ad illum per aliquem fidum hominem transmitti curetis. Datum in Bodzanczyn.

Teki Górskiego, nr. 1038, (własnoręczna minuta Tomickiego.)
Kod. Sap. VII, fol. 489 v.
Kod. Wojcz. nr. 265.

176. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Sacra Majestas, domine et domine clementissime. Post perpetuas servitutis et orationum mearum humilem commendationem. Domini consiliarii terrarum Prussiae mittunt ad vestram Majestatem hunc dominum Franciscum, canonicum Varmiensem, ut illi recenseret ordine, quae acta sunt in conventu Elbingensi nuper habito de ratione cudendae monetae, de qua nequaquam convenire cum nuntiis illustris domini ducis Prussiae potuerunt, rogaruntque me iidem domini consiliarii, ut causam et sententiam eorum justam, quam conceperunt de ea ipsa moneta cudenda, meis literis vestrae Majestati commendarem. Rogarunt me praeterea multi illorum privatim, ut similiter causas et preces eorum vestrae Majestati commendarem. Ego tametsi sciam necessariam non esse ullam commendationem cujuscunque apud Majestatem vestram, justissimum et sapientissimum principem, nolens tamen dictorum dominorum justis et honestis postulatis deesse, rogo humiliter Majestatem vestram, dignetur rem ipsorum mature expendere, quam illi publica utilitate permoti proponunt, et id tandem de ratione cudendae monetae constituere, quod melius et utilius esse censebit. Illustris enim dominus dux Prussiae cupit habere levem monetam, ut ex ea majus lucrum habere possit. Sed hic plus prospicienda est utilitas multorum, quam unius. In reliquis etiam privatis subditorum suorum actionibus, quas idem dominus Franciscus exponet, dignetur Majestas vestra se benignam illis exhibere, et quae juxta et honesta esse videbuntur, gratiose illis concedere.

Serenissime rex, accepi nuper literas vestrae Majestatis datas in Merecz die Annuntiationis Beatae Mariae, quibus per eum cubicularium, qui mihi illas reddidit, brevi respondebo, simul et aliqua alia perscribam, quae necessaria esse putabo. Interim vero commendo rursus me et meam perpetuam servitutem dupliciter vestrae Majestati, quam Deus Optimus Maximus quam diutissime cum suis omnibus incolumem et felicem conservet. Datum in Bodzanczyn feria tertia proxima post dominicam Palmarum anno domini 1528.[1])

[1]) D. 7. 4. 1528.

177. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 1038, (własnoręczna minuta Tomickiego.)
Kod. Karnk. X, f. 490 v.
Kod. Wojcz. nr. 266.

Sacra Majestas domine et domine clementissime. Post servitutis et orationum mearum in gratiam sacrae Majestatis vestrae humilem commendationem.

Inter alia, quae aget apud Majestatem vestram nomine dominorum consiliariorum terrarum Prussiae is dominus Franciscus, canonicus Varmiensis, acturum etiam illam scio de castro Slohow et petiturum, ut illud Majestas vestra domino palatino Pomeraniae in administrationem dare dignaretur, ait enim dominum Czema commotum et perculsum clamoribus et querelis, quas fecerunt nuntii terrarum in conventu Pyotrkoviensi praeterito contra illum, sponte eodem castro cedere velle nolens sustinere odia nobilitatis nostrae Polonae. Ego tamen nescio, si id facere velit ipse dominus Czema nec ne, et si quidem ipse cedere sponte sua voluerit eodem castro, censerem dandum et committendum illud esse domino palatino Pomeraniae, alioquin non videtur mihi, ut bonus et non inutilis servitor Majestatis vestrae absque ulla honesta causa exauctorari deberet, id quod ego gratiae et sapientissimo judicio Majestatis vestrae relinquo, cui me iterum atque iterum humillime commendo et quam valere cum suis omnibus felicissime desidero. Datum in Bodzanczyn.

178. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Achatio Czemae, succamerario Pomeraniae, Slochoviensi ac Stargardiensi capitaneo.[1]

Teki Górskiego, nr. 1041 (minuta Mik. Górskiego z poprawkami Tomickiego).
Kod. Sap. VII. fol. 491.
Kod. Wojcz. nr. 269.

Generose domine amice charissime. Accepimus literas vestras, quibus nobis, qua ratione et respectu praefecturam Schlochoviensem dimittere velletis, significatis. Et quidem doluimus id vos institutum et consilium cepisse, ut solis tantummodo malevolorum et obtrectatorum calumniis et criminationibus offensi, quae tamen omnia et regia Majestas et optimi quique primores regni non merito vestro, sed invidia inimicorum vestrorum ficta et disseminata certo credunt, debeatis tam honorifica vos praefectura et magistratu abdicare. Quinimmo videtur nobis ea re Majestatis regiae ratio et institutum interturbari compararique illius Majestati non modica in pollicitationibus et excusationibus difficultas, quae, cum instarent inimici vestri vos de hac praefectura dejicere, ut ipsi ea potirentur, hanc attulerat[2] excusationem, quod vobis ad vitam illam jam semel addixerat neque vellet promissa sua rupta et irrita facere et ea ratione difficile esse Majestati suae, si abdicare vos velletis, in eam, quam cum domino palatino Pomeraniae fecistis translationem assentiri, essent enim, qui post abdicationem vestram impedirent omnia alia consilia et conventiones vestras. Tamen hoc libenter audivimus, quod in hac re ipsi ad Majestatem regiam proficiscimini, quam non putamus passuram esse vos errare, cum eritis praesentes et exposueritis illius Majestati negotium vestrum; vos tantummodo ejus Majestatis voluntati obtemperetis et non patiamini vos vel abduci vel deterreri a recto consilio iniquorum hominum voculis.

Scripsimus

[1]) W Kod. Sap.: Tucholiensi et Szlochoviensi capitaneo. [2]) W kod. Sap. dopisał Górski: regia Majestas.

Scripsimus antea diligenter ad Majestatem regiam de liberatione Joannis Nyempcz, verum hactenus tacita tulimus de ipso omnia. Nunc iterum diligentissime et omni studio adhibito supplicavimus illius Majestati et Majestatem reginalem in subsidium precandi per literas vocavimus, ut misereri tandem et carcerati dolori et liberorum et uxoris ejus calamitati dignaretur. Neque sane diffidimus Majestatem suam preces nostras et omnium consiliariorum suorum istius provinciae suae Prussiae idem petentium aversaturam esse amplius, adjecto hoc, ut vos illic coram negotium opera et diligentia vestra adjuvetis, scitis enim principem meum in omnibus difficilem esse et cunctatorem diuturnum.

Praeterea de Joanne Meller studiose egimus per literas cum sua Majestate, ut illi det immunitatem Majestas sua et liberam abdicandi se magistratu, in quem est cooptatus, potestatem illi tribuat; hoc etiam non dubitamus, Majestatem suam facile facturam esse, cum ita adhuc hominem juvenem et inexpertem rerum cognoverit. Vos tamen, quia non explicastis nobis, an ad senatorum vel scabinorum munus sit evectus, Majestati regiae praesentes declarabitis. Et ipsi optime valeatis diu felix. Datum.

Adres ręką Górskiego: Generoso dno. Achatio Czemae, succamerario Pomeraniae et Slochoviensi ac Stargardiensi capitaneo, amico charissimo.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1, fol. 14.)

179. Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Capitulo Warmiensi.

Venerabiles etc. Quoniam in comitiis pro festo sancti Stanislai proximo Marienburgi celebrandis monetarium negotium tractabitur, ad quod probe conficiendum opus est viris doctis ac istiusmodi rei penitus peritis, unde a Fraternitatibus vestris desideramus, ut venerabilem fratrem nostrum dominum doctorem Nicolaum Coppernic eligatis ac capitulariter deputetis, ut una nobiscum ad eadem comitia proficicsens, quae sua est in hac re peritia et vestra instructione suffultus, nobis adsit ac nobiscum ea in medium consulat, quae necessaria visa fuerint et opportuna. Fraternitates vestras bene valere cupimus. Ex arce nostra Heilsberg 7. Aprilis Anno 1528.

Teki Górskiego, nr. 3140 (minuta).
Kod. Karnk. X, 87.
Kod. Sap. VII, 74.

180. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Serenissime princeps et dne. dne. clementissime. Post humilem servitutis meae commendationem. Paulo ante redditae mihi sunt literae illmi. dni. Alberti, marchionis Brandeburgensis et in Prussia ducis, quibus pro officio bonae vicinitatis suae me quemadmodum et ceteros multos facit certiorem, repertam esse non pridem illic apud se falsam grossorum monetam noviter in fraudem Majestatis vrae. sermae. adulteratam et excussam, subinde admonens, ut cum Mte. vra. serma. agam, quo ejus pessimi facinoris autores inquiri et et in eos animadverti jubeat. Ego vero et sponte mea ductus et hujus principis monitis provocatus Mtem. vram. sermam. majorem in modum rogo, ut tempori consulat suis et totius regni Poloniae commodis mandareque velit suis capitaneis et aliis quibusvis officiorum et civitatum administratoribus, ut diligentem faciant de his falsis monetariis inquisitionem illosque repertos notent, deferant vel comprehendant, atque ita quantum possint rempublicam

rempublicam Mtis. vrae. multis alioqui et variis calamitatibus labefactam ejusmodi maleficis et pernitiosis expilatoribus purgent et liberent. Mitto autem Mti. vrae. sermae. nonullos etiam ejus monetae grossos, qui quidem apud Joachimum Fitel in Prussia negotiantem sunt reperti, ei vero per Georgium Niderhow, mercatorem Gedanensem, missi a quodam Leonardo Stockyel, mercatore Posnaniensi, quae ego nomina, tametsi jam ante plurimorum literis perlata esse Majestati vrae. sermae. non dubitem, officii tamen mei gratia perscribere ea illi volui. Quam felicissimam esse et diu incolumem cum suis charissimis et serenissimis liberis conjugeque etiam sua serenissima plurimum in modum precor et opto, eidemque me iterum suppliciter commendo. Datum in Bodzenczin.

181. Petrus Tomicius, episcopus Crac., vicecancellarius, Joanni, regi Ungariae.

Teki Górskiego, nr. 1019, (własnoręczna minuta Tomickiego.) Kod. Karnk. X. 82. Kod. Sap. VII. 69.

Serenissime princeps et domine, domine clementissime. Post perpetuae servitutis et orationum mearum humilem commendationem. Accepi hesterno die literas vestrae Majestatis, quibus declarat, se mittere velle celerem nuntium ad Majestatem domini mei in Lituaniam et postulat, ut ei literas podvodorum ad tres equos mitterem, quo idem nuntius celerius ire possit.

Serenissime rex, id quod ego praestare possum opera et facultate mea, libenter semper pro Majestate vestra facere volo, et nunc mitto illi literas podwodorum ad tres equos. Verum nuntius Majestatis vestrae non nisi ad fines regni illis uti poterit; in Lituania enim aliae podwodi Ruthenae sub sigillo Lituano dari solent, quas ego nunc non habeo, praeter unam ad unum equum et hanc mitto cum praesentibus Majestati vestrae. Ad conventum Imperii designatus est orator dominus Petrus Opaleniczki, castellanus Medzirzecensis, qui jam accinctus est itineri et propediem apud me est futurus, ut accipiat instructiones necessarias; cum autem ad me venerit, admonebo eum et urgebo, ut quam citissime vadat ad obeundum munus sibi injunctum. Deus Optimus Maximus servet quam diutissime sospitem et felicem Majestatem vestram ejusque actiones fortunet, cui me rursus suppliciter commendo. Datum in Bodzanczyn die coenae Domini. A. d. MDXXVIII.[1])

182. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Joanni Statilio, praeposito Budensi, Joannis regis consiliario.

Teki Górskiego nr. 920 (własnoręczna minuta Tomickiego). Kod. Karnk. 83. Kod. Sap. VII. 70.

Rnde. domine, amice charissime ac honorande. Gaudeo plurimum vestram Dominationem bono animo esse beneque sperare de rebus et successibus serenissimi domini regis sui; faxit dominus Deus, ut haec spes et promissa principum externorum vos non fallant et aliquando ad effectum deducantur. Ego ab initio fui semper suasor concordiae et pacis, quam et nunc quoque suadeo et consulo tentandam et nequaquam rejiciendam. Nihil autem dubito serenissimum dominum meum omne studium et operam suam adhibiturum esse, ut hoc incendium regni Ungariae, sibi vicini et confoederati, bonis et honestis mediis sopiatur; nam et ei suo oratori, domino Petro Opaleniczki, quem mittit Mtas. sua ad conventum Imperii, dedit specialiter in mandatis, ut serenissimum quoque dominum regem Ferdinandum

[1]) D. 9. 4. 1528.

Ferdinandum adeat eique persuadeat modis et rationibus omnibus, ut illius Mtas. potiorem esse ducat communem reipublicae christianae salutem, quae per pacem et concordiam servari adhuc potest, quam dubii exitus plenumque maximi periculi bellum.

Ego, mi dne. praeposite, adhuc ex tussi et catarro laboro, mitius quidem agunt jam duo haec mala mecum, quae me toto hoc tempore valde male habuerunt, nondum tamen me in toto reliquerunt, et proinde brevior nunc in scribendo esse cogor, quam vellem. Rogo autem plurimum vestram reverendissimam Dominationem, commendet me saepius et meam perpetuam servitutem serenissimo regi suo et reverendissimo domino archiepo. Colocensi ipsaque me amet, ut consuevit, et valeat felicissime.

De Thurco hanc significationem habemus, quod hoc anno non est venturus cum exercitu in Ungariam. Datum in Bodzanczin die coenae Dni. Anno dni. 1528[1]).

Teki Górskiego nr. 921 (własnoręczna minuta Tomickiego)[2]).
Kod. Karnk. X. 84.
Kod. Sap. VII. 71.

183. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Alberto, marchioni Brandeburgensi, duci in Prussia.

Illustris princeps et domine domine honorand. Salutem et sui commendationem. Accepi literas vestrae Illustritatis, quibus perscribit multas causas, propter quas integrum ei non sit cudere monetam eo valore, quo illam domini consiliarii terrarum Prussiae Mti. regiae subjectarum cudendam esse censent et optant, postulatque a me vestra Illustritas, easdem causas, quibus ipsa permovetur, et apud me ipsum expenderem et Mti. regiae significarem consuleremque illi, ut monetam in terris Prussia in eo, quo jam est cursu et valore, manere permittat. Ego, illustrissime princeps, tametsi non multum sciam disputare de ratione cudendae monetae, cuperem tamen, ut vestra Illustritas tandem de ea cum subditis Mtis. regiae conveniret, habent enim illi quoque rationes non paucas pro se, quibus deducunt, hanc monetam, quae nunc istic in usu est, esse et levem et plurimum noxiam; nam propter levem monetam pretia rerum omnium ascendere necesse est, quibus communis populus non mediocriter gravatur ejusque facultates ea sola re vel maxime atteruntur. Scribam tamen libens Mti. regiae deliberationem et sententiam vestrae Illustritatis et quacunque alia in re potero servire illi et gratificari, offero me paratum semper et benevolum.

Non dubito jam hactenus satis constare vestrae Illustritati, quam ingenti et miserabili casu perculsus sit serenissimus dominus Joannes, Ungariae rex, qui his praeteritis diebus, ubi cum hostibus congrediendum erat, non solum circumventus et desertus est a suis, sed etiam ita insecutus ab eis, ut, nisi a paucis suis servatus esset, vel in discrimen vitae vel certe in potestatem hostium devenisset.

Mira et stupenda sunt, illustrissime princeps, quae hoc fatali seculo nostro tam in divinis quam etiam humanis rebus geri videmus et si quis expendat corruptissimos hominum mores, tot perjuria et sacrilegia, tantam religionis et rerum publicarum perturbationem, tantos populares motus et seditiones, summorum principum exilia, captivitates, interitus, quae hoc brevi tempore contigerunt, non levius esse ducet, eum regem desertum proditumque a suis, qui et dilectissimus illis erat semper a cunis usque et summo ipsorum favore ad regium culmen evectus. Is ad tantam devenit nunc calamitatem et desperationem

[1]) D. 9. 4. 1528.

[2]) Pierwsza strona minuty przekreślona; na brzegu dopisek Górskiego: Scribatur totum ex integro non obstantibus lineis.

tionem rerum suarum, ut non audens se credere amplius suis Ungaris, coactus est profugere ad hoc regnum susceptusque est per dominum de Tarnow et manet hactenus pacificus in ejus possessionibus et bonis supplicatque, ut audio, Mti. regiae per suos nuntios, ut se et salutem suam suorumque paucorum fidelium conservet ac ut operam suam impendere non gravetur, quo cum serenissimo domino rege Ferdinando ad aliquas honestas conditiones pacis et concordiae venire posset, id quod non dubito Mtem. suam libenter esse facturam, quippe cujus fuit semper hoc desiderium et consilium, ut haec differentia Ungarica aliis potius modis, quam armis, transigeretur, idque non privato aliquo affectu aut quod impedire vellet jus ac institutum serenissimi domini regis Ferdinandi, cui prae omnibus favet ex animo non secus quam filio suo charissimo successus quam felicissimos, sed quod maxime verebatur ac etiamnum veretur, ne pro regno illo satis alioquin fracto et calamitoso duobus inter se digladiantibus tertius superveniens communis omnium hostis tanto facilius illud totum occuparet; et cum Mtas. sua tractare dignabitur hanc sanctam concordiam et pacem, cedet id procul dubio in summam gloriam non solum Mtis. suae, sed etiam serenissimi domini Ferdinandi regis, cedet ad honorem Dei et horum regnorum totiusque christianitatis commodum et salutem. Commendo me ex animo vestrae Illustritati, quam dominus Deus cum suis omnibus diu servet sospitem et felicem. Datum in Bodzanczin die Veneris sancto 1528[1]).

184. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Christofero de Szidlovec, cast. et cap. Crac., regni Poloniae cancellario.

Teki Górskiego, nr. 922 (własnoręczna minuta Tomickiego)[2]).
Kod. Karnk. X. 85.
Kod. Sap. VII. 72.

Magnifice domine, domine et amice honorandissime. Ternas accepi hic literas vrae. Mgciae., primas reddidit mihi Casper, ejus thesaurarius et servitor, alterae missae sunt mihi nuper ex Cracovia, postremas vero attulit nudius tertius is puer illustris domini ducis Prussiae, quibus quod hactenus nondum responderim, in causa fuit partim aegritudo mea catarralis, qua laborare coepi quam primum huc veni et a qua hactenus in toto non sum liberatus, partim quod non offerebat se mihi nuntius, per quem meas literas ad vestram Magnificentiam mittere potuissem, et proinde rogo illam plurimum, tam diuturnum silentium meum excusatum apud se habere et boni consulere velit.

Ago autem et habeo vestrae Mgciae. ingentes gratias, quod me et literis et nuntiis suis visere non fuerit gravata referamque vicissim hanc tantam illius erga me benevolentiam omni studio et facultate mea.

Illustri domino duci Prussiae rescripsi, non placere mihi, quod ejus Illustritas hactenus non dignatur convenire de ratione cudendae monetae cum consiliariis et incolis terrarum Prussiae cupiatque habere levem monetam eam, videlicet quae nunc est illic in usu, quam illa altera pars censet sibi esse damnosam et noxiam, nam ob levem monetam pretia rerum omnium ascendunt, quibus communis populus gravatur et in suis facultatibus atteritur, principum vero et eorum, qui praesunt, officium est, providere, ne subditi sui in eorum facultatibus decrescant; obtuli tamen, me scripturum et commendaturum deliberationes et desiderium Illustritatis suae Mti. regiae.

Serenissimus

[1]) D. 10. 4. 1528.

[2]) Na czwartej czystej stronie minuty zanotował Tomicki: Lubowiczki, sed scribat literis majusculis et diligenter.

Serenissimus dominus Joannes, Ungariae rex, mittit huc ad me frequentes nuntios suos, operam et consilium meum in rebus suis desperatis implorans; ego vero, qui ab initio fui suasor concordiae et pacis, consulo illi, ut se vanis spebus et promissis externorum auxiliorum ali ulterius et decipi non permittat, sed in animum suum potius inducat servare statum suum et suorum per concordiam et pacem, quam per dubii exitus plenumque maximi periculi bellum. Non declaravit mihi hactenus, quam arrideat illi hoc meum consilium, intelligo tamen, quod ejus consiliariis non usquequaque displicet, utcunque adhuc bene sperant, prout id ex exemplis literarum domini Antonii Rinconis et domini Statilii, quas mitto, vestra Magnificentia plene congnoscet.

Scripsit mihi nuper Mtas. regia ex Merecz et mandavit, facerem omnem meam operam, ut dominus Petrus Opaleniczki ad serenissimum regem Ferdinandum et conventum Imperii Ratisbonensem quam primum absolveretur, id quod ego facio et curo omni quo possum studio et diligentia habeoque instructiones paratas, quas utcumque languidus et aeger hic ut potui conscripsi. Verum ille cupit, ut ei et instructio et viaticum Posnaniam mitteretur. Mihi vero videtur necessarium esse, ut huc ad me veniat et per Cracoviam, ubi dabitur ei viaticum per dominum thesaurarium, iter suum faciat, opus enim est, ut eum informem coram de multis, quae innovata sunt post discessum regiae Mtis. in Lithuaniam, misique propterea ad ipsum proprium meum nuntium persuadens ei, ut ita et non aliter faciat et curabo modis omnibus, ut se hinc ad munus legationis sibi injunctum posthabita omni mora evolvat.

Quum Deo bene volente ibo in Sandomiriam pristinae valetudini restitutus, descendam libens ad bona vestrae Magnificentiae Schczmielow et ibi sacellum in arce dedicabo, ut habeat vestra Magnificentia, singularis fautor et amicus meus, mei erga se constantis amoris et benevolentiae in bonis suis paternis perpetuam memoriam et monimentum.

Nihil mihi adhuc retulit neque scripsit dominus Crassowski de his, quae illi referenda mihi vestra Magnificentia commisit. Commendo me ex animo solito amori vestrae Magnificentiae, quam dominus Deus cum suis omnibus diu servet incolumem et felicem. Datum in Bodzanczin, die Veneris sancto. Anno domini 1528.[1])

Teki Górskiego, nr. 923, (kopia współczesna.)
Kod. Karnk. X. 151.
Kod. Sap. VII. 150.

185. Denuntiatio belli in Ungaria per Hieronimum Laski, palatinum Siradiensem.

Principio generi hominum est ab ipsa natura tributum, ut non ex omni parte bonum justumque esse valeat ac per se possit, eamque ob rem, quia natura nostra non esset perfecta, gratiam Salvatoris accepimus, qui pro peccatis nostris miserae se subjiciendo morti misericordiam planissime contritis promittere est dignatus quique Petrum poenitentem ac conversum in sinum suae clementiae suscipere est dignatus, ut eo exemplo et alter alteri convertenti et se peccasse confitenti ignosceret, quod pietatis officium non aliis magis nisi regibus et principibus convenit. Proinde ego, Hieronimus de Lasko in Rithuani, palatinus Siradiensis etc. ac serenissimi principis et domini domini Joannis, Dei gratia Ungarie etc. regis consiliarius, cognitum habens errorem ac defectionem vestram ab eodem serenissimo domino meo, ut quia peccastis sicuti homines, ex genuina generosaque virtute mea admoneo vos omnes regni Transsilvaniae incolas, rogo sicuti in fide christiana fratres

[1]) D. 10. 4. 1528.

fratres, ut inductam temeritatem vestram, ut imbibitam eam erga sermum. dictum dominum meum regem infidelitatem repellatis ex animis vestris et ex ipso regno eradicetis et abjiciatis de temporeque, sicuti aeger medicinam, quaeratis salutem. Securis enim ad radices est, tempus illud non instat, sed imminet, quo videbitis me sicuti regium commissarium cum Valachiae illustrissimo principe, cum Turcarum Tartarorumque ingenti mole poenas quaerere exigereque de inique agentibus, perjuris ac pacis patriae violatoribus, in quos tanto furient atrocius, quanto considerabo, hanc meam admonitionem vobis ludibrio et abjectioni esse. Si autem aliquis vestrum poenitentia facti ductus quaesiverit gratiam et se gratiae serenissimi domini mei regis dicti subjicere voluerit, quemlibet talem ita promovere atque suscipere promitto per fidem meam christianam et baptisimi sacramentum, ut nihil illi restare debeat, quod sibi pro facto ipso timendum esset. Scio enim paucorum quorundam malitia vos seductos esse, qui, ut aliquod nomen haberent et ut labores manuum pauperum exsugillarent, loquacitate sua deduxerunt vos bonos et pacis amatores ad errorem et ad hoc, quod vobis imminet, nisi conversi fueritis, excidium.

Ecclesiae autem et illarum servitores nihil de Turcis et Tartaris timeant. Nam divina omnia intacta linquam, nec alios persequi faciam nisi infidos ac regi serenissimo domino meo inobedientes. Reliqui omnes sua negotia bene et absque timore transigant, ad quos cum perveniemus, amabimus et omnia victualia paratis persolvemus pecuniis. Nam ita imperator Turcarum, amicus regis mei inclyti, ita et illustrissimus Tansalpinae voywoda fieri commisit. Bonis ergo et fidelibus pax et amor, defectoribus autem ac perfidis ignis, ferrum, excidium, rapina et omne hostilitatis genus. Datum in regno Transalpino, decima Aprilis. Anno domini 1528.

186. Hieronimus de Lasko, palatinus Siradiensis, Ferdinando, regi Ungariae et Bohemiae.

Teki Górskiego, nr. 924, (kopia współczesna). Kod. Karnk. X, 152. Kod. Sap. VII, 151.

(Belli denuntiatio.)

Hieronimus Laski, palatinus Siradiensis, dni. Joannis regis consiliarius.

Mos est, serenissime rex, et certe laudabilis, ut cum unus alteri se hostem constituat, ut tunc prius antequam aliquid hostiliter fiat, talem suum animum hosti significet. Sed cum ego, jam annus est, serenissimo principi et dno. dno. inclyto Ungariae regni etc., domino meo clementissimo, me addixissem obsequiis, cumque in certis negotiis Gallias abivissem in redituque meo ecce undique prope Ungariam omnia armis fremere conspexissem, miratus, quid hoc sibi vellet, et quod Turcicae tyrannidis obliti propria viscera lanientur multaque desuper investiganti exemplar literarum accepissem, quo marchio Casimirus sub Sertis. tuae nomine bellum inclyto regi ac domino meo adnuntiat et non solum domino meo, sed, ut fit, omnibus illi assistentibus, ac vidissem hanc exilem personam meam eo modo, sicuti et aliorum bonorum dicti serenissimi domini mei regis servitorum tali adnuntiatione inesse, timuique mihi tunc, nam hoc ipsum in media Bohemia didici, et suffurabam me omni arte ex dominiis Sertis. tuae ac effeci, ut incolumis ad dominum meum redierim, ubi submoratus aliquantulum necessario consilio ad magnum Turcarum imperatorem orator discessi ad parandam inter illum ac eundem serenissimum dominum meum pacem atque amicitiam. Nam uno eodemque tempore praesertim ob nonnullorum ad Celsitudinem tuam ignominiosam

ignominiosam defectionem nequaquam erat tutum cum eadem ac magno Turcarum domino bellum agere principi meo, qui ex Germania, ubi Mtas. tua omnes suos habet, qui ex Polonia, quae neutri Majestatum vrarum. adesse statuerat, nullas gentes ad stipendia sua ducere potuit, quam ob rem, licet mihi jam non amplius esset opus hisce bellicis ceremoniis, nec esset opus, ut iterum Serti. tuae cum his se, qui mecum veniunt, hostem declarem, cui Celsitudo tua marchionis Casimiri in suis belli literis hostilitatem minata sicuti et aliis est, tamen ex genuina virtute mea dolendum tuae Celsitudini significo novum, quia ego conductis contractisque gentibus, Turcis, Moldavis, Valachis et Tartaris, domino meo serviendum venio. Ubi me hoc invitum facere superos ipsos obtestor, cum tamen videam, justitiam serenissimi domini mei regis Amplitudinem tuam opprimere velle, et quod bovem in foveam lapsum etiam in die festo evangelium jubeat extrahere, non excusare me potui, quin facerem, quae juberet, ut servitor. Itaque omne id, quod exit per me et gentes hasce actum contra Serenitatem tuam ac illius generaliter omnes subditos et etiam contra cunctos Serenitati tuae quomodocunque assistentes, erit factum sicuti ab illo, qui ex superabundanti virtute honorique consulendo suo hostem se praesentibus illi declaravit, prout declarat. Datum ex castris ad Targowiscze positis decima Aprilis. 1528. Idem qui supra Hieronimus manu sua.

Teki Górskiego nr. 925[1]).
Kod. Karnk. X, 88.
Kod. Sap. VII, 75.

187. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Petro Opaleniczki, cast. Mezirecensi.

Generose domine, amice et patrue charissime. Majestas regia vult, ut obeatis jam citra ullam moram munus legationis vobis injunctum. Scripsit enim nuper nobis praecipiens, ut curaremus diligenter, quo quam primum absolvamini. Quare accingatis vos itineri et ad nos pro instructionibus veniatis; opus enim est, ut vos informemus de multis coram, quae innovata sunt post discessum regiae Mtis. in Lithuaniam, praesertim vero de hoc serenissimi domini regis Joannis ad regnum Mtis. suae perfugio, ut sciatis, qualiter illud excusare debeatis. Dominus vero thesaurarius dabit vobis viaticum Cracoviae, unde recta ad serenissimum dominum regem Ferdinandum, qui nunc est Pragae, vos conferetis; deinde ibitis ad conventum Imperii Ratisbonensem, qui vobis est nequaquam negligendus. Non est autem opus, ut vos cum magno comitatu instruatis, satis est, ut vadatis in sex equis, prout equites aurati et consiliarii summi principum Germaniae ire solent, nam et Mtas. regia hunc equorum numerum vobis praefinivit. Novit enim Mtas. sua et nos scimus, quod oratores Summi Pontificis, caesaris, christianissimi regis Galliae et aliorum regum christianorum duobus aut tribus famulis comitati ad nos veniunt et tractant res magnas, nam non numero equorum et famulorum, sed ingenio ac industria oratorum res magnae aguntur et perficiuntur. Veniatis omnino quam primum ad nos, ut accepta sufficienti instructione a nobis Cracoviam pro viatico vadatis, nam illuc erit vobis iter satis directum, commodum et securum et aliter non faciatis, beneque et feliciter valeatis. Datum in Bodzanczyn in vigilia Paschae 1528.

[1]) List przepisany na czysto przez pisarza z adresem i pieczątką, ale z licznemi własnoręcznemi poprawkami i dodatkami Tomickiego. Widoczna, iż list gotowy już do wysłania Tomicki jeszcze poprawił, a pierwotną datę: sabato proximo ante dominicam Palmarum (t. j. 4 kwietnia) zmienił własnoręcznie na: Datum in Bodzanczyn in vigilia Pascae 1528 (t. j. 11 kwietnia r. 1528).

188. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Christoforo Szidlovecio, cast. Crac., cancellario.

Kod. Karnk. X, 101.

Magnifice et honorandissime domine. Optime facit vestra Magnificentia, quod dominos Ungaros profugos, desertos, calamitosos et rerum omnium inopes sua liberalitate sustentat; dicant et sentiant alii, quidqnid velint, sed credat mihi vestra Magnificentia, quod etiam apud hostes illorum hac sola re magnam sibi famam et laudem comparabit. Ego etiam pro virili mea allevo necessitates aliquorum, qui meam opem implorant, praesertim vero ecclesiasticorum, quibuscum est mihi vetus amicitia et familiaris consuetudo, homo enim sum, humani nihil a me alienum puto, et ut pontifex catholicus subvenio libens quantum possum oppressis et actis adversa fortuna.

189. Petrus Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Stephano Viszenski, capit. Kielcensi.

Kod. Karnk. X, 100.
Kod. Sap. VII, 92.

Nobilis grate nobis dilecte. Venturus est hodie ad nos statim rmus. dominus episcopus Sirmiensis, Ungarus, qui vadit ad sermum. dominum regem suum, regem Joannem, in Tharnow; hunc, quia nobis est veteri familiaritate et amicitia conjunctus, volumus ubique in bonis nostris, per quae illum ire volumus, honorari facere et omnibus necessariis provideri. Cum igitur venturus sit istuc in Kielce die crastina aut ad summum feria tertia proxima, curabimus enim, ut illum per diem crastinum apud nos retinere possimus, mandamus tibi, ut eum in curia nostra colloces et omnibus necessariis una cum equis et familia ejus isthic in Kielce primum, deinde sequenti die in Brzesziny provideas non aliter ac si nos ipsos, et aliter non facias. Non habet secum magnum comitatum, duodecim tantum aut paulo plures equos, pauciores vero personas, et ob hoc parvo impendio honorari et excipi poterit. Datum Bodzancini 1528.

190. P. Tomicus, epus., vicecancellarius, Andrae Cricio, epo. Plocesi.

Teki Górskiego nr. 1017, (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 99.
Kod. Sap. VII, 91.

Rme. in Christo pater et dne. nepos charissime. Fuit apud me noster dnus. Brodericus, qui contulit mecum abunde de rebus serenissimi domini regis sui; ego vicissim aperui illi libere id, quod de illis sentio et spero, exhibui ei hic omnem humanitatem, quam potui et pro viatico quinquaginta florenorum in moneta illi donavi. Jussi praeterea dari ei sufficientem provisionem in praediis et bonis meis, per quae eum deduci feci usque in Tharnow, ad haec mandavi praefecto meo Radloviensi, ut, quam diu manserit in Tharnow, equos ejus cum aurigis et stabulariis ad se in Radlow recipiat et omnibus necessariis provideat. Ducitur certe vanis ac meo judicio spebus incertis serenissimus rex suus dominus Joannes et timendum est, ne deducant eum ad majus exitium et ruinam. Felicissime valeat vestra reverendissima Dominatio et me diligat. Datum.

Teki Górskiego nr. 926 (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 93.
Kod. Sap. VII, 80.

191. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Christ. de Szidlovecz, cast. Crac., cancellario.

Magnifice domine et amice honorandissime. Post scriptas et obsignatas priores literas accurrit ad me puer domini comitis de Tharnow, palatini Russiae, cum literis, quarum exemplum mitto cum praesentibus. Miratus sum vehementer, cujus jussu et consilio, aut qua causa capitaneus exercitus serenissimi domini regis Ferdinandi ausus sit civitates Mtis. regiae in Scepusio vastare, expilare et ad arces Mtis. suae oppugnandas gentes suas admovere. Respondique domino palatino Russiae, ut tanquam capitaneus generalis regni mitteret ad ipsum hominem aliquem discretum et cordatum, qui sciscitaretur ab illo causas, propter quas non indicto bello Mti. domini nostri et regno suo civitates et castra Mti. suae subjecta oppugnaret et subditos violaret hostiliterque depraedaretur, admoneretque illum, ut desisteret ab inceptis. Magnifice domine, in his mutationibus rerum consultum esse videretur et apprime necessarium, ut vestra Magnificentia Cracoviam se quamprimum conferret et ibi ejusmodi novis eventibus de consilio aliorum dominorum provideret. Ego conferam etiam me illuc, cum primum levatus fuero hoc morbo catarrali, qui me adhuc in toto non reliquit, nam hoc ipsum praecepit nobis regia Majestas. — Me vestrae Magnificentiae ex animo commendo et eam diu ac felicissime valere desidero. Dat. in Bodzanczin die sancto Paschae Anno domini 1528.[1])

Teki Górskiego, nr. 927 (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 90.
Kod. Sap. VII, 78.

192. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Joanni de Tarnow, palat. Russiae, exercituum regni Poloniae capitaneo generali.

Magnifice domine consanguinee et amice charissime ac honorandissime. Perturbarunt me non mediocriter literae vestrae Mgciae., quas is ejus puer mihi hesterna vespera reddidit. Miratus sum et miror vehementer, quae furiae agitent istos Germanos, qui non contenti grassari hostiliter in Ungaria etiam civitates et subditos Mtis. domini nostri violare et expilare non verentur. In tam subito autem et repentino casu hoc meum consilium est, ut vestra Magnificentia tanquam capitaneus generalis exercituum regni mitteret ad capitaneum illum Germanicum hominem aliquem disertum[2]) et cordatum, qui sciscitaretur ab eo causas, cur civitates et bona Mtis. domini nostri bello impeteret, quum eadem Mtas. domini nostri sit in bona amicitia, fraternitate et conjunctione cum serenissimo rege suo et regno Ungariae admoneretque eum, ut desisteret ab inceptis et damna illata resarciri juberet. Alioquin testaretur et palam diceret vestram Mgciam., ut capitaneum regni generalem, capto consilio cum aliis proceribus levaturam esse contra ipsum universum regnum et vim vi repressuram. Quid tandem inde sequeretur, ipse posthuc videret. Si diceret ille mandatum sibi esse a rege suo, ut hostem ejus regem Joannem ubique bello et armis persequeretur, respondet nuntius: confugisse quidem regem ipsum Joannem ad regnum Mtis. domini nostri tanquam ex naufragio ad portum, cui subditi Mtis. suae dedissent receptum in bonis et possessionibus suis ut regi christiano et vicino, verum ea lege, ut ille nihil hostile moliatur hinc contra regem Ferdinandum et regnum Ungariae

[1]) D. 12. 4. 1528. [2]) W kodeksach: discretum.

Ungariae, quoad Mtas. domini nostri cum aliis principibus christianis utrumque illorum ad aliquas pacis et concordiae conditiones induceret. Credo ego, quod ejusmodi legatione dejicerent cristas Germani et mitiora cogitarent, et certe aliud consilium salubrius ad rem tam subitam excogitare non potui. Quod si placuerit vestrae Magnificentiae, bene quidem, sin minus, habebit me apud se excusatum et boni consulet, quod ego homo ecclesiasticus de rebus bellicis consulere non novi nec didici. Me vestrae Magnificentiae ex animo commendo et cupio illam diu et felicissime valere. Datum in Bodzanczin die sancto Paschae 1528.[1])

193. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Jo. Chojenski, praepos. Posn., archid. Crac., secretario regio.

Teki Górskiego, nr. 928 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 92.
Kod. Sap. VII, 79.

Venerabilis domine frater in Christo charissime. Post scriptas et obsignatas literas nostras ac in fasciculum ligatas accurrit ad nos puer dni. comitis de Tarnow, palatini Russiae, cum literis, quarum exemplum praesentibus inclusum vobis mittimus, quod Mti. regiae perlegatis et referatis illi, quod nos cum aliis dominis providere curabimus his Germanorum insultibus eosque sistere et coërcere studebimus, ut melius poterimus Mtemque. suam de omnibus, quae evenerint, quam celerrime faciemus certiorem. Rescripsimus autem domino palatino Russiae, fratri nostro, et consulimus, ut ipse tanquam capitaneus regni generalis mitteret ad capitaneum illius exercitus Germanici hominem aliquem discretum et cordatum, qui sciscitaretur ab eo, cur civitates Mtis. regiae vastari et expilari permitteret nullo prius bello indicto, cum Majestas sua sit in bona amicitia et conjunctione fraterna cum serenissimo domino rege suo hortareturque illum, ut desisteret ab inceptis et damna illata resarciret, alioquin testaretur et palam diceret ipsum dnum. palatinum, exercituum regni capitaneum generalem, levaturum contra illum regnum universum et vim vi repulsurum, quid inde tandem sequeretur, ipse videret etc., nam in tam subito casu aliud consilium magis utile excogitare non potuimus. Quod si amplecti voluerit ipse dominus palatinus Russiae, non dubitamus, quod Germani mox deponent cristas suas et mitiora cogitare incipient. Interim vero dominus Opaleniczki vadet ad regem Ferdinandum et ibi haec et alia cum illius Mte. tractabit omnesque hos motus et conatus sopiet et avertet. Bene valete. Datum in Bodzanczin die sancto Paschae. Anno domini 1528.[2])

194. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, epo. Plocenci.

Teki Górskiego nr. 930, (własnoręczna minuta Tomickiego.)
Kod. Karnk. X, 94.
Kod. Sap. VII, nr. 81.

Rme. in Christo pater et dne. nepos charissime. Accurrit hesterna vespera ad me puer domini comitis Tharnoviensis, palatini Russiae, cum literis, quarum exemplum mitto cum praesentibus vrae. rmae. Dtioni., ex quo intelliget, quid Germani victoria insolentes agant et inceptent adversus nos. Ego rescripsi domino palatino et consului, ut ipse tanquam capitaneus regni generalis mitteret propere aliquem hominem industrium et cordatum ad capitaneum generalem illius exercitus Germanici, qui sciscitaretur ab eo, cur civitates et castra Mtis. domini nostri oppugnaret et expilaret, sciens, quae sit amicitia et

[1]) D. 12. 4. 1528. — [2]) D. 12. 4. 1528.

et conjunctio fraterna inter Mtem. suam et sermum. regem suum dominum Ferdinandum, hortareturque illum, ut desisteret ab inceptis et damna illata resarciret. Alioquin testaretur et palam diceret, ipsum dominum capitaneum exercituum regni generalem levaturum esse universum regnum contra ipsum et vim vi repulsurum. Quid postea inde sequeretur, ipse videret. Et si ita facere voluerit ipse dnus. campiductor, prout illi consului, non dubito, quod mox Germani deponent cristas suas et mitiora cogitabunt. [1])

Misi proprium nuntium ad dominum Petrum Opaleniczki stimulans eum et urgens, ut propere se accingeret ad obeundum munus sibi injunctum et huc ad me veniret pro instructionibus. Opus enim est, ut instruam eum de multis, quae modo sunt innovata. Cum autem summe necessarium sit validis et efficacibus rationibus excusare apud regem Ferdinandum let principes Germaniae, apud quos sumus multum suspecti et male audimus propter hoc sermi. dni. regis Joannis ad nos perfugium et receptum illi in regno concessum, rogo vestram reverendissimam Dominationem, excogitare velit una cum domino Broderico et scribere tales rationes, quae permoverent et persuaderent Mtemque. regiam et nos omnes juste excusare possent et id, quod scripserit et excogitaverit vestra reverendissima Dtio., ad me per hunc nuntium mittere non gravetur.

Nondum liberatus sum in toto a catarro et tussi, valeo tamen, Deo sit gratia, meliuscule. Nescivit mihi plene referre nepos vrae. rmae. Dtionis., Georgius Sbarzewski, [2]) quid actum et conclusum sit in conventu Warschoviensi praeterito. Rogo significare mihi velit, quicquid ibi fuerit actum et determinatum et dno. Broderico dicat vestra rma. Dominatio plurimam salutem meo nomine et valeat felicissime una cum ipso meque habeat sibi charum et commendatum. Datum in Bodzanczin fer. secunda Paschae. Anno domini 1528. [3])

195. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Kod. Sap. VII, fol. 495.
Kod. Wojcz. nr. 274.

Post servitutis et orationum mearum in gratiam Mtis. vestrae humilem commendationem. Domini consiliarii terrarum Prussiae rogant Mtem. vram. pro Joanne Niempcz, ut liberum eum facere velit a carcere et captivitate et concedere ei liberam mansionem in terris Prussiae ea lege, ut nullo unquam tempore civitatem Gedanensem adeat, me etiam rogarunt, ut pro eo partes meas interponerem ad sacram Mtem. vram. Habet jam pridem Mtas. vra. continuas intercessiones pro homine illo a magnis principibus et summatibus viris et nescio certe, cum sit donatus vita, cur tam diu torqueri taedio carceris et negligentia victus et rei familiaris suae debeat videreturque mihi, ut eum Mtas. vra. liberum mittere velit sub cautione fidejussoria sufficienti de sistendo eo, quandocunque Mtas. vra. mandaverit et ut manere in aliqua civitate aut oppido Mtis. vrae. in Prussia et negotiari interim in regno et dominiis illius possit. Nihil enim hoc modo esset metuendum de illo et rogo enixe Mtem. vram. hanc gratiam homini pauperi et oppresso facere dignaretur. Iste etiam alter Joannes Same, nauta proscriptus de Gedano, supplicat humiliter, ut hanc gratiam obtinere possit a Mte. vra.. ut liberam per mare navigandi habeat facultatem et si quando vi ventorum impelleretur in navi sua ad mare dictionis Gedanensium, quod ibi stare possit, ita tamen, ut in medio miliari civitatem ipsam Gedanensem non accedat.

Rem

[1]) Tak daleko pisany był list w pierwsze święto wielkanocne, 12 kwietnia, dokończony zaś nazajutrz 13 kwietnia.
[2]) W Kodeksie Sap. dopisał Górski: seu Crziczki. — [3]) D. 13. 4. 1528.

Rem justam ac satis aequam petere mihi videtur idem nauta et proinde supplico Mti. vrae., precibus ejus benigne annuere literasque ei concedere dignetur, quibus munitus possit navigationem suam solitam libere exercere, citra tamen ullum praejudicium civium Gedanensium, et ut eisdem suis literis declarare velit Mtas. vra., quod captivitas, ad quam fuit justa sententia Mtis. vrae. condemnatus et conjectus, non noceat in posterum famae, honori et bonae existimationi illius liberorumque ipsius. Me et meam humilem servitutem iterum atque iterum commendo Mti. vrae. sermae. et eam cum suis omnibus felicissime et diutissime valere desidero. Datum in Bodzancin fer. II[a] Paschae. A. d. 1528.[1])

196. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Bonae, reginae Poloniae.

Teki Górskiego nr. 1043 (minuta).
Kod. Sap. VII, fol. 493 v.
Kod. Wojcz. nr. 271.

Serenissima princeps et domina, domina clementissima. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Dedi literas ad Majestatem regiam, dominum meum clementissimum, supplicans illius Majestati, ut Joannem Nyempcz, civem Gedanensem, (qui, quod obnoxius illius nefariae Gedanensis conjurationis et in Lutheri sectam praevaricationis fuerat, in carcerem est conditus) ad aliud genus supplicii traducat, quod punitionem illi quidem non minuat, sed ad liberorum et miserae uxoris, quae jam luctu et desiderio mariti plane periit, solatium et traducendam vitam conducere possit. Ista enim mihi et omnibus communiter illius provinciae Prussiae proceribus et consiliariis Majestatis suae convenientior et humanior videtur supplicii ratio et qua calamitas et egestas liberorum, qui culpa vacant, fame tamen pereunt, sublevari possit, ut ipse ex Gedano in alium locum vel civitatem arbitratu regiae Majestatis relegetur vel deportetur maneatque illic cum uxore et liberis ex praescripto Majestatis suae data ad hoc idonea et sufficienti fidejussorum et sponsorum cautione. Cui rei impetrandae quia non putabam me sine adjumento Majestatis vestrae serenissimae ita sufficere, ut compos fieri possem, illam obnixe rogo, ut regiae Majestatis animum in petitionis nostrae sententiam inclinare dignetur, utque id, quod ego et alii communi consensu petimus, impetrare valeamus, una enim opera, si hoc perficit Majestas vestra, et me sibi ad perpetuam servitutem devinciet et liberos et uxorem vincti et mancipati hominis a gravi calamitate liberabit. Quam equidem ego felicissimam et optime cum suis liberis serenissimoque conjuge incolumem et sospitem vehementer desidero, illique me et servitutem meam rursus suppliciter commendo. Datum.

197. P. Tomicius, epus. Crac. vicecancellarius, Joanni Choienski, archid. Crac., secretario regio.

Kod. Sap. VII, f. 495 v.
Kod, Wojcz. nr. 275.

Venerabilis dne. et fr. in Christo charissime. Scribimus Mti. regiae intercedentes pro Joanne Niempcz, ut liber tandem sub cautione fidejussoria dimitteretur, quo miser non contabesceret in squalore carceris et uxorem ac liberos sua industria et negotiandi peritia nutrire possit. Scribimus item et pro isto nauta Joanne Same, qui condemnatus similiter fuit ad carceres, sed postea benignitate Mtis. regiae dimissus. Is petit, ut possit libere navigare per maria et victum sibi quaerere et si quando vi ventorum pelleretur ad

[1]) D. 13. 4. 1528.

ad mare Gedanensium, ut ibi libere stare possit cum navi sua, civitatem tamen Gedanensem intra unum medium miliare non adeat. Rogamus vos: adjuvetis apud Mtem. regiam preces nostras, quas fecimus pro ambobus his miseris captivis. Et bene valete. Datum in Bodzancin feria II[a] Paschae A. d. 1528.[1])

Teki Górskiego nr. 1040, (własnoręczna minuta Tomickiego). Sap. VII, fol. 488 v. Kod. Wojcz. nr. 268.

198. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Achatio Czemae, succamerario Pomeraniae, et Slochowiensi ac Starogardiensi capitaneo.

Generose domine amice charissime. Scripsimus diligenter Majestati regiae pro Joanne Nympcz et Joanne Same, quod nobis commendastis, speramusque, quod nostra commendatio et intercessio erit utrique illorum utilis et fructuosa. Quod autem ad rem vestram attinet, nihil penitus metuatis nec solliciti sitis; etsi enim sint aliqua dicta contra vos in conventu Pyothrkoviensi praeterito, quae confinxerunt inimici vestri adversus vos, omnia tamen illa facile coërcuimus et sopivimus. Sciebamus enim rem instructam fuisse et hoc eo modo. Dominus archiepiscopus, antiquus herus et fautor vester, magno studio laborat, ut possit nepoti suo juniori Stanislao conciliare in matrimonium ducem Masoviae, quam ut in aliqua arce honesta regia collocare posset, nam suam nullam habet, rogavit Majestatem regiam enixe, annuere dignaretur, ut is ipse nepos ipsius teneret et haberet arcem Slochow modo obligatorio in ea summa dotis, quam eidem duci Majestas sua de ducatu Masoviae dare deberet. Cum vero id illi Majestas sua negasset, nobis etiam ad id cooperantibus, excitavit nuntios terrestres, ut clamarent et peterent, ut arx ipsa Slochow, quae semper in manibus Polonorum fuisset, alicui ex Polonis in administrationem concederetur; sed cum et id quoque ea via non obtinuisset, putabamus rem hanc hoc modo bene absolutam pro bono et commodo vestro fuisse. Verum cum esset nuper apud nos Franciscus, cancellarius domini episcopi Culmensis, qui missus est ad Majestatem regiam nuntius nomine dominorum consiliariorum terrarum Prussiae, retulit nobis secrete, quod vos perculsi vehementer clamoribus illis, qui fuerunt adversus vos excitati in conventu Pyotrkowiensi praeterito, et nolentes sustinere tantum odium dominorum Polonorum timentesque, ne ad importunam illorum instantiam Majestas regia capitaneatu Slochoviensi vos privaret, velletis sponte illi cedere et inter alios omnes illum domino palatino Pomeraniae favere, et propterea scripsisse nonullos dominos Prutenos ac etiam nostrates Majestati suae regiae pro eodem domino palatino Pomeraniae, ut ei capitaneatum ipsum Slochoviensem dare, ita prout vos illum tenetis, dignaretur. Nos etiam rogavit idem Franciscus, ut similiter pro ipso domino palatino partes et preces nostras interponeremus. Mirati sumus tam subitam metamorphosim, persuadere tamen nobis nunquam potuimus, ut crederemus vos adeo fracto et dejecto animo esse, ut tam insignem arcem ad vanos communis vulgi et imperitae multitudinis clamores resignare sponte vestra deberetis, non relata praesertim prius hac sua fatua deliberatione ad nos. Quare scripsimus valde caute Majestati regiae narrando id, quod Franciscus retulit, quod videlicet vos sponte vestra capitaneatum Slochoviensem exonerare velletis, quod tamen nos nullo pacto crederemus; et si ita esset in rei veritate compertum, quod scilicet vos

[1]) D. 13. 4. 1528.

vos sponte vestra eodem cedere capitaneatu velletis, rogavimus, ut in eo Majestas sua domino palatino Pomeraniae gratiam suam exhiberet, alioquin obsecravimus, ut illum vobis invitis Majestas sua non auferret, et credo, Majestatem suam consilium meum in hoc secuturam esse.

Male certe faciunt domini Pruteni, quod non veniunt ad nostros conventus, quos majores eorum nunquam negligebant: multa enim dici solent et agi in eis, quae ommitterentur, vel facile sopirentur, si illi adessent. Vos etiam male fecistis, quod nobis de rebus et his novis, quae ad nos nuper delatae sunt, deliberationibus vestris nihil scripsistis, hortamurque vos et optamus, ut nos de mente et voluntate vestra in his ipsis rebus et deliberationibus vestris quam primum faciatis certiores, ut sciamus, si vos in capitaneatu Slochoviensi, qui secundus est post Marienburgensem in terris istis Prussiae, tueri, ita ut hactenus fecimus, aut alterum quempiam ad illum assequendum adjuvare debeamus. Est commune proverbium apud nos Polonos: ktho szyą trusku bogy, then do lassa nyechocz. Intelligenti satis. Volumus autem, ut haec, quae confidenter ad vos in praesens scribimus, nemini pandatis praeter avunculum vestrum, sed secreto teneatis. Et bene valete.

199. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Paulo Crassowski, praeposito omnium Sanctorum et can. Crac.[1]

Teki Górskiego, nr. 929 (własnoręczna minuta Tomickiego)
Kod. Karnk. X, 86.
Kod. Sap. VII, 73.

Venerabilis domine frater in Christo charissime. Hodie redditae sunt nobis literae vestrae, quibus significastis ea, quae nobis heros vester mgcus. dominus castellanus Crac. significanda aut referenda nobis praecepit, simul et alia nonnulla de statu rerum praesentium, quae nos diligenter perlegimus et intelleximus. Primum omnium agimus et habemus gratias mgco. domino castellano Crac., singulari fautori et amico nostro, pro hac illius erga nos animi propensione et benevolentia, quam per vos nobis declaravit et quam dudum multis argumentis cognovimus et experti sumus, curabimusque vicissim eam illius Dominationi omni studio et officiis amicitiae semper referre. Verum hoc multum miramur, quod, ut scribitis, ejus Dominatio induxerit in animum suum, se adhuc aliquantisper in Gosthinin continere, ut ibi manens congressum et colloquium cum serenissimo rege Joanne et suspicionem apud serenissimum dominum regem Ferdinandum vitaret, accepimus enim die Sancto Paschae literas ejus Dominationis, datas in Gosthinin feria quarta magna, quibus scribit, se mox post dominicam Conductus Paschae proximam Cracoviam cum uxore et liberis profecturam et ut nos quoque isthuc quam primum veniamus, multis rationibus nobis persuadet. Et quidem quod ad nos attinet, cum primum hoc morbo catarrali, a quo nondum plene sumus liberi, levati fuerimus, libenter isthuc proficiscemur et nihil metuemus alloqui regem Joannem, si id usus et necessitas postulaverit; palam enim est, illum receptum habere et manere in regno Mtis. domini nostri, quem excludere aut non fovere non esset pium, non christianum, praesertim cum hic manens nullum delectum militum facit nihilque hostile adversus sermum. dnum. regem Ferdinandum et regnum Ungariae molitur, prout etiam id illi nequaquam est admittendum. Sentiat autem et dicat ipse sermus. dnus. rex Ferdinandus quidquid velit, cum multo majori certe commodo ejus est factum, quod hostis suus ad regnum Mtis. dni. nostri confugit potius, quam, ut in talibus eventibus fieri solet, ad hostes ejus aliquos confugisset. Documento est nobis dux Michaël Glinski, documento

[1]) W kod. Karnk.: Sidlovicii secretario.

documento id genus multa alia. Nos de his omnibus rebus simul et de nostro ad sermum. dnum. regem Ferdinandum expediendo scripsimus heri copiose mgco. dno. vestro, nec putamus opus esse illa iterare. Bene valete et Dominum Deum pro nobis orate. Datum in Bodzanczin feria tertia Paschae 1528[1]).

Teki Górskiego, nr. 1055. (Odpis współczesny.) Kod. Karnk. X, 157. Kod. VII, 155.

200. Hieronimus Laski, palatinus Siradiensis. Sigismundo primo, regi Poloniae.

Serenissime princeps, rex inclyte et domine, dne. clementissime. Opinor tum literis meis tum etiam rumore ipso ac fama Mti. tuae cognitum fuisse, me Graeciam ad imperatorem Turcarum necessario consilio fuisse delegatum, ubi dum infinitis periculis laboribusque emensis pervenio, (ceu is, qui nullo salvo conductu innitens sola fortuna rebus domini mei servire contendebam) omnia plus quam hostilia invenio, nullo honore excipior, nullis alimentis provideor, undique minas atque calamitates sentio, ita ut etiam taederet me matre ipsa fuisse progenitum, regem meum serenissimum sperni nec eum vel quempiam alium Ungariae dominari admissuros, nisi ipsosmet Turcas, qui sabla regem Ludovicum necarent et Budam, sedem regiam occuparent, ex qua nulli cedendum statuerent nisi armis ac vi ejecti, vel per tractatus honoris ac commodo emolumento, id est tributo. Cumque mecum in eam sententiam multis illis diebus labor esset nec viderent me aliqua ratione ad ipsum tributum posse pellicere, tandem divino fato ita labor meus fructum edidit, ut serenissimo domino meo pacem et perpetuam conjunctionem confecerim cum potentissimo imperatore illo absque tributo; et confeci non solum pacem sed et auxilia talia, quibus indiguerit contra omnes hostes Mtis. suae. Hic scriberem Majestati tuae nonnulla liberiori calamo, nisi adesset interceptionis praesentium ratio, certo tamen Mtas. tua sciat rationi ac temporum cursui inhaerendo, modo rex serenissimus, dominus meus, vivat, illum futurum Ungariae dominum.

Cum autem inter tractatus mutuos nostros didicissem, imperatorem Mti. tuae admodum esse adversum, tum propter auxilia regi Ludovico primum, domino Tarnoviensi ductore, secundo nunc, ut illi dicunt, ad infelicem regis Ludovici pugnam non Pontificis aere, sed Mtis. tuae missa, tum maxime ob violationem foederum, quae hac aestate ex Braslaw Winniczaque accidit, quodque prima herba jam Sandzacum Dobrucensem, Selistrensem praefectosque Belgradi, Kyliae et aliorum locorum cum tota Tartarorum colluvie ad invadendum regnum Mtis. tuae delegasset, omni qua potui fide ac deligentia magno cum honore Mtis. tuae laboravi ac effeci, ut non solum gentes istae retinerentur, sed ut etiam indutiae ad decennium prolongarentur et quod si Mtas. vestra tempori ac rationi locum dare dignabitur, perpetuam pacem facile assequi poterit, quam rem nunc missam facio.

Nescio quo modo Mtas. tua hoc genus servitii mei excipiet, apud quam solent esse aliqui, qui nihil bene actum vel dictum sentiant, quod ab ipsis solis dictum vel factum non fuerit, tamen ego alius esse nec volo nec possum nisi is, qui nec per unguem a Mtis. tuae honore commodoque divelli debebo, cumque ita faciam, reliquis Dominus Deus providebit, qui cor regis declinat ac cujus est certior ac profectior merces, quam cujuspiam alterius.

Nunc eam ob rem breviores facio, quia paucis ante diebus longiores ad Celsitudinem tuam designavi, ubi qua ratione imperator periculum amicitiae Mtis. tuae habere exspectat, id est,

[1]) D. 14. 4. 1528.

est, si auxiliabitur Mtas. vra. illum sicuti caesareum amicum et suum affinem, regem meum Joannem sermum., tunc caesarea celsitudo judicabit amicitiam suam Mti. tuae esse gratam; secus si Majestas vra. fecerit, tunc credet Mtem. tuam exspectare aliquam ejus adversam fortunam et tum ignoscere illi deberet Mtas. vra., si curabit potius praevenire, quam praeveniri, et in eum modum indutias cum Celsitudine tua prolongat, quae si Mti. tuae videbuntur per hanc conditionem indignae, Mtis. tuae erit in arbitrio illas excipere, ego tamen quia distuli invasionem Turcarum in regna Mtis. tuae usque huc, bene me laborasse judico.

Si esset opportunitas, ut Majestati tuae potentiam hujus domini perstringerem, quam ita didici ac scio in opibus ac viribus, ut pauci Turcae sint, qui tantum de potestate hac intelligant, tamen non opus est nec verbis nec calamo, cum videamus, eos armis omnia quaerere et ita res illorum crevisse, ut nulla lecta vel audita esset similis huic potentia, eamque ob rem Mtas. vra. quae prudens est, rebus suis facile providere et consulere poterit.

Hodie mihi sunt allatae literae ex Constantinopoli, quibus dominus Ludovicus de Gritti, ducis Venetiarum filius, me facit certiorem modo, quo Mtis. tuae interpres ille Wrona ad habendum oratori salvum conductum ad imperatorem venit, itaque rogo, ut Mtas. vestra temperaret ab mittendo oratore tam diu, quamdiu ego ad illius Celsitudinem vel scriberem ardua vel Deo dante oretenus aperuerim, nam si Mtas. vestra etiam minimo auxilio regi Joanni adesse dignabitur, poterit oratorem non mittere et per duos annos.

Majestas praeterea vestra de ducatu Bari consulat de tempore, quia rex Franciae valde mihi questus est neglectum, nolo dicere spretum propter ducatum Bari se fuisse, sique orator suae Mtis. dominus Antonius Rincon vel Ungariae vel Poloniae esset, commode Majestas vestra faciet, si humaniter illum tractare dignabitur; nam in iisdem ex Constantinopoli literis prosperari in Italia exercitus Ligae sanctae scribitur et nisi Mtas. vra. de tempore egerit, timeo periculum illius ducatus damni.

Commendo me cum his humilis et supplex Mtis. tuae regiae gratiae ac rogo: dignetur eadem Celsitudo tua aliam servitiorum meorum rationem habere, quam huc usque dignata sit.

Ex Targowiscze, sede Woyewodae Multanorum, fer. tertia Paschae. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo[1]).

Minimus ac perpetuus servitor
Hieronymus de Lasko et in Rithvani
palatinus Sirad. etc. manu propria.

Teki Górskiego, nr. 931 (list oryginalny z własnoręcznym podpisem Krzyckiego, z adresem i pieczątką).
Kod. Karnk. X. 89.
Kod. Kórnicki pism Krzyckiego, nr. 168.

201. Andreas Cricius, eps. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Reverendissime in Christo pater, et domine mi colendissime. Vadit ad serenissimum regem suum noster dominus Brodericus vocatus a sua Mte. crebris literis et magnis precibus, ut et servitia illi, quae posset, praestaret et illa consuleret, quae pro conditione temporis magis ex usu Mti. suae videntur; quem vestrae reverendissimae Dominationi unice commendo et rogo, non gravetur cum illo super his et aliis negotiis familiariter conferre. Audiet ab illo multa et scitu necessaria et auditu non injucunda. Ego his sacris diebus passus

[1]) D. 14. 4. 1528.

passus sum febrim ardentissimam, sed jam ab illa gratia Dei liberatus sum. Commendo me et servitutem meam reverendissimae Dominationi vestrae, quam Dominus Deus servet diutissime sospitem et semper felicem. Poltowii die XV Aprilis. Anno MDXXVIII.

Teki Górskiego, nr. 932 (lilst oryginalny z podpisem, adresem i pieczątką.)
Kod. Kórnicki pism Krzyckiego, nr. 169.

202. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Rme. in Chro. pater et domine, domine mi colendissime. Questi sunt mihi lacrimabiliter d. Gamrath et Carolus de infelicitate sua, quam se subiisse in gratia vrae. rmae. Dtionis. ex literis ejus cognoverunt rogaruntque me impense, ut iterum hanc causam ipsorum illi commendarem. Ego profecto in ea ipsa causa nihil incommodare vellem domino Sbąnski, sed non videtur mihi vicissim dignum, ut et ipsi audiri et rationes ipsorum admitti non debeant. Oro itaque vestram rmam. Dominationem, ut benigne et aequanimiter nuntium eorum audire dignetur et praesertim cum ipsi in praesens capitulo ecclesiae meae interesse coguntur et negotiis meis sunt districti. Non diffido, quin vra. rma. Dtio. ita se exhibebit in ipsa causa erga partem utramque, ut aequitati et benignitati ejus congruere videbitur. Cui me ex corde commendo. Ex arce Poltovien. die XV^{a} Aprilis. Anno dni. MDXXVIII^{o}.

Plocen. Ep.

Teki Górskiego, nr. 934 (list oryginalny z własnoręcznym podpisem, z adresem i pieczątką).
Kod. Karnk. X. 95.

203. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Rme. in Christo pr., et dne. mi colendissime. Praesagibat mihi animus, Germanos hac victoria insolentes incepturos esse aliquid adversum nos ob favorem nostrum erga sermum. Joannem, quem omnes considerant, tamen ut Mtas. regia scribit, non videntur aliud a Mte. sua exigere, nisi ut ipse rex Joannes existens in hoc regno non colligat vires neque delectus faciat adversus regem suum. Utcumque est, ita agitur in hac re, ut est in proverbio Tartarorum, quod fractum arcum duo timere solent, nos, qui hunc regem fractum habemus, timemus, ne illum alterum offendamus, ille vicissim nos timeat oportet, nam donec hic vivit, ille nunquam securus est in Ungaria, neque verisimile est, Ungaros hujusmodi inconstantiae, ne dicam fraudi assuetos, illi fideliores futuros, cujus genus semper exosum habebant, quam huic, quem a cunis usque peculiari quodam favore sunt semper prosecuti. Quae omnia vra. rma. Dtio. ex nostro dno. Broderico abunde intelliget et quod non omnino adhuc actum est de Joanne. Placet mihi vehementer consilium vestrae rmae. Dtionis., quod in re tam insperata praebuit dno. palatino Russiae, neque dubito, quin, si ita faciet, Germani cristas demittent.

Non dubito etiam, quod cum in aula sermi. regis Ferdinandi, tum etiam ubique in Germania exprobrabuntur haec omnia dno. Petro Opalinski, oratori regio, sed haec facile mea sententia et vere et juste excusari possunt in eum modum, quem breviter annotavi magis praetendendo jura et libertates regnicolarum, quibus et Germani ipsi potissimum utuntur, quam prohibitiones et edicta regia, maxime quae anno praeterito fuerunt promulgata, ne hinc unum ex duobus judicetur, vel inobedientia subditorum vel collusio quaedam indignissima. Scribit mihi dnus. Choienski et narravit cubicularius, qui venit ex Lithuania, Mtem. regiam post acceptum hunc casum nunquam ex animo laetam apparuisse; narravit item de summa illic

illic penuria et Lithuanorum erga Mtem. regiam et omnes Polonos ingratitudine. Italos omnes nihil aliud quam felicem Cracoviam in ore habere et suspirare, unde credo eos illic non diu mansuros. Commendo me et servitia mea vrae. rmae. Dtioni., quam dnus. Deus servet salvam, sospitem et semper felicem. Ex arce mea Poltoviensi die veneris XVII. Aprilis. Anno domini MDXXVIII°.

Mitto responsum dominorum Mazoviensium, ex qno quid factum est in illo conventu, vra. rma. Dtio. intelliget.

De concordia tractanda inter istos reges et frustraneum videtur nunc et periculosum nos aliquam operam facere, nam neque Joannes ullo modo regno cedet, neque Ferdinandus aliter quicquam faciet, et ubi nos id, habentes Joannem apud nos, non efficeremus, videremur Ferdinando tanto magis suspecti, quod ille quasi in spem nostram nostroque consilio se retineret et Mtas. regia, quantum ex ejus literis colligo, est in ea re multum auceps, et profecto si nos pacem tentare et tractare inciperemus et interim vel motus Ungarorum vel subsidia Turci Joannem erigerent, judicaremur Ferdinandum circumvenisse. Opus est igitur bene omnia expendere, forte melius esset adhuc paululum cum hac concordia supersedere habereque hunc arcum fractum adversus minas Germanorum, donec, quorsum res verget, melius apparebit, nec satis tutum arbitror polliceri securitatem Ferdinando a Joanne, quum Mtas. regia nondum constituerit, utrum illi permittere debeat conflare exercitum in hoc regno nec ne, et tempus multa affert insperata.

204. Doctor Biel creatur vicecancellarius Universitatis Cracoviensis.

Teki Górskiego, nr. 933 (minuta przepisana na czysto z własnor. dopisaniem daty przez Tomickiego).
Kod. Sap. VII, 95.

Petrus, Dei gratia episcopus Cracoviensis, regni Poloniae vicecancellarius et Universitatis incliti gymnasii Cracoviensis cancellarius a Sede Apostolica deputatus, manifestum facimus universis: quia dudum perspectam et commendatam habentes virtutem, probitatem vitae et morum integritatem singularemque ac excellentem doctrinam venerabilis ac egregii viri magistri Stanislai Biel de Nova Civitate, sacrarum literarum professoris et canonici ecclesiae nostrae Cracoviensis, ipsum vicecancellarium nostrum in ipsa universitate Cracoviensi creandum, deputandum et constituendum duximus, creamusque, deputamus, facimus et constituimus harum serie literarum, dantes et concedentes illi plenam ac omnimodam potestatem ad magisterii et doctoratus gradus in sacra theologia, in jure canonico, in medicina, in philosophia et in septem artibus liberalibus, quoscunque illos dignos et idoneos esse censuerit et judicaverit, admittendi, examinandi, approbandi, promovendi, quos vero minus idoneos et sufficientes esse compererit, rejiciendi, suspendendi, veniam seu licentiam ad magisterii et doctoratus insignia suscipienda in omnibus facultatibus et scientiis praedictis dandi et concedendi, ceteraque omnia et singula agendi, gerendi, faciendi, exercendi, ordinandi ac exequendi, quae de jure et privilegiis Universitatis praedictae ac etiam de consuetudine longo usu approbata ad officium vicecancellarii spectare et pertinere videntur, promittentes prout promittimus in verbo nostro, quicquid per eundem dominum doctorem Biel, vicecancellarium, in omnibus et singulis praemissis actum, gestum, factum, ordinatum et constitutum fuerit, id nos ratum, gratum atque firmum perpetuo habituros harum testimonio literarum, quibus sigillum nostrum majus est impressum. Datum in arce nostra Bodzanczinensi d. XVII. Aprilis. Anno domini 1528.

Teki Górskiego, nr. 2905 (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Sap. VII, 96.

205. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Stanislao Biel, canonico Cracoviensi.

Venerabili et egregio sacrarum literarum professori et doctori dno. Stanislao Byel de Nova Civitate, canonico ecclesiae nostrae Crac., fratri in Christo charissimo.

Venerabilis dne. frater in Christo charissime. Volentes singularem nostram erga vos benevolentiam, qua vos prosequimur, apud omnes homines testatam facere, simulac benignam rationem habentes virtutis, probitatis, integritatis et singularis doctrinae vrae., motu nostro proprio vos vicecancellarium in universitate incliti studii Cracoviensis fecimus et creavimus literasque ejusmodi creationis nostrae vobis mittimus cum praesentibus, certo nobis persuadentes, quod et hanc animi nostri erga vos propensionem gratam habebitis et in eo vicecancellariatus officio ita vos geretis, prout virtus integritasque vestra et nostra vicissim de vobis spes et existimatio postulare videtur. Bene valete et dnum. Deum pro nobis orate.

Teki Górskiego, nr. 1015, (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 91.
Kod. Sap. VII, 76.

206. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Petro Opaleniczki, cast. Myedzirzecensi.

Generose domine, patrue et amice charissime. Miramur plurimum, quod tam diu tardatis obire munus legationis vobis demandatum. Scripsistis nobis antea, quod jam essetis accinctus et paratus ad obeundum hoc ipsum legationis munus, cum vero vos admonissemus literis nostris, quas per Liss, cubicularium mgci. dni. castellani Posnaniensis, ad vos dedimus, ut posita omni mora vos istinc evolveretis et ad nos huc pro instructione veniretis, nescimus, quae morae vos isthic detineant et cur hactenus vos apud nos sistere distulistis. Cum autem regia Mtas. continue nobis mandet, ut operam nostram faceremus, quo vos cito ad provinciam vobis injunctam expediamus, hortamur vos iterum atque iterum, ut posthabitis quibusque negotiis vestris ita huc ad nos instructi et parati ad iter quam primum veniatis, ut recta hinc Cracoviam et demum ad sermum. dnum. regem Ferdinandum et conventum Imperii vos conferre possitis aut saltem significetis nobis, si in animum vestrum induxistis parere mandatis Mtis. regiae nec ne, ut tempori provideamus alio modo rationibus et rebus Mtis. suae et reipublicae. Bene valete. Datum in Bodzanczin. Anno domini 1528.

Kod. bibl. Kórnickiej.

207. Andreas Cricius, epus. Plocensis, Christophoro de Schidlowiec, cast. Crac.

Illris. et magnifice domine. Discedens a me dominus Brodericus, vocatus magnis precibus per regem suum, reliquit apud me historiam cladis sermi. olim Ludovici regis ita a se vere et plane conscriptam, ut quamvis ipse stylum suum extenuet, melius a nemine conscribi potuerit. [1]) Eam mitto vrae. Illti. et mgcae. Dtioni., de qua me tam diu nil audivisse mirum in modum taedet.

Scripsit

[1]) Cfr. Acta Tomiciana, T. VIII, nr. CCXCII. pag. 231—253.

Scripsit mihi rmus. dnus. meus Crac., quae illi significavit de his minis vicinorum adversum nos, quas Miklassek retulit et quae item inceptat exercitus sermi. regis Ferdinandi; verum minentur ipsi, ut volunt, mihi videtur in hoc negotio, quod in proverbio est Tartarorum: quod arcum fractum duo metuere solent, nos, qui hunc regem fractum habemus, timemus cum eo, ne illum alium in nos provocemus, ille nos vicissim timeat oportet. Nam donec hic vivit, ille nunquam securus est in Ungaria, neque possibile est Ungaros hujusmodi inconstantiae ne dicam perfidiae assuetos illi fideliores futuros, cujus genus et nationem habuerunt semper exosissimam, quam fuerunt huic, quem a cunis usque summo favore sunt semper prosecuti. Ego prorsus nescio, quid Mtas. regia sit deinceps in hoc negotio factura neque, ut ex literis ejus apparet, ipsa satis intelligit. Bellum hinc restaurare regi Joanni permittere non licet, pacem vero tractare frustra, nisi Joannes regno cedat, quod illum scio nequaquam facturum et praesertim cum illi in dies spes major praebeatur recuperandi regni ex foedere cum Turco inito, partim ex nutantibus assidue magis nobilibus Ungariae reque ad seditionem intestinam tendente. Porro si pax a nobis tractari inciperet et interim vel motus in Ungaria vel suppetiae Turcorum regi Joanni adessent, statim judicaremur omnia ad circumveniendum sermum. regem Ferdinandum agere, aut si nihil aliud tale accideret, solum quia Joannes regno cedere nollet existens apud nos, omnia judicarentur consilio et in spem nostram fieri. Sed haec omnia vrae. Dtiones. melius dispicient; mihi videtur, ut hoc fracto arcu ita uteremur, ut non laederemus sermum. regem Ferdinandum, si amicus esse volet, et haberemus vicissim, quo et minari et incommodare illi possemus, ubi hostem se nobis exhibere vellet. Non passibus ambiguis fortuna volubilis errat, nec eodem cursu respondent ultimi primis. Commendo me ex corde ill. Mgciae. vrae., quam Dominus Deus una cum conjuge et filio suavissimo servet semper sospitem et felicem. Poltowsko XVIII Aprilis. Anno Dni. 1528.

208. Joannes Laski, archiepus. Gnesnensis, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 935 (odpis współczesny).
Kod. Karnk. X, 96.
Kod. Sap. VII, 85.

Serenissime princeps et dne. dne. gratiosissime. Post commendationem servitiorum. Accepi hodie literas Mtis. vrae. Vilnae sub illo effectu scriptas, quod Mtas. vra. sermo. dno. Joanni, Ungariae regi etc. una cum trecentis equitibus salvum conductum in regno hoc suo manendi concedere dignata est. Deinde quod etiam habuerit Mtas. vra. exemplum quoddam literarum sermi. dni. Ferdinandi regis, ad suos illos oratores Piotrkowiae nuper existentes scriptarum, quibus eos admonere videbatur illius Mtas., vel si forte sermus. dnus. Joannes rex casu aliquo se in Mtis. vrae. dominia conferret, peterent ipsi a Mte. vra., ut illi nullum in sua ditione receptaculum dare dignaretur. Postremo quod quidam praefectus gentium sermi. Ferdinandi regis scripserit ad Mtem. vram. petens principis sui nomine, ut posteaquam Joannes rex se in regnum hoc contulit, Mtas. vra. sic illum in regno hoc suo contineat, ut ne vel delectum militum faciat vel hostile quidpiam moliatur. Atque ea sunt fere, quae Mtas. vra. a me diligenter perpendi sibique desuper consuli vult. Unde tametsi Piotrkowiae aliter fuerit consultum, tamen cum mutatis rerum eventibus mutari etiam oporteat plerumque hominum consilia, equidem, serme. princeps, a multo jam tempore petita non sunt a me ejusmodi consilia, praeterquam cum in generali conventu vel de exactione instituenda vel restituendis juribus consultaretur aut si tum forte quid obiter

iter occurrisset, in transigendis autem regalibus Majestatis vestrae negotiis aliorum ductu geruntur omnia, adeo ut ipse fere ignarus omnium non tam sufficiens consilium dare possum vrae. Mti., quam et ipse forte deberem et alii opinor daturi sunt, quorum auspiciis geruntur talia, sed quoniam in eo rerum nunc tumultu, qui utinam Mtis. vrae. dominia non attingat, scire cupit Majestas vestra, quid potissimum ego faciendum censeam et praesertim, ut verbis utar per Mtem. vram. mihi scriptis, quomodo Majestas vestra se inter istos principes gerere deberet, vult et mandat per me scribi sententiam, meo judicio imprimis cavendum erat, tum cum sermo. dno. Joanni regi praedicto salvus conductus dabatur, ne quid ille interea, dum est in regno Mtis. vrae., omnino tentaret aggredi praeter voluntatem Mtis. vrae. Quod si factum est, vehementer sane probo, sin minus, nihilominus adhuc suadeo faciendum dicendumque illi: Mtem. vram. apud sermum. regem Ferdinandum laboraturam pro concordia aliqua utrique partium facienda, sic, inquam, si Joannes rex promittere vellet consiliis et arbitriis parere Mtis. vrae., qui si facere istud nollet, Mtas. vra. dicendum mandaret: quia salvi conductus sui conditiones aliter limitare deberet Mtas. vestra, si vero promittere volet, tunc caveret Joannes rex, ne quid interea committat ejusmodi, quod faciendam concordiam impediret. Ad sermum. autem Ferdinandum regem scriberet Mtas. vra., antea semper optasse vehementer et quantum in illa erat cooperatam esse, ut haec controversia amice componi potuisset, et nunc, si quando alias, vehementer cupere, ut, quod hactenus confici non potuit, nunc tandem jam facilius conficeretur, atqe eam ob causam Mtas. vra. Joanni regi salvum conductum dederit, ut vel sic fieret facilior inter eorum Mtes. concordia. Sic equidem faciendum censeam, si rex Joannes Mti. vrae. promittere vellet sic, ut supra scripserim. Tandem si rex Ferdinandus concordiam non recusaret, non gravaretur etiam Mtas. vra. operam omnem suam quanto celerius accomodare promovendae huic ipsi concordiae, quae haud dubie futura esset magna cum dignitate nedum partis utriusque, sed etiam Mtis. vrae. summaque universae reipublicae et dominiorum Mtis. vrae. utilitate publica. Atque haec sane fuerit mea sententia, quod ad eas res attinet, quas mihi Mtas. vra. literis suis proponere est dignata. Deus Optimus Maximus pro sua divina clementia Mti. vrae. negotia cuncta fortunet atque ad nos illam sanam ac felicem rursum reducat. Datum Lowicii die XX mensis Aprilis. MDXXVIII.

Kod. bibl. Ks. Czartor. nr. 1601 (list orygin.).

209. Sigismundus primus, rex Poloniae, Joanni de Lusian, palat. Culmensi.

Magnifico Joanni de Lusian, palatino Culmensi et Radzynen. capitaneo, sincere nobis dilecto gratiam nostram regiam. Magnifice sincere nobis dilecte. Commendatam nobis reddidit rndus. in Christo pater dominus Joannes, epus. Culmensis, sincere nobis dilectus, tuam erga nos sinceritatem in exsequendis nostris mandatis, quae ad illam occasione episcopalium annonarum ipsi domino episcopo in terra Culmensi ab agricolis universis et singulis solvendarum antea dederamus, gratum itaque et acceptum ferimus hoc tuae Sinceritatis erga nos officium hortamurque eandem, ut, quemadmodum incepit hujusmodi jurium ecclesiae debitores temerarios pignoribus ad satisfaciendum cogere, ita prosequatur ulterius suum tam commendatum nobis officium et pergat feliciter jura ipsa ecclesiae in esse conservare. Nam non libenter velimus praetextu alicujus

cujus novae religionis aut sectae cujuspiam hominis in regno et dominiis nostris in talibus, quae ad ecclesiarum libertatem et jura illius spectant, quicquam temere innovari. Pro gratia nostra. Dat. in civitate nostra Vylnensi, feria secunda post dominicam Conductus pascae proxima. Anno domini MDXXVII[o1]). Commissio propria R. Mtis.

Jo. Choienski, archid. Crac. sspst.

210. Mathias Drzewicki, epus. Cujaviensis, Mauritio Ferber, epo. Varmiensi.

Kod. bibl. Ks. Czartor. nr. 249 (list oryginalny).

Rme. in Chro. pr. et dne. amice et frater in Chro. carissime et plurimum honorande. Salutem in dno. et optatam felicitatem, cum sui recommendatione. Quam victoriam per sententiam sacrae Mtis. regiae dni. nri. clementissimi pro solvendis episcopalibus loco decimae manipularis, Dei favore et justitia nostra et ecclesiae nrae. operante, reportavimus, jam non ignorat vra. r. D. Nec procul dubio hoc ignorat vra. r. D., quid dni. palatini Pomeraniae ac Marienburgensis cum proceribus per literas satis inhonestas Mtem. regiam, religionem ac ordinem sacerdotii simul et pontificii suggillantes et sententiae tergiversantes, quid tandem domini per dnum. Luckam suum nuntium in proximo Pyotrkoviensi egerunt, tum etiam quomodo literis eorum et suggillationibus atque etiam dno. Lucka responsum fuerit. Ex quibus colligere vra. r. D. potest, suorum Mtem. regiam firmam esse circa suam latam sententiam et firmum propositum habere tuendi eam. Vrae. autem r. Dtioni. ago et habeo gratias, quod justitiae meae ac ecclesiae favens victoriae quoque meae plurimum favere se prae se fert, et rogamus, ut eandem habeat commendatam ipsamque promoveat, ut tandem hoc negotium finem debitum et optatum habeat, ne eos, quos pastorali amore prosequi debeo, justo odio insectari cogar. De hisce vero et aliis rebus is noster secretarius dnus. Felix Kolski, canonicus ecclesiae meae, planius cum eadem meo nomine loquetur. Cui, rogo, ut mihi ipsi, credat et eundem sano consilio in agendis, ceu de eadem confidimus, relevet. Est mihi etiam terminus coram vra. r. Dtione. et rndo. dno. epo. Culmensi ex sacrae Mtis. regiae commissione meo consensu data in futuro Marienburgensi conventu cum Nowensibus. Si quidem Nowenses, cum semper et antecessoribus meis septem grossos pro episcopalibus de manso solverint, nunc tergiversantur nolentes solvere nisi quinque grossos cuidam privilegio, quod se reperisse dicunt, innitentes. Sed non dubito rem meam esse proscriptione antiquatam, propterea non videretur esse aequum et rationi consonum, quod Cruciferi eosdem in solvenda quota decimae potuissent absque epi. et capituli consensu privilegiare. Igitur vrae. r. Dtioni. haec causa sit, prout justa est, commendata; injuriam enim inferre sed neque pati cum detrimento ecclesie meae nolo, sed et de hac re meus secretarius eandem alloquetur. De rebus Italicis nescio quid scribam, quia prorsus certi nihil habetur. Scribit dnus. Boner zupparius mihi, se accepisse literas recentes ex Venetiis, quibus scribitur, Summum Pontificem adhuc in Orweto sub custodia agere, Hispanorum licet jam confoederatus sit imperatori. Scribit item Gallorum exercitum properare in Apuliam, ubi etiam imperatoris exercitus instructus eosdem exspectat, timeturque sanguinis effusio magna. Sed alii, qui ex Venetiis posterius venissent, jam fuisse crudelem stragem et victoriam imperialibus favisse. Dicitur etiam, quod Veneti Turco de salnitrio quadringenta vasa miserint armando eum, ut invadat Apuliam, quatenus a suis cervicibus caesarem

[1]) D. 20. 4. 1528.

sarem hoc stratagemate avertere possent. Prudentes sunt et vigiles in rebus suis. Itaque nec hoc more debito est. De patrueli vrae. r. D. nihil certi sciri potest, quia nemo illinc venit, qui verum quicpiam referre sciat.

Rex Joannes ex Ungaria pulsus in oppido Tharnoff manet sub salvo conductu, quamdiu autem manebit, incertum est. Sed fortassis spe bona et auxiliis orbatus diutius, quam vellet, manebit, quia a nobis nulla subsidia sperare potest. Deus servet vram. r. D. incolumem, longaeve, ut solet, me fraterna caritate prosequatur. Ex Wladislavia, 20 Aprilis 1528.

Vrae. r. D. totus Mathias, Dei gratia epus. Cuyaviensis.

Rmo. in Chro. pri. et dno. Mauritio, Dei gratia episcopo Varmiensi, amico et fratri in Chro. carissimo et honorando.

Teki Górskiego, nr. 1006 (własnoręczna minuta Tomickiego). Kod. Sap. VII, 99.

211. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Dobrogostio Swidwa de Schamotuli, nepoti.

Generose nepos charissime. Dolenti animo accepimus obitum patris tui et fratris nostri dni. olim castellani Gnesnensis, idque, quo erat officii et debiti nostri, mox praestitimus. Expedivimus enim isthuc evestigio hos servitores nostros, videlicet venerabilem dnum. Joannem Sbanski, canonicum Posnaniensem, et nobilem Andream Nieszkowski, quibus dedimus in mandatis, ut imprimis corpus defuncti debito honore sepeliant, deinde ea omnia faciant et constituant, quae tam ad expediendam familiam, quam ad bona in bono regimine et provisione relinquenda pertinere videntur, quibus tu credas et obedias in omnibus, quae tibi dixerint et praeceperint nomine nostro, moerorique et luctui tuo, quem ex morte patris tui concepisti, temperato, ne nimium dolendo adversari videaris divinae voluntati, cui humanos affectus aequum est acquiescere. Nos enim te simul ac fratrem et sororem tuam bonaque vestra in amore et benevolentia nostra inque tentione et provisione debita conservare curabimus vobisque nulla in re unquam dederimus. Bene vale.

Teki Górskiego nr. 1006 (własnoręczna minuta Tomickiego). Kod. Sap. VII, 100.

212. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Stanislao Tomicki, castell. Calissiensi.[1]

Mgce. dne. frater germane charissime. Non mediocri moerore et luctu affecit nos mors fratris nostri domini olim castellani Gnesnensis, ferimus tamen illius hunc casum eo animo, quo debemus, scientes, quod hoc debitum Deo et naturae omnes nos solvere oportet. Ut autem satis faciamus officio ac debito nostro, cum ipsi soli venire istuc ad persolvenda justa eidem olim fratri nostro non possimus propter adversam valetudinem nostram, qua adhuc distinemur, mittimus istic in loco nostro venerabilem dnum. Joannem Sbanski, canonicum Posnaniensem, et nobilem Andream Nieszkowski, servitores nostros, quibus commisimus, ut de consilio mgci. dni. castellani Posnaniensis et vestro corpus defuncti debito honore sepeliant exequiasque illi pro dignitate status sui et more patriae faciant et instruant. Ad quas curandas et apparandas simul et ad familiam expediendam pecuniam illis dedimus, quam pro rei necessitate erogabunt. Vellemus tamen, ut non faciant magnum sumptum

[1]) W Kod. Sap. mylnie: castell. Medirecensi, gdyż Stanisław Tomicki postąpił na kasztelanią Kaliską już d. 15 sierpnia 1527, cfr. Acta Tomiciana IX nr. 245.

tum in pompam et exequias funebres, quae, ut divus Gregorius inquit, magis sunt solatia vivorum, quam subsidia mortuorum, satius enim est conservare pecuniam ad persolvenda debita defuncti et alias liberorum et bonorum illius necessitates, quam ut nunc inutiliter profundi deberet; volumus tamen nihilominus, ut id fiat, quod usus et consuetudo patriae postulare videtur. Stephanum Zaleski volumus conservare et habere in praefectura bonorum Szamotuli, est enim vir bonus et antiquus servitor domus et familiae Szamotulensis. Cetera referent vobis nostro nomine servitores nostri praedicti, quibus in omnibus plenam fidem adhibeatis, et bene valete.[1])

213. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Lucae de Gorka, cast. Posnaniensi et capit. Majoris Poloniae generali.

Teki Górskiego nr. 1006 (własnoręczna minuta Tomickiego.) Kod. Karnk. X, 98. Kod. Sap. VII, nr. 105.[2])

Mgce. dne., dne. et frater honorandissime. Molesto ac dolenti animo accepi, fratrem meum, dnum. Swidwa, castellanum Gnesnensem, vita excessisse. Erat quidem ille dudum gravi adversa valetudine affectus non sperabamque ego illum diu vivere posse; sed cum cognovissem, illum ex conventu Piotrkoviensi salvum in domum suam pervenisse, sperabam dies ejus paululum prorogari potuisse. Dominus Deus recipiat animam ejus in sedes suas aethereas. Venit ad me huc is sacerdos dnus. Jakierth, nuntians mihi mortem ejusdem olim dni. fratris mei et rogans, ut vel ipse venirem ad justa illi persolvenda, vel aliquem meo nomine mitterem. Ego cum ipse ire isthuc non possem propter aegram valetudinem meam, qua adhuc distineor, mitto dnum. Joannem Sbanski, canonicum Posnaniensem, et nobilem Andream Nieszkowski servitores meos, quibus dedi in mandatis, ut omnia, praesertim vero quae spectant ad curandum funus et pompam exequiarum, ex praescripto et consilio Magciae. vrae. faciant. Pecuniam etiam illis dedi ad peragenda eadem funeralia et familiam expediendam, nam audio nullam ferme pecuniam inventam esse in thesauro fratris mei defuncti, de quo ego certe miror, nam non multum tempus effluxit, quo census de bonis suis accepit, quos ubi absumpserit aut quonam converterit, est mihi incognitum. Mandavi tamen, ut hi ipsi servitores mei faciant et de hac re istic diligentem inquisitionem. Quibus ut vra. Mgcia. adesse velit consilio et auxilio suo verbisque eorum, quae illi meo nomine retulerint, plenam fidem adhibere, plurimum illam rogo, factura id et pietatis christianae et mea causa; cui ago et habeo gratias ingentes, quod liberos defuncti bono animo esse jusserit et in hac eorum necessitate et gravi luctu pecunia relevarit; merebuntur illi una mecum hanc gratiam et pietatem vrae. Mgciae.

Heri accepi literas dni. palatini Sandomiriensis, quibus significat, Ivaskonem, Armenum, cum literis salvi conductus ex Turcia rediisse habereque bonam spem, quod orator regiae Mtis. illuc iturus obtinebit indutias ab imperatore Thurcorum ad decem, viginti, triginta et ad plures annos, si eas ad tantum tempus poposcerit. Scribit insuper ipse dnus. palatinus, eundem Ivaskonem affirmare, quod imperator Thurcorum sit omnino aestate futura cum omnibus suis potentiis ad occupandum regnum Ungariae adventurus, et

[1]) Na marginesie minuty data: XX Aprilis 1528. — [2]) W Kod. Karnk. ma ten list tytuł: Fragmentum epistolae Tomicii ad Lucam de Gorka, castell. Posnaniensem, i braknie w nim pierwszego ustępu o śmierci kasztelana Gnieźnieńskiego. Zaczyna się ten fragment od słów: Heri accepi literas dni. palat. Sandomir.

et quod Laski sit ab eo dimissus et expeditus; dubium tamen esse, quomodo redire salvus possit, positas enim illi esse in omnibus viis insidias adhibitosque custodes, ut difficile sit, illum tot custodias praeterire et perrumpere posse. Miror vehementer, quod dnus. Petrus Opaleniczki tamdiu istic tardat et non se accingit ad munus legationis sibi demandatum, vereorque, ne hac sua tarditate negligat multas rei bene gerendae occasiones. Rogo plurimum vram. Magciam., admoneat eum, ut se quam primum istinc evolvat et huc ad me veniat, aut saltem significet, an obire ac exequi vult mandatum regiae Mtis. necne, ut alio modo rebus Mtis. suae regni provideamus. Felicissime valeat Mgcia. vra. cum suis omnibus, cui me ex animo commendo.

Teki Górskiego, nr. 3011 (własnoręczna minuta Tomickiego.) Kod. Sap. VII, 102.

214. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Ottoni de Chodecz, palat. Sandomiriensi, Halicien, Sniatinen., Colomiensi capitaneo.

Mgce. dne. amice charissime ac honorandissime. Doleo ex animo vram. Mgciam. adversa valetudine distineri, qua cum et ipse quoque affligar, ut oculis suis id vidit is nuntius vrae. Mgciae., non potui dimittere a me in praesens ad illam doctorem Rawa, meum medicum; scripsi tamen doctori Vieliczka, qui Cracoviae est, qui est vir bonus, diligens, fidus et in medendis humanis aegritudinibus bene peritus, fuit enim discipulus olim doctoris Miechovitae, qui nostra aetate erat peritissimus medicus, ut ad vram. Mgciam. proficiscatur, quem nihil dubito id non gravate esse facturum. Cum autem nostra mortalitas variis casibus et aegritudinibus objecta sit, vram. Mgciam. oro, non dejiciatur animo suo nec desperet de sua salute, sed ferme sibi persuadeat, quod cito ope Dei et consilio hujus medici, quem ad illam mitto, restituetur pristinae sanitati, modo consiliis ejus obediat et servet regimen vitae debitum. Multi homines hoc anno aegrotant, est enim is annus multum gravis et difficilis; omnes tamen, Deo sit gratia, resurgunt sani ab aegritudinibus suis. Unus solus frater meus, dominus Vincentius Swidwa, cast. Gnesnensis, liberari non potuit a sua antiqua et quam a longo tempore passus est aegritudine, quippe qui feria tertia post dominicam conductus Paschae praeterita [1]) excessit e vita et animam Deo reddidit. Ceterum magnas ago et habeo gratias vrae. Mgciae., quod de reditu Ivaskonis, Armeni, ex Turcia et gratitudine imperatoris Turcarum, quam concepit ob adventum ad se oratoris sermi. dni. nostri, fecerit me certiorem, et rogo illam plurimum, faciat venire huc ad me eundem Ivaskonem, cum ad regiam Mtem. proficiscetur. Valeatque et sit felix vra. Mgcia. et optime speret de recuperanda cito pristina sua valetudine meque habeat, ut consuevit, charum et commendatum.

Teki Górskiego, nr. 1014 (minuta z poprawkami Tomickiego). Kod. Sap. VII, 105.

215. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae de Tanczin, palat. Cracoviensi, Belzensi, Chelmensi, Ratnensi, Crasnostavensi capitaneo.

Mgce. dne. frater et amice charissime ac honorandissime. Accepi literas vrae. Mgciae., quibus declarat mihi suum invisendi me institutum, certa quidem voluntate et optimo animo conceptum, sed propterea intermissum, quod varie ad se, ubi ego fuerim, nuntiabatur

[1]) D. 21. 4. 1528. — Na minucie Górski zapisał mylną datę XX Aprilis 1528.

batur. Quod profecto tametsi non fuerit effectum consecutum, ob hanc tamen solam animi et benevolentiae declarationem jucundum mihi fuit et magnopere gratum habeoque eapropter ingentes Mgciae. vrae. gratias. Ceterum quod scribit de finibus revidendis et limitandis vel dividendis bonis et censibus bonorum Turobin, item etiam, ut optio mgco. dno. castellano Posnaniensi proponatur, ut vel redimat ipse partem bonorum istorum ab heredibus pupillis defuncti dni.[1]) cast. Gnesnensis, vel a se e contrario quam possidet partem redimere patiatur: equidem non videtur mihi satis consentaneum, ut nunc finium vel divisionis alicujus habeatur cura, cum nos, quorum tuendi potestas est conjuncta, disjuncti simus et a bonis pupillaribus longius absimus, ipsi autem pupilli priusquam ad legitimam perveniant aetatem, non possint ullos facere contractus absentibus nobis. Quod vero ad dominum Posnaniensem attinet, perscribam illi deliberationem Mgciae. vrae. et electionem illi proponam, quicquid autem mihi in hac re responderit, faciam de omnibus certiorem Mgciam. vram. Sed etiam existimo ego hoc tempore jam in bonis illis Turobin esse filium dni. castellani Posnaniensis, cum quo id, quod expedire bono pupillorum nostrorum videbitur, Mgcia. vra. agere velit. De familia autem minuenda vel mutanda ego refero ad arbitrium Mgciae. vrae., quae quod utilissimum illi videbitur, statuet et me de eo, quod fecerit, per literas mutuo faciet certiorem. Censeo vero et opto, ut eidem familiae, cui merces debita soluta non est hactenus, absque mora exsolvatur his pecuniis, quas habet praefectus Turobinensis ex censu mellis collectas. Valeat felicissime vra. Mgcia., quam ego et felicissimam semper esse et me amare vehementer desidero.

216. Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Sigismundo primo, Poloniae regi.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1, fol. 17.)

Post fidelem et officiosam etc. Serenissime rex et domine clementissime. Quandoquidem sacra regia Majestas vestra fratrem meum germanum Ebrehardum Ferber regia sua clementia in suae sacrae Majestatis terrarum Prussiae consiliarium sublimare dignata est, castellanatus autem Culmensis per mortem novissimi ejusdem possessoris hodie vacat, quippe qui divinae voluntatis ordinatione paucis evolutis diebus in fata (vitam cum morte mutando) concesserit, inde est quod eandem sacram regiam Majestatem v. humillimis et obnixis precibus non rogare non possum, quatenus sacra regia Majestas v. dignetur eundem fratrem meum praefatum solita sua regia munificentia, ut semper fecit, etiam hac tempestate prosequi ac ipsum precum mearum intercedente interventu eodem castellanatus officio sic vacante insignire ac decorare. Quod sacram Majestatem v. regiam, quae est sua tum in omnes tum in eos praecipuo, qui illibatam ipsi fidem ac synceritatem perpetuo praestiterunt, liberalitas, facturam certa et indubia mihi fiducia polliceor. Quodque ego pro debito ac tenuitate mea tum devotissimis officiis meis tum integra fidelitate nunquam non erga sacram regiam Majestatem vestram, dominum meum clementissimum, inservire studebo. Si vero quispiam castellanorum, sive is sit Elbingensis sive Gedanensis, qui in Culmensem castellanatum exaltari cupiat, bene contentus erit germanus meus, ut senioribus se pinguior fortuna celsiorque gradus obveniat, dummodo ipsi vel infimo loco residere detur atque de Gedanensi castellanatu promissum iri obtingat, hoc ipse

[1]) W Kod. Sap. dopisał Górski: Swidwae.

ipse maximi muneris instar accipiet ac gratissimo, ut aequum et justum est, animo eam regiam liberalitatem praedicare ac servitiis suis indefessis promereri studebit erga sacram regiam Majestatem vestram.

Praeterea accepi a nonnullis mercatoribus Gedanensibus has, quas et veras esse scribunt, novitates. Videlicet regem Angliae voluisse reginam conjugem suam ob ventris infecunditatem a se dimittere ac monasterio includere novamque superinducere. Illa vero neque dimitti neque includi aequo animo sustinens, sed armis se defendere disponens non contemnendum ex ejus terrae nobilibus et plebeis hominibus collectum habet exercitum. E diverso rex Angliae non modico coacto exercitu partes suas tueri nititur. Regina vero quamquam posset (exercitu enim superior esse scribitur) spem sibi victoriae polliceri, hactenus tamen cum rege et conjuge suo manus conserere noluit sicque suspensis utrinque armis in castris manent et tractatus pacis inter regem et reginam fiunt. Regina in pacis pactis desiderat, quod rex cardinalem veluti hujus dissidii ac aliorum malorum autorem depellat, unde fit, quod rex Angliae regi Franciae suppetias ferre non possit. Quid futurum sit, rei exitus probabit. Ferunt praeterea funesta inter Galliae regem ac Burgundiae dominum, Brabantinos et Flandrienses ac Hispanos fervere bella.

Archiwum biskupie we Fromborku, A. 1 f. 17b.

217. Mauritius Ferber, episcopus Warmiensis, J. Choienski, secretario regio.

Rde. dne. amice et fautor honorande. Nuper ex Elbingo ad rdam. D. v. literas dedimus, significantes dnum. castellanum Culmensem in extrema decumbere aegritudine, rogavimusque, ut rda. D. v. fratris nostri germani Ebrehardi Ferber in eventu, quo ex humanis idem castellanus decederet, quatenus eundem castellanatum, quemadmodum et ipsi per rdum. dnum. episcopum Cracoviensem spes bona data fuerat, obtinere valeret, nec ab alio quopiam praeveniretur, benignam rationem habere dignaretur. Nunc quoniam paucis elapsis diebus praedictus Culmensis castellanus diem suum clausit extremum, iterum rdam. D. v. rogamus, non gravetur omnem opem et operam apud sacram r. Mtem. adhibere ac sedulo intercedere, quo per sacrae r. Mtis. liberalitatem idem frater noster eodem castellanatu sic vacante insigniatur ac decoretur, id quod et in rem suae s. M. regiae fore certo nobis persuademus. Quanto enim plures habituri sumus in senatu Prutenico adhaerentes nobis, tanto felicius et expeditius regia negotia pro votis suae Majestatis dirigere poterimus. Si vero aliquis castellanorum, sive is Elbingensis sit sive Gdanensis, qui ad eundem Culmensem castellanatum aspiret, nil refragabitur frater noster, contentus sua sorte favebit libentissime illis exaltationem ipsorum, dummodo sibi vel inferior locus contingat ac de Gedanensi castellanatu provisum fuerit. Id regii muneris loco accipiet ac gratissimo erga s. r. M. dnum. suum clementissimum animo amplectens perpetuis officiis iisque fidelibus et indefessis inservire studebit, erga vero rdam. D. v. tanquam patronum suum nullo non tempore promereri curabit. Nos item una cum ipso fratre nostro honorifico donario fidem nostram liberare non obliviscemur apud rdam. D. v., quam feliciter vivere ac bene valere optamus. Ex arce nostra Resel 21. Aprilis. Anno 1528.

218. Stephanus Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 936 (list oryginalny). Kod. Karnk. X, 102.

Reverendissime domine, domine mihi colendissime. Servitiorum meorum commendationem. Servitores vrae. rmae. Dtionis. in nulla alia re apud vram. rmam. Dtionem. accusare possum, quam de nimia diligentia in me supra modum omnibus officiis et honoribus prosequendo. Accedat et hoc ad ceteram vrae. Dtionis. rmae. et eam maximam ac multiplicem in me benignitatem beneficentiamque. Gratiam, cum ego nequeam, Deus referat vrae. rmae. Dtioni., ego quoque dum vivam perpetuo habebo et si qua in parte unquam potero, referam servitoribus, amicis et consanguineis vrae. Dtionis. rmae.

De negotiis serenissimi et clementissimi domini mei nihil adhuc scribere possum, scribam ex Tarnow. Oblitus fui ostendere vrae. rmae. Dominationi, cum apud eam essem et de his rebus sermo incidisset, quiddam, quod nuper, dum in bibliotheca rmi. domini mei dni. Plocensis nescio quid revolvimus, in quodam libello italice scripto casu reperimus; quod quidem ita ut se habet de verbo ad verbum transscriptum ad vestram Dominationem mitto. Id enim ut vrae. Dtioni ostenderem, summis precibus exegerat a me dnus. meus Plocensis, sed ut dixi, fui oblitus. Ego, ut verum fatear, ubi vidi hos versus italicos, etsi non sim omnino de genere eorum, qui talia magnifacere solent, non parum tamen sum miratus, cum subito in mentem venisset, me in omnibus notis secretioribus, quae de sermo. rege meo Joanne habueram et rex ipse de se habuerat, praesertim cum dno. Colocensi, per illam literam Q. ipsum Joannem regem designatum fuisse, sicut domino Plocensi tunc statim in cifris praesentibus ostendi non parum hanc rem admiranti. Nam versiculus primus, quemnam demonstret, non est difficilis conjectura. Cetera quae sequuntur non intelligo. Davus enim sum, non Oedipus. Utinam vero vel ista, quae intelligere videmur, non sint aegroti insomnia vana, ut ille ait, sed quicquid sint, nobis cum dno. reverendissimo aliquid inter tot atrocia mala consolationis attulerunt. Ego quamvis nihil certae spei videam, videor tamen non ex istis vanitatibus, sed nescio ex qua causa non omnino desperare. Sed super hujusmodi incertis spebus non sum aedificaturus turrim Babel, sed, quantum in me erit, solida et firma consilia et daturus et secuturus. Volui haec jussu potissimum dni. mei reverendissimi[1]) vrae. rmae. Dtioni. facere nota, in cujus gratiam me ac servitia mea humiliter commendo. Quam optime valere ac felicissimam esse cupio. Ex dobra woda,[2]) vellem potius ex dobro vino, sed illud amisso Sirmio perdidimus. Dat XXIII Aprilis 1528.

219. Lucas de Gorka, castell. Posnaniensis, Ferdinando, Ungariae et Bohemiae regi.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny.)

Serenissime princeps et domine, domine clementissime. Post obsequiorum meorum in gratiam s. Majestatis vestrae commendationem. Cum hinc discederet magnificus dominus Petrus Opalenski, castellanus Miedzirzecensis, meus ex sorore nepos, ad s. Majestatem vestram et imperialem istam diaetam serenissimi d. Poloniae regis etc., domini mei clementissimi,

[1]) W kod. Karnk. dopisał Górski: Plocensis. — [2]) Dobra woda, wieś kościelna w powiecie Stopnickim, przy drodze z Buska do Korczyna.

mentissimi, orator, existimavi officii mei esse literis meis s. Majestatis vestrae incolumitatem invisere, congratularique ejus tam fortunatis successibus et quod ita divinae providentiae arbitratu in asserendo Ungariae regno compos voti facta sit s. Majestas vestra. Utinam tam pium studium, tamque sanctum propositum assumpti tam florentis olim regni, cum in amplissimam s. Majestatis vestrae gloriam, tum in universae christianae reipublicae saluberrimum praesidium, dominus Deus perpetuo fortunarum incremento promovere dignaretur, id quod ego fidelissime deditissimus s. Majestatis vestrae servus illi cuperem. Cum his me in gratiam s. Majestatis vestrae diligentissime commendo et plurimum rogo, quo me gratia sua complecti velit, certo id Majestati suae de me persuadens, me ejus animi esse, qui cum summa alacritate cuperem omnibus in rebus s. Majestati vestrae morem gerere, quam d. Deus diu sanam et felicem pro gratia sua servare velit. Datum Posnaniae XXIIII die aprilis anno domini MDXXVIII.

Sacrae Majestatis vestrae servitor

Lucas,

comes et castellanus Posnaniensis et capitaneus, subscripsit.

Teki Górskiego, nr. 938 (minuta Tomickiego). Kod. Karnk. X, 103. Kod. Sap. VII, 93.

220. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Joanni, regi Ungariae.

Serenissime princeps et domine, domine clementissime. Post servitutis et orationum mearum humilem commendationem. Veniens ad me is nuntius et secretarius Mtis. vrae. utrumque mihi nomine Mtis. vrae. diligenter exposuit et qua scilicet res Mtis. vrae. in praesens premantur necessitate et quid demum illa sua causa me facere vellet. Ego vero pro eo, quod Mtem. vram. summo studio et observantia prosequor, simul et illud contigisse rebus Mtis. vrae. aegerrimo tuli animo et me ejus nunc esse repertum facultatis, ut minime potuerim obsequi Mtis. vrae. voluntati et necessitati inservire. Etenim non multo ante quod in numerata pecunia habebam, in usus et negotia Majestatis vestrae interveniente dno. Antonio Rincone, oratore christianissimi dni. regis Galliae, liberaliter erogavi, quare plurimum rogo Mtem. vram., ut hanc excusationem meam ab optimo profectam animo boni et aequi consulere dignetur, illud subinde intuens, quod si per aegritudinem mihi licuisset, nunquam omisissem profecto, quin ad Mtem. vram. illa praesertim id cupiente accurrissem, de illius optimo quoque statu pro tenuitate ingenii et consilii mei consulturus; quod tamen cum praesenti mihi facere non liceret, internuntio rmo. dno. episcopo Sirmiensi, quatenus in me erat, praestiti, illi siquidem omnia communicavi, quae maxime in rem Mtis. vrae. conferre sum arbitratus. Quam enixe rogo et obsecro, ne istis quibuscunque externorum principum promissis tantopere confidat, quibus parvo abhinc intervallo et sermum. olim dnum. Ludovicum, Ungariae et Bohemiae etc. regem, et innumeros alios principes pessumdatos esse non ignorat. Commendo rursus me et obsequia mea gratiae et favori Mtis. vrae. eamque sanam, felicem et incolumem esse summopere desidero. Datum in Bodzanczin die Scti. Marci apostoli. A. d. 1528.[1])

[1]) D. 25. 4. 1528.

221. Stephanus Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 937 (list oryginalny).
Kod. Karnk. X, 104.

Reverendissime domine, domine colendissime, servitutis commendationem. Eo ipso die, quem vra. rma. Dominatio praefixerat, perveni ad Tarnowo ad Mtem. regiam, dominum meum gratiosissimum, ubique in bonis ac per praedia ac possessiones vrae. rmae. Dtionis. ita acceptus, ut quoad amorem et humanitatem viderer mihi esse domi meae, quoad lautitiam et magnificentiam in domo et bonis reverendissimi domini mei, domini Cracoviensis, pro quo et pro cetera vrae. Dtionis. rmae. maxima in me gratia ac beneficentia non cessabo vrae. rmae. Dtioni. perpetuo agere grates et precari Deum, ut ipse referat, cum ego non sim referendo.

Reperi Mtem. regiam sanam at laetam, quae me excepit magna laetitia et favore. Commendationem vrae. rmae. Dtionis. accepit gratissimo animo, doluit de adversa valetitudine. De aliis scribam cras, nam illas literas spero celerius ad vestram Dominationem rmam. perventuras, quam has.

Is dominus Stanislaus exhibuit mihi ex praecepto vestrae Dominationis reverendissimae summam humanitatem. Credo ipsum alioquin etiam sine mea commendatione esse gratum et acceptum servitorem vrae. Dominationi reverendissimae ob servitia. Supplico humillime, dignetur meorum etiam servitiorum contemplatione aliquid ad pristinam suam erga eum gratiam adjungere, quod et ipse enitar omnibus modis reservire vestrae Dominationi reverendissimae, in cujus gratiam me ac servitia mea humillime commendo. Quae felicissime valeat. Ex Tarnowo XXV. Aprilis. Anno domini 1528.

222. Sigismundus primus, rex Poloniae, Petro Tomicio, epo. Crac., vicecancellario, et Christophoro Szidlovicio, cast. Crac., cancellario.

Kod. Sap. VII, 88.
Kod. Wojcz. nr. 176.

Allatae sunt nobis literae sermi. regis Ferdinandi aspere ac minaciter scriptae, quibus, cum apud regem illum nuntium nostrum habeamus, visum est per eundem Mti. suae cum consilio vestrarum Sinceritatum respondere opportunum magis quam per literas. Rescribi tamen mandavimus, quae licet prioribus literis nostris satis abunde responderimus similibus scriptis Mtis. suae, nunc autem iterum istis ultimis allatis per nuntium nostrum, quem illic ad Mtem. suam misimus, respondere voluimus. Nobisque videtur in eam sententiam respondendum: Nos videlicet sermo. Joanni, regi, nulla unquam consilia aut auxilia adversus Mtem. suam praestitisse neque clam neque palam, atque ideo non bene Mtem. suam fuisse de contrario informatam. Nam si voluissemus ferre suppetias regi Joanni, potuissemus utique non levi gentium praesidio ex hominibus magis cordatis augere exercitum ipsius, neque istud celare voluissemus, qui non sumus soliti simulare amicitiam cum ullo principe, immo subditos nostros aliquot, qui possessiones in dominiis nostris habent et ad sermum. regem Joannem militatum erant profecti, mandatis nostris in ipso nostro ex Poloniae regno discessu revocari commiseramus; qui prius redierunt ad sua, quam literae nostrae ad illos perferri potuissent.

Rinconem

Rinconem autem, Christianissimi regis oratorem, jam dudum per nos absolutum neque in aula deinde nostra versatum esse. Quid ille clanculum in angulis gesserit, nobis non fuisse cognitum, quem tamen deinceps talia audere non permittemus. Prohibere autem illi, ne in regno nostro maneat, quomodo honeste possimus, non videmus, quando ille et reditum ad principem suum sibi non patere et alias hic morae suae rationes afferat.

Rumoribus ac famae jam multifariam sparsae si nos quoque fidem vellemus dare, omnia vincula mutuae et bonae vicinitatis rumpi permitteremus. Sed quia sinceriter et non fucate omnia cum omnibus agere soleamus, ventos istos facile contemnimus et amicitiam semel initam perpetuo, quantum in nobis est, conservare solemus, neque aliud nobis ab illius Mte. pollicemur.

In hunc sensum videtur nobis danda informatio, cui non abs re annectendum esset de hostilitate, qua exercitus Mtis. suae adversus subditos nostros sine causa, sine denuntiatione ulla perpetravit, siquidem verum est, quod significatum fuit de depopulatione oppidorum nostrorum in Scepusio.

Curabunt denique Sinceritates vestrae quam citissime vel per hunc Gersdorf vel per alium quempiam mittere ad Opaleniczki, oratorem nostrum, instructionem, quam conficient vestrae Sinceritates, quibus permittimus mutare vel addere, ut melius magisque ex re et dignitate nostra opportunum videbitur.

Scripserunt etiam ad nos subditi nostri ducatus Masoviae offerentes nobis sex grossos duntaxat ex singulis laneis agrorum suorum pro defensione Russiae hoc anno, uti ex exemplo literarum illorum cognoscent vestrae Sinceritates. Nos tamen jussimus rescribi illis, nos nolle ab eis suscipere aliud, quam quod per nuntios nostros illis declaravimus, et nisi satisfacere curaverint desiderio ac voto nostro, ut et reliquos sex grossos pro festo S. Bartholomaei contribuant, non evasuros indignationem nostram. Et quid in hac quoque re nobis deinceps agere censebunt Sinceritates vestrae, quam celerrime significare curabunt nobis sententiam vestram. Nollemus enim ob illorum contumaciam suboriri difficultatem aliquam in extradendis publicis contributionibus regni nostri. Bene valeant vrae. Sinceritates. Datum Vilnae, 25 Aprilis Anno dni. (1528).

Scripsit quoque sermus. rex Ferdinandus hisdem fere verbis, ut nobis, sermae. reginali Mti., conjugi nostrae charissimae, cujus Mtas. etiam per literas suas ad Ferdinandum scriptas refert se ad ea, quae dicturus est nostro nomine orator noster, cui vestrae Sinceritates committent et significabunt, ut studium reginalis Mtis. erga regem Ferdinandum declaret, et alia Mtis. suae nomine dicat, quae ad bonam amicitiam pertinere videbuntur.

223. Bona, regina Poloniae, Ferdinando, Ungariae et Bohemiae regi.

Archiwum cesarskie we Wiedniu (list orygin.).

Serenissimo principi domino Ferdinando, Dei gratia Ungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regi, infanti Hispaniarum, archiduci Austriae, duci Burgundiae, marchioni Moraviae, comiti Flandriae Tyrolisque, imperiali locum tenenti etc., fratri et consanguineo nostro charissimo et honorando, Bona eadem gratia regina Poloniae, magna dux Lithvaniae etc. salutem, felicissimos ad vota successus et sincerae dilectionis uberrimum incrementum. Serenissime princeps et domine, frater et consaguinee noster charissime et honorande. Accepimus Serenitatis vestrae literas duriuscule perscriptas, in quibus de serenissimo rege et consorte meo colendissimo aperte conqueri videtur, ceu pristinae necessitudinis et solitae benevolentiae

benevolentiae immemore, quod Deus avertat. Nos quippe testes sumus, Majestatem suam non modo non mandasse, sed ne cogitasse quidem, quod Serenitatis vestrae statui et rebus officere posset. Quae autem hactenus successerunt, cognoscet plenius Majestas vestra ab oratore et nuntio suae Serenitatis, qui propediem ad Majestatem vestram venturus est. Illam igitur impense rogamus, dignetur vanos contemnere rumores et alienae jactantiae nullam adhibere fidem, sed de Majestate regia pariter et nobis id persuasum habere, quod a principibus inter se arctissimi foederis sanguinis et amicitiae nexibus colligatis exspectari potest meritoque debet, neque aliter rerum ipsarum experientia compertum habere poterit eadem Serenitas vestra, quam felicissime et victoriosissime valere percupimus. Datum Vilnae die 26 mensis Aprilis, anno domini MDXXVIII.

Ejustem Majestatis v. tanquam soror
B o n a regina.

224. Sigismundus primus, rex Poloniae, Ferdinando, Ungariae et Bohemiae regi.

Archiwum cesarskie we Wiedniu (list orygin.).

Serenissimo principi domino Ferdinando, Dei gratia Ungariae et Bohemiae regi etc. infanti Hispaniarum, archiduci Austriae, duci Burgundiae, Brabantiae, comiti Flandriae, Tyrolis etc. et imperii locum tenenti generali, fratri et consanguineo nostro charissimo. Sigismundus, eadem gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masoviaeque etc. dominus et heres, salutem et mutui ac perpetui amoris continuum incrementum. Serenissime princeps frater, et consanguinee noster charissime. Tametsi prioribus literis nostris declaraverimus habunde mentem nostram et eisdem ferme desideriis Majestatis vestrae, que ultimae ejus literae ad nos de . . . . nt (? declararunt), aperte responderimus, tamen quia in aliis certis negotiis delegavimus ad Majestatem vestram nuntium et oratorem nostrum, comisimus illi ut et ad . . . . ores (? ulteriores) vestrae Majestatis literas nostro nomine coram ex mente et designata voluntate nostra verbis respondeat, quem pro mutua charitate et conjunctione benigne atque literaliter audire et absolvere dignabitur Majestas vestra regia, quam felicissime valere optamus. Datum in civitate nostra Vilnae . . . . VI aprilis anno domini MDXXVIII, regni vero nostri anno XXII.[1])

Sigismundus Rex subscripsit.

225. Petrus de Septem Barbis, civis mundi et communis veteris fidei professor et theologus, nobili domino Jacobo Lachowski[2])

Kod. bibl. Kórnickiej pism Krzyckiego nr. 294.
Kod. Karnk. X, 261.
Kod. Sap. VII, 254.

S. P. D.

Perlegi, ut optastis, farraginem Differentiani cujusdam prophetae, ut videtur, ex grege illorum, qui sibi nunc provinciam corrigendi orbis sumpserunt: nova oracula Spiritus sancti tanto

[1]) List w kilku miejscach uszkodzony na składaniu arkusza. Uszkodzona data oznacza niewątpliwie die XXVI aprilis. — [2]) W Kod. Sap. zapiska Górskiego: Is Lachowski Cricio episcopo serviebat, qui Cricius ejusdem Lachowski nomine et Petri scripsit duas infrascriptas epistolas. — W Kod. Karnk. również zanotował Górski: Cricius fecit. — Jakkolwiek list niniejszy i następny są treści ściśle teologicznej, umieszczamy je tutaj już to dla tego, że wciągnął je Górski do swych kodeksów Tomicyanów, już też dla tego, że są przyczynkiem do charakterystyki Krzyckiego.

tanto postliminio in terram iterum demissi. Cui quid respondere opus habeatis, prorsus non intelligo. Nam quod ad proëmium ipsius farraginis attinet, nemo est christianorum, qui haec omnia neget, quae ille de fonte aquae vivae deque verbo Dei longis logis consartinavit. Sed interim monendus esset, ut doceat tandem, quid illis aut moribus ipsorum cum verbo Dei conveniat, qui nihil aliud ore nisi verbum Dei crepant, bachanalia vivunt et quasi illi, qui de virtute locuti, clunem agitent. Certum est, nullum esse adeo impudentem et perditum haereticum, qui non basim doctrinae suae ex verbo Dei statuat: qui non in rem suam illud citet, quod et daemon ipse, cum Christum tentaret, in alleganda scriptura fecit; verum quemadmodum in sumenda eucharistia usu venit, ut illam promiscue boni et mali sumant, illi ad salutem, hi vero ad judicium et damnationem, ita in scriptura divina tractanda contingit, ut alii ex hoc fonte hauriant aquas limpidas et proficuas, alii lutosas et turbulentas. Quod abunde Petrus testatur epistola 2, cap. 2, describens eos et quasi tabula depingens, qui post carnem in concupiscentia et immunditia ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, sibi placentes, sectas non metuentes introducere, blasphemantes etc., demum concludens eos esse fontes sine aqua et nebulas turbinibus exagitatas, quibus caligo tenebrarum reservatur. Doceat igitur, cum et boni et mali, etiam daemones verbum Dei allegare possunt, quonam tandem modo dignoscere potest quispiam, quali spiritu suggestore verbum Dei allegatur? Nam in hoc missus erat apostolis Spiritus Sanctus, doctor ille veritatis, ut suggereret illis et doceret illis omnia, quaecumque dixerat illis: quo, inquam, alio modo dignosci id possit, nisi ut Christus ipse docuit: ex fructibus eorum cognoscetis eos? Expendantur itaque fructus istorum novorum et illorum veterum apostolorum et qui successores eorum fuerunt, quorum doctrina coaluit et regitur ecclesia catholica. Nam quod Differentianus iste juxta rhetoricam numinis sui Lutheri objicit stolidissime nobis: Patres, patres, concilia, concilia, consuetudo, consuetudo, quid aliud quam ipsos etiam apostolos designat in illosque insignem blasphemiam committit, qui se invicem patres et fratres nominant, qui concilia in controversiis ecclesiae faciebant et illa non juxta scripturam, sed quod visum erat Spiritui sancto et illis, discutiebant et difiniebant? Nam dixit illis Christus: qui vos audit, me audit, non scripturam, et qui ecclesiam non audierit, sit ethnicus et infidelis. Consuetudinis etiam vim magnam facit apostolus et praesertim contra contentiosos, quales sunt seditiosi haeretici, epistola ad Corinth I: si quis videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque ecclesia Dei. Qua igitur ratione jactat os istud impurum: patres patres, concilia concilia, consuetudo consuetudo, scripturam praetexendo, quae bonis et malis communis esse potest? et cum scribere evangelium Christus non jussit sed praedicare, tantum abest ut absque ecclesiae authoritate et sensu scriptura quidquam ponderis habeat. Cujus traditiones et instituta si nihil valerent, neque evangelium quidquam valere posset, quoniam ecclesia illud approbavit et tenendum constituit.

Invehuntur scelerati apostatae judicantes praefectos et ministros ecclesiae catholicae, quasi contrarium facientes et docentes verbo Dei. Idque faciunt ipsi contra praeceptum divinum: Nolite judicare et non judicabimini, non respicientes interim trabes in oculis suis et vitam suam impuram et cynicam. Calumniantur illos imponere hominibus onera importabilia, eaque fortiter authoritate sui Belial abjiciunt, surda aure praetereuntes id, quod Christus sub hujusmodi declamationibus suis praecipiat, Mathaei XXIII: quae dicunt, facite etc. Criminantur et violant instituta jejunia, at Christus et saluberrima esse docuit, et ipse jejunando exemplum nobis dedit. Vociferantur in coelibatum clericorum, quem Christus per eunuchos, qui se causa regni coelestis castraverint, commendat, et reliqua omnia sancta instituta

instituta ecclesiastica, quae ex fontibus apostolorum et prophetarum emanarunt. Objiciunt incontinentiam sacerdotum catholicorum, quasi ipsi sint extra humanum modum sine culpa et crimine, aut quasi propterea malae sint constitutiones ecclesiae, quod illas multi homines transgrederentur. Nam eadem ratione mala erunt praecepta medicorum de custodienda sanitate, quod illa plerique non observent. At quanto sceleratius est per contemptum spernere praecepta et instituta majorum, quam illa per infirmitatem carnis transgredi. Ut igitur ad rem, quam prefatus sum, revertar, non intelligo prorsus, quid opus sit responsione huic cynico ad ea nugamenta et blasphemias coloratas, totque illius nihil ad rem facientibus allegatis, eandemque cantilenam canenti, quae jam vulgo et a cerdonibus, qui farinae ipsorum sunt, canitur impudentissime. Quae tandem aliquando finem cum cantoribus suis se dignum est habitura, quem habuerunt reliquae, quae nos praecesserunt, haereses innumerabiles. Nam ut breviter ineptiam hujus Differentiani vestri cognoscatis, in primis, quae de fide magnis allegationibus et signaturis in margine concenturiavit, eorsum deducunt, ut doceant solam fidem absque operibus justificare et sufficere. Cogitque divum Paulum reclamantem ita docere et decernere, non faciens distinctiones inter hanc et illam fidem, non temperans interim a morsibus in divum Stanislaum episcopum et martyrem,' quem Christus amicum suum per signa et prodigia jam pridem esse declaravit et declarat continue. Paulus vero apostolus manifeste docet, omnem sine distinctione fidem, etiam quae montes transferret, nihil esse absque charitate. Unde aperte constat teste Augustino, omnem fidem posse esse absque charitate annexa et nihil esse, igitur non justificare quemquam. Et cum fides ipsa sit opus, Joannis VI: hoc est opus Dei et credatis in eum, quem misit ille, dicere solam fidem absque operibus justificare, est dicere fidem absque fide justificare. Ad eum modum gannit, quod ipsemet nescit, convellendo non esse potestatem traditam hominibus peccata remittendi, quam Christus tribuit primum uni Petro: Quidquid solveris etc, deinde reliquis apostolis: Cui remiseritis peccata etc. apellatque hanc potestatem esse ministerium, quasi id quis nesciat aut neget, aut quasi non competat potestas ministris, cum ille eam concedat, cujus sunt ministri. Concluditque non esse sacerdotem vel episcopos alium alio superiorem: quasi in ministeriis ecclesiae et donis illi datis non sint gradus et ordines, quemadmodum in corpore diversa sunt membra, diversos actus habentia, ut Paulus liquidissime docet, aut quasi nihil praestarent duodecim apostoli illis aliis septuaginta apostolis, et illi rursum reliquae plebi, contra non solum scripturam, sed etiam rationem ipsam. Quam vere sit igitur iste, et a sensu verbi Dei et sacrae scripturae, ac prorsus etiam ab omni ratione Differentianus, in omnibus et per omnia a Christi et apostolorum doctrina differens, res ipsa indicat. Et proinde taedet et pudet ad reliquas ejus nenias rescribere quidquam. Illasque vobis remitto, ut suas istas isti suino prophetae egregias lucubrationes restituatis. Nam cum talibus non disputandum, sed illos vitandos, apostolus nos docuit. Et bene valete.

226. Jacobus Lachowski, eques auratus, eximio novae religionis doctori et apostolo Petro Differentiano S.[1)]

Kod. bibl. Kórnickiej pism Krzyckiego nr. 295.
Kod. Karnk. X, 262.
Kod. Sap. VII, 255.

Venerabilis et eximie doctor. Accepi literas vestras, quibus pro subdito meo intercedentes me docere conamini, solum peccatum esse non credere: non demereri misericordiam Dei jejunio;

[1)] W Kod. Karnk. dopisał Górski: Almano in Prussia ducali. — Cricius fecit. — Servitor Cricii (scil. Lachowski).

jejunio, castigatione, verborum murmure, pecuniarum oblatione, non fidendum bonis operibus: sufficere Christum pro nobis passum: nullum hominum potestatem habere peccata remittendi: errare illos, qui dicunt papam aut episcopum majorem esse in remittendis peccatis, quam plebanum aut officialem; confugiendum itaqe ad solam misericordiam Dei et per solam fidem justificari hominem et debitum illius remitti. Et ut fidem majorem huic doctrinae vestrae faceretis, notas in margine scripturarum addidistis. Miratus sum imprimis, quid in mentem vobis venerit scribere ista ad me, hominem militarem, quae dissident a traditione doctorum nostrorum. Bono enim judicio et bonis literis opus esset dijudicare, utri vestrum rectius iter doceatis. Non sum tamen adeo rationis inops, ut non intelligam tutius esse iter, quod universalis christianorum coetus sequitur, quam semitas innumerabilium, qui hactenus fuerunt, deviantium haereticorum, quae omnes in ignominiam et damnationem perpetuam adduxerunt. Non sum item adeo expers doctrinae evangelicae, quae in templis nostris assidue praedicatur, ut non plane videam vos esse re ipsa Differentianum a Christo, sicut estis nomine. Nam quod scribitis solum esse peccatum non credere: et solam fidem ad justificationem omnium sufficere absque bonis operibus: sequitur etiam daemones et nihil peccare et justos esse. Nam illi procul dubio credunt. Christus vero dicit, quod non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, nam ista vox est credentium, sed qui facit voluntatem patris mei. Et alibi inquit: si vis ad vitam ingredi, serva mandata Dei. Quae autem sint mandata Dei, satis clare scriptum est in veteri et novo Testamento. Inter quae sunt multa de orationibus, de elemosiniis, de jejuniis et his aliis, quae vos nihili facitis. Praecipiebat enim Christus apostolis sine intermissione orare. Docuit ejici daemonium non posse, nisi per jejunium et orationem, quod et ipse fecit. Docuit neminem sine bonis operibus coelum ingredi posse, cum de damnandis dixit: ite maledicti in ignem aeternum, esurivi et non dedistis mihi cibum, sitivi et non dedistis mihi potum, nudus fui et non vestivistis me. Eadem tradidit de oblatione pro emundatione sui, de castigatione per crucem suam, sine qua nemo illum sequi potest, quae passim obvia sunt in evangelio et scripturis. Tantum abest ut crux illius nobis sufficiat, nisi et nos illum cum cruce nostra sequamur. Aut igitur Christus tantum tribuens bonis operibus: aut doctor Differentianus illis nihil tribuens verum dicit. Non nego autem per fidem justificari et salvari homines, quamvis Scriptura non dicat per solam fidem, sed talem esse necessariam affirmo, qualem Christus ipse depinxit, quae solo jussu montes de loco in locum transferre possit. Talem fidem hactenus in his, qui solam fidem sibi sufficere putant, non video. Video quidem transferri monachas de monasteriis ad prostibula; video transferri cucullos in pennatos pileos, religionem, votum, jusjurandum, de modo in modum, de ordine in ordinem, de sacro in prophanum, virtutes in vitia et quid non? Montes vero transferri de loco in locum, adhuc non video. Nos igitur, qui ex infirmitate nostra tantam tamque sufficientem fidem habere non possumus, in illa sola spem nostram collocare non audemus: sed illam cum apostolo mortuam sine operibus esse profitemur. Ceterum quod scribitis, non esse hominis alicujus peccata remittere: Christus seducens apostolos in montem, dedit eis potestatem peccata remittendi, dicens: accipite Spiritum sanctum: quibus remiseritis peccata, remittentur eis. Et Petrus pastor universalis post Christum futurus, quaerit, quoties debeat remittere fratri peccatum suum: et accipit documentum: non solum septies, sed septuagesies septies. Igitur vel Christus ac ejus evangelium, ex quo id constat, datam esse potestatem hominibus peccata remittendi, vel doctor Differentianus vere ab illo differens verum dicit. Quod etiam subjunxistis non esse majorem papam vel episcopum

in

in remittendis peccatis, quam plebanum aut officiales suos: apostolus docet Christum in ecclesia non omnes dedisse aequales: sed alios quidem apostolos, alios prophetas, alios pastores, alios doctores, in opus ministerii et aedificationem corporis Christi, in eoque corpore membra esse diversa et diversos actus habentia. Absurdissimum enim esset et monstrosum, in corpore omnia membra esse aequalia, aequalisque virtutis ac potestatis. Docet idem Paulus omnem pontificem ex hominibus assumptum, pro hominibus constitui in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: qui condolere possit his, qui ignorant et errant, quod vere ad remissionem peccatorum pertinet. Unde vel Christus diversos ordines et potestates in ecclesia sua constituens, vel doctor Differentianus omnia aequans et confundens verum dicit.

Hactenus ad literas vestras satis, ne me hominem licet militarem ut christianum tamen christianae doctrinae adeo expertem credatis. Neve persuadeatis vobis me adeo essse levem et inconstantem, ut religionem meam, quam semel professus sum, deseram, quod ne Judaei quidem faciunt, aut quod ex coetu universalis ecclesiae tam facile ad criptas haereticorum deflectere velim.

De subdito meo, quem mihi commendatis, agam cum plebano vel episcopo meo, ut saluti illius, quam fieri potest, rectius consulatur. Differentianos doctores a doctoribus nostris nihil moror. Illi ut ceteri transibunt, verbum Domini manet in aeternum, hoc videlicet: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.

Addidissem vobis in margine notas scripturarum, ut vos fecistis, sed concordantias Bibliae in promptu non habui. Tamen et hoc ad tantum doctorem scribenti non videbatur necessarium. Precor vobis bonam valetudinem et precarer resipiscentiam, nisi apostolus tales vitare praecipiens, spem quodammodo resipiscentiae adimere videatur. Datum in pago Lachow 27 Aprilis 1528.

227. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Mathiae Drevicio, epo. Wladislaviensi.

Teki Górskiego nr. 2892 (minuta).
Kod. Karnk. X, 145.
Kod. Sap. VII, 143.

Reverendissime in Chro. pater et domine frater et amice mihi charissime ac honorande. Literae vestrae rmae. Ptis., nuper ad me datae, indicant illam non satis tenere, qui sit in praesens valetudinis meae status, cum mihi adhuc imbecillo et languenti, contrarium de me sperans, vra. rma. P. pro sua in me benevolentia et humanitate ex optima fuerit gratulata valetudine. Quam quidem ego gratulationem, tametsi minime valetudini meae congruat, quod ab optimo animo in me sit profecta, gratissimam et charissimam habeo, eamque vicissim vrae. rmae. P., cum convaluero, omnibus benevolentiae studiis et amicissimis officiis referre curabo. Quod vero queritur P. vra. rma. a domino palatino Juniwladislaviensi se esse gravi injuria et contumelia affectam, magnopere est mihi molestum et eo magis, quod in hoc meum quoque nomen est interpositum, quippe qui certo sciam ejusmodi accusationis me penitus esse innoxium, quae ita mihi falso quamvis et injuste attribuitur, ut dicar asseruisse, P. vram. rmam. in regia liberalitate ipsi dno. palatino Juniwladislaviensi multum nocuisse. Non enim ego consuevi unquam vel inimicorum meorum, nedum amicorum nomina in odium et invidiam alicujus hoc pacto adducere, quin immo Ptis. vrae. rmae. amicitiam et fraternum cum domino palatino amorem mirifice semper amavi cum ob alia multa tum ob id maxime, quod intersit Reipublicae publicorum

blicorum consiliorum principes concordes et unanimes inter se vivere. Quare plurimum rogo P. vram r., aboleat ex animo hanc inique de me concitatam suspicionem et operam det, ne vanae istae simultates in odia ad graviores cum domino palatino serpant inimicitias, cui ego etiam multa in eam sententiam scripsi et sum ipsum ad concordiam et odium deponendum exhortatus, expostulans primum cum ipso de hac tractationis injuria, qua me insimulare non est veritus, putoque, eum acceptis meis literis P. vestrae rmae. futurum obsequentem et amicum, quod quemadmodum ex progressu temporis continget, P. vra. rma. mihi per literas suas declarabit.

Nihil adhuc auditur de Turcis, hoc tamen certum est, illos aestate futura cum valido exercitu in Ungariam esse venturos in auxilium regi Joanni; ita enim narravit esse futurum Imbraym Bascha coram Ivascone Armeno, qui pro literis salvi conductus oratori regiae Mtis. ad imperatorem Turcorum erat missus, voluitque, ut id Mti. suae referret. Quae res quam utilitatem, ne dicam ruinam, afferet his regnis ac reipublicae christianae, quisque sapiens intelligere potest. Vestra rma. Dominatio felix et optime incolumis valeat meque, uti est solita, fraterno amore et benevolentia sua complectatur. Datum etc.

Teki Górskiego nr. 2901. (minuta).
Kod. Karnk. X, 116.
Kod. Sap. VII, 110.

228. Petrus Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Lucae de Gorka, cast. Posnaniensi etc.

Magnifice domine, domine et frater honorandissime. Proficiscente isthuc hoc servitore meo Czarnkowski nolui illum vacuum literarum mearum ad vestram Mgciam. venire, ad quam, tametsi non habeam nunc ullum scribendi argumentum, malui tamen literas carere argumento quam nuntium literis. Ego Dei benignitate jam ad portum meae bonae valetudinis pervenio, restat duntaxat, ut me ex hac longa et molestissima periclitatione reficiam et confirmem; id quod facile assequi possem, nisi domini consiliarii, qui Cracoviae sunt, me multis gravibus Reipublicae negotiis onerarent, quae ad me quotidie deferunt, volentes, ut illis cosulerem eaque pro captu ingenii mei absolverem. Quare multum perturbationis et inquietudinis mihi afferunt et miror plurimum, quod tam parvum mei et hujus meae adversae valetudinis habent rationem, scientes, cum sanus sum, ejusmodi et multo majora negotia absque cujusvis adminiculo causa Reipublicae et amore principis ac benefactoris mei me expedire solere.

Teki Górskiego, nr. 914 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 154.
Kod. Sap. VII, 152.

229. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, Joanni Karnkowski, epo. Premisliensi,[1] Christoforo Schidlowiczki, castel. Cracoviensi, Nicolao de Szidlovec, thesaurario regni.[2]

Reverendissime in Chro. pater, et magnifici dni., dni. et amici honorandissimi. Heri ad primum noctis crepusculum allatae sunt mihi literae Dominationum vrarum. una cum literis domini

[1]) W obu kodeksach mylnie: episcopo Vladislaviensi. Biskupem włocławskim czyli kujawskim był w r. 1528 Maciej Drzewicki, a Karnkowski postąpił na biskupstwo kujawskie dopiero w r. 1531. — [2]) W minucie w Tekach dopisał Górski: Cracoviae hi morabantur. Na brzegu minuty zanotował Górski: 1528 Martii. Data ta przedwczesna, bo list Łaskiego, o którym list niniejszy wzmiankuje, ma datę 14 kwietnia; zob. nr. 200

domini Hieronimi de Lasco ad regiam Mtem. missis. Quas literas ego, sicuti Dtiones. vrae. suadebant, resignavi illasque Majestati regiae mittere quam primum constitui, ut illius Mtis. voluntas saltem in hoc explorata nobis esse possit: retinendusne adhuc sit ad adventum dni. Laski dominus castellanus Lublinensis, prout ille in hisce literis suis petit et suadet Majestati regiae, necne? Quamvis ego dubitatione procul existimem consultius esse, illum absque ulla cunctatione proficisci, siquidem tanti esse non possunt ulli tractatus domini Laski et in rebus alienis et arduis curiositas, ut institutum nostri senatus certo ordine et judicio optimatum firmatum mutari vel tardari sua causa deberet, cum praesertim et imperatori Turcarum jam de hac oratoris nostri missione innotuit ab illoque sunt publicae fidei jam literae, quas salvum conductum apellamus, acceptae. Dominus enim Laski, uti ex literis ejus prospicere licet, injussus regiae Mtis. nomine indutias cum Turco accepit, conditionibus interjectis, ut rex Joannes adjuvaretur, quibus neque inhaerere neque assentiri Mti. suae licet, propter ea quod incertae fluxaequae sint et absque autoramento publico obtentae atque ita respublica sua cura et diligenti provisione negligenda non est vel in periculum conjicienda. Dominationes tamen vestrae, quid erit e republica, melius cognoscent ex argumento literarum domini Laski, quarum ego copiam extemplo ad illas mittam proprio nuntio, per hunc vero, quia jam in cursu erat, tantummodo ea attigisse volui. Commendo me et studia mea Dtionibus. vris., quas felicissimas esse et optime incolumes vehementer opto. Datum etc.

230. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 3236 (minuta z poprawkami Tomickiego.)
Kod. Karnk. X, 153.
Kod. Sap. VII, nr. 154.

Sacra regia Majestas et domine, dne. clementissime. Humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Heri bene sere allatae sunt mihi literae eorum dominorum Mtis. vrae. sermae. consiliariorum, qui nunc Cracoviae commorantur, una cum his literis domini Hieronimi de Lasko, palatini Siradien., ad Mtem. vram. datis, quas quidem literas, quia illi ita suadebant, ego resignavi primum et legi, tunc demum illas Mti. vestrae extemplo per hunc nuntium misi. Quamvis autem ego earundem literarum sensum et argumentum ejusmodi judicaverim, ut non existimem esse necessarium propter dni. Laski petitiones vel persuasiones dominum castellanum Lublinensem tantisper retinendum esse, dum ille cum Mte. vestra congrediatur, volui tamen requisitam quoque esse Mtis. vrae. in hac re voluntatem, ut illius jussu et imperio, non meo arbitratu, vel praestoletur adhuc ipse dominus castellanus Lublinen. adventum domini Laski ad Mtem. vram., vel iter institutum persequatur. Ego, ut iterum repetam, dubitatione procul existimo consultius esse, ut dominus castellanus Lublinen. absque ulla cunctatione proficiscatur, siquidem tanti esse non possunt ulli tractatus domini Laski et in rebus alienis et arduis curiositas, ut institutum Mtis. vestrae ejusque senatus certa ratione coeptum et judicio optimatum firmatum mutari vel tardari sua causa deberet, quum praesertim et Turcorum imperatori jam de hac oratoris Mtis. vrae. missione innotuit et ab illo sunt publicae fidei etiam literae, quas nos salvum condctum vocamus, acceptae. Dominus enim Laski, uti ex literis ejus perspicere licet, injussus Mtis. vrae. nomine indutias cum Turco accepit conditionibus interjectis, ut Mtas. vra. sermum. regem Joannem adjuvaret, quibus neque inhaerere neque assentiri Mti. vrae. licet propterea, quod incertae fluxaeque sint et absque Mtis. vrae. voluntate et publico autoramento datae vel acceptae. Atque propterea Respublica sua cura et diligenti

genti provisione negligenda non est nec in periculum conjicienda. Haec ego pro meo in Rempublicam officio et singulari erga Mtem. vram. observantia ita scripsi, Majestas tamen vra. pro summa sua sapientia et autoritate statuet et decernet, quod sibi suaeque Reipublicae utilissimum magisque honorificum videbitur.

Mitto item Majestati vestrae sermae. literas a domino castellano Cracoviensi ad me scriptas una cum exemplis literarum ab illustri dno. Cazimiro Tessinense ad se datarum, quas literas et exempla semotis arbitris et privatim domino Chojenski, archidiacono ecclesiae meae Cracoviensis, jubebit Mtas. vestra legere et sibi recitare, ut cognitis his, quae a Slesiae et Bohemiae principibus ac ordinibus adversum Mtem. vram. fiant et struantur, maturo et salubri consilio possit providere, ne Respublica detrimentum patiatur et subditi Mtis. vestrae in tuto esse possint. Commendo me iterum atque iterum gratiae Mtis. vrae. sermae., quam dominus Deus cum suis omnibus quam diutissime sospitem et felicissimam in sua gratia conservare dignetur. Datum.

231. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, Joanni Karnkowski, epo. Premisliensi, Chr. Szidlovicio, cast. Crac., cancellario, Nicolao Szidlovicio, cast. Sandom., thesaurario.

Kod. Karnk. X, 155.
Kod. Sap. VII, 153.

Reverendissime in Christo pater et magnifici dni., dni. et amici honorandissimi. Hodie ante meridiem misi nuntium vestrarum Dominationum ad Mtem. regiam cum literis domini Laski, scripsique Mti. suae, ut nos suae voluntatis faciat certiores: retinere ne adhuc, an sinere abire dominum castellanum Lublinensem debeamus? Ita enim videbatur negotium postulare, ut Mtis. suae regiae autoritas et judicium ei rei accedat, tametsi ego, prout per cubicularium Komorniczki scripsi, non muto sententiam: non esse scilicet operae pretium, ut dnus. Laski orator regius operiri debeat, qui nescio quibus gestis suis superbit et effertur admodum, tribuens multa industriae suae et laboribus boni publici causa susceptis, quod magis dilucide ex ipsius literis Dtiones. vestrae perspicient, quarum exemplum illis, uti sum pollicitus et quemadmodum ipsae optabant, mitto cum praesentibus, hoc primum illas rogans et admonens, ut interim, quoad redit iste a Mte. regia nuntius dominus, castellanus Lublinensis retineatur a profectione. Restat, ut me Dominationibus vestris ex animo commendem, quod facio libenter et una rogo, ut me sua amicitia et fraterna benivolentia complectantur, valeantque ipsae felicissime et diu incolumes. Datum.

232. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Joanni Tarnovio, comiti palat. Russiae, exercituum regni Poloniae capitaneo generali.

Teki Górskiego, nr. 2906 (własnoręczna minuta Tomickiego).
Kod. Sap. VII, 101.

Mgce. dne. frater et amice charissime ac honorandissime. Gravi ac dolenti animo accepi vram. Mgciam. subita et adversa valetudine correptam esse et quia subitis casibus subita

bita et praesentanea remedia sunt necessaria, utcunque ipse sim etiam nunc aegrotus ex febricula catarrali et tussi forti unumque tantum habeam medicum apud me, eum tamen mitto ad vram. Mgciam., ut interim consulat aegritudini illius, quoad alius medicus ad illam veniat, pro quo omnino mittat Cracoviam vra. Mgcia. et hunc meum doctorem Rawa ad me cito remittat. Quia salus vrae. Mgciae., charissimi fratris mei, non minus mihi chara est, quam mea propria, ideo solus licet aegrotus et medico indigens mitto hunc medicum meum ad vram. Mgciam. veniremque solus libenter et illi quam possem omnem opem et consolationem impenderem, si mihi per aegritudinem id facere liceret. Commendo me ex animo vrae. Mgciae, quam dnus. Deus cito restituat pristinae sanitati. Datum in arce.

233. Petrus Tomicki, epus. vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 1016 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 98.
Kod. Sap. VII, 89.

Sacra Majestas regia et dne. clementissime. Post humilem perpetuae servitutis et orationum mearum commendationem. Allatae sunt mihi literae Mtis. vrae. sermae. per Giersdorf, cubicularium, quibus Mtas. vra. serma. meae fortasse in se servitutis et observantiae memor pro regia sua clementia et benignitate dignata est condolere infelici ac molestae aegritudini meae, quam quidem Mtis. vrae. sermae. pietatem et gratiam et Deus Optimus Maximus amplo fenore retribuet et ego quoadusque vixero cum omnibus meis diligenti studio, fide et integritate mea promereri curabo.

Legi, serme. rex, et eas literas, quas ad Mtem. vram. satis imperiose et contemptibiliter sermus. rex Ferdinandus scripsit, neque potui sane id non graviter et moleste ferre, cum intelligam Mtem. vram. sermam. immeritam non levi calumniae injuria affici, quod videlicet attribuatur Mti. vrae. in eisdem literis, contra officium fraternum et promissa sua esse sermum. regem Joannem subsidiis adjutum, quae tamen Mtas vra. serma. e contrario teste me et aliis multis non modo non fecit, verum etiam nihil hic reliquit intentatum, quo possit et promissis suis et amicitiae ac fraterno amori sermi. dni. regis Ferdinandi cumulate respondere, quare ego cum non parvo intervallo locorum a mgco. dno. castellano Cracoviensi disjunctus essem (cui conjunctim mecum conficiendae responsionis ad eas ipsas literas datum erat negotium), curavi ipse quantum in me erat majoreque qua potui industria immodestae ei acerbitati sermi. regis Ferdinandi respondere. Scripsi siquidem ejusmodi instructionem dno. Opaleniczki, castellano Myedzirzecensi, qua facile poterit dignitas, amplitudo ac etiam integritas et innocentia Mtis. vrae. sermae. defendi et sustineri.

Ceterum non multo ante fuit apud me dnus. Joannes Tanczinski, castellanus Lublinensis, ad imperatorem Turcarum et palatinum Moldaviae orator profecturus, cui plenam et copiosam utriusque legationis dedi instructionem. Dedi etiam ei binas literas publicae fidei seu salvi conductus, alteras Turcico seu Arabico, alteras vero Italico sermone scriptas, quas hic ad me obsignatas adhuc Iwasko, Armenus, attulerat. Illarum vero Italicarum excipi jussi exemplum, quod nunc Mti. vrae. sermae. mitto. In quo quia sunt quaedam obscure posita, praesertim de oratore serenissimi regis Joannis, ut a Mte. vra. serma. facilius intelligantur, describi quoque feci interrogatorias quasdam clausulas, quas Iwasko de variis rebus ab Imbraym Bassa et palatino Moldaviae quaesitus, ex ordine in pugillaribus connotatas hic apud me recitavit, easque etiam vestrae Majestati serenissimae mitto cum praesentibus.

Venerat

Venerat huc praeterea nuper, serme. rex, et dnus. Opaleniczki, ad regem Ferdinandum et conventum Imperii nuntius designatus, cui etiam non minoris lucubrationis et operae instructio est a me data et conscripta et certe is scribendi labor tametsi mihi aegro videri posset propterea gravis, quod aliorum in Reipublicae muneribus et honoribus aeque participantium otiosam esse operam vel turbulentissimo nunc rerum statu videam, tamen minime persuadere possum mihi, id posse esse molestum, quod ego in gratiam Majestatis vrae. sermae. facio, pro cujus dignitate et splendore, si vitam exponam, non videar mihi vel minimam partem illius in me benignitatis et gratiae assecutus.

Restat adhuc dnus. Vietzwienski, castell. Plocensis, ad sermum. regem Joannem instruendus, qui etiam, cum venerit ad me, ordinate conscriptam legationem est habiturus. Si autem ille vel neglexerit vel deseruerit sibi demandatam provinciam, alteri id alicui, si videbitur Mti. vrae. sermae., negotium curandum committam, mihi enim videtur indignum, uti et antea Mti. vrae. scripsi, ut vel decreta publici conventus in irritum deducantur, vel sermus. rex Joannes a Majestate vestra ceteris inferior habeatur; qui quanti nunc sit faciendus, Turcorum docent sermones, quos Mtas. vra. s. ex capitulis istis Iwaskonis, Armeni, plene perspiciet.

Mitto insuper duo brevia, unum Mti. vrae., aliud sermae. ejus conjugi, dnae. reginae, a Pontifice Maximo missa, adjunctis etiam literis rmi. dni. Sanctorum Quatuor cardinalis, qui literas provisionis rmorum. Plocensis et Premisliensis episcoporum ceteraque omnia negotia, uti scribit, ex voluntate Mtis. vrae. sermae. diligenter confecit praeterquam suffraganei mei negotium, quod nescio cujus culpa vel negligentia impeditum adhuc illic haeret, tradita quamvis a me et per argentarios Romae numerata sit pecunia, quae ad omnem in hac re sumptum faciendum erat necessaria.

Quod ad nobilitatem ducatus Mazoviae attinet, censeo ego ingenue et absque quavis vacillatione ita esse faciundum, ut Mtas. vra. serenissima pro jure et imperio suo mandet et praecipiat illis quam primum, integrum fertonem contribuere polliceaturque illis vicissim, illorum se jura et privilegia in conventu regni generali futuro esse confirmaturam, quemadmodum jam ante quoque Warschowiae id illis datis literis Mtas. vra. se facturam promisit, vereor enim, ne, si illi negligentes fuerint in contribuendo, aliquid novi motus et difficultatis in communi regni nobilitate suboriatur.

Postremo loco ut sermus. rex Joannes a finibus regni digrediatur longius, suggeram id et insinuabo alicui ex ejus consiliariis, quibuscunque modis magis potero, verum tamen interea credo et id et cetera multa Mtem. vram. ipsam esse constituturam cum oratoribus illius Mtis., qui nuper ab ipso ad Mtem. vram. sermam. sunt profecti, a quibus etiam non dubito Mtem. vram. omnia consilia et quid undecunque illius Mtas. speret esse planissime cognituram. Quae res magno erunt adjumento Mti. vrae. sermae. ad tractanda deinceps recte omnia, quae iu eo rerum statu cum principibus christianis erunt vel per literas vel per nuntios communicanda. Ego vero, uti et antea semper feci, dignitatis et amplitudini Mtis. vrae. sermae., quantum per aegritudinem meam licuerit, non sum in ullo defuturus. Cui supplico humiliter, ut me in sua gratia et clementia regia fovere et conservare dignetur. Dominus Deus servet quam diutissime Mtem. vram. cum serma. conjuge et augustissimis ejus liberis incolumem et felicem. Cui me iterum suppliciter commendo. Datum etc.

234. P. Tomicius, epus. Crac. vicecancellarius, Bonae, reginae Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 1026 (minuta) [1])
Kod. Sap. VII, 112.

Serma princeps et dna., dna. clementissima. Post humilem servitutis meae commendationem. Ingentes et immortales ago et habeo Mti. vrae. sermae. gratias, quod suis ad me datis literis aegritudini meae condolere non sit dedignata. Quam Mtis. vrae. clementiam et pietatem summus Deus pro merito justa sua gratia referet, ego vero, quantum valuero, conabor id ubique et cum meis omnibus servitute et observantia mea Mti. vrae. sermae. semper promereri. Sed haec adhuc aegritudo mea non me dimittit contraque omnem voluntatem meam hic detinet, ubi majore cum diffilcutate praestare possum ea officia, quae et sermo. domino meo et Reipublicae a me debentur. Spero tamen in dno. Deo, quod cito pristinam recipiam sanitatem et Cracoviam me conferam. Quod scripsit Mtas. vra. serma., ut sacerdotium juris patronatus mei in ecclesia Sandecensi, post obitum Francisci illius capellani vacans, in illius tradam dispositionem, sum assensus omni cunctatione procul ei Mtis. vrae. voluntati, obrutus tametsi familiarium meorum id impedientium precibus, qui una mecum assiduo munere scribendi hic et ubique sermae. regiae. Mti. propterea maxime se servire commemorabant, quod sperarent meis saltem provisionibus, si regiis non liceat, eorum operae et servitutis debitam aliquando gratiam relatam iri. Quare Mtas. vra. serma. nominabit, quem a me instituendum ad id sacerdotium volet et ego libenter mandatis vrae. sermae. Mtis. obtemperabo, cui semper parere et obsequi sum solitus.

Reddidi literas Mtis. vrae. sermae. domino Opaleniczki eumque instruxi, quibus verbis apud sermum. regem Ferdinandum Mtis. vrae. erga illius Celsitudinem benevolentiam et animi propensionem commendare debeat. Ceterum mitto Mti. vrae. sermae. breve apostolicum et literas rmi. dni. cardinalis Sctorum. quatuor coronatorum, quae non pridem ad me sunt allatae. Quod reliquum est, Mtem. vram. cum sermis. ejus liberis felicissimam esse et optime semper valere vehementer opto eidemque me rursus suppliciter commendo. Datum in Bodzenczin 1528.

235. Pars legationis a Sigismundo, rege Poloniae, ad P. Opaleniczki oratorem transmissa, qui in curia regis Ferdinandi legationem obibat.[2])

Teki Górskiego, nr. 3383 (odpis współczesny).
Kod. Karnk. X, 182.
Kod. Sap. VII, 176.

Majestas domini mei accepit non pridem literas Mtis. vrae. serenissimae, Viennae vigesima die Martii datas, quarum structura et verborum contextus acrimoniam novam et inusitatam prae se ferebat, quae cum neque conjunctioni mutuae et affinitati responderet neque pro meritis et ex dignitate suae Mtis. esset, mirata est plurimum Mtas. sua serma. et gravi ac molesto tulit animo, parvam sui et officiorum suorum in hisdem literis habitam esse rationem. Et proinde dedit mihi in mandatis, ut hoc pacto Mti. vrae. sermae. responderem: indignum sibi principio videri, vestram sermam. Majestatem vanis et incertis rumoribus ductam argumentationem apertam conscripsisse, qua officium et promissa Mtis. suae vocet sibi in suspicionem, quam etiam concludens dicat facta suae Majestatis videri

[1]) W Tekach zanotował Górski: non scribatur, — mimo tego wszedł ten list do Kodeksu Sapieżyńskiego. — [2]) W kod. Karnk.: Tomicius fecit ac misit; w kod. Sap.: a Tomicio conscripta.

videri jactationi adversarii sui respondere, cum tamen ex contrario omnium rerum progressus et exitus documento esse possit, Mtem. suam sermam. constantissimam in promissis, in officio facillimam, in amicitia denique conservanda diligentissimam semper fuisse; nam non modo non juvit adversarium Majestatis vestrae sermae. in aliquo Mtas. sua, sed etiam, uti erat pollicita, severissimis edictis propositis subditos contra illorum libertates ab illius militia revocavit. Quae res quantam commoditatem capiendarum urbium et arcium regni Ungariae occupandi et victoriae consequendae Majestati vestrae attulerit, cuilibet palam esse potest. Tametsi enim aliqui, dicto Mtis. suae non audientes, periculo suo nec tamen impune illic remanserint, id quod et Majestatis caesareae et Majestatis sermae. aliorumque regum et principum plerique subditi, ab hostibus illorum saepius revocati, facere solent, nihilominus tamen commodum et utilitatem suam revocatio suae Mtis. est consecuta: si quidem veluti ad tesseram vel signum militum aliquorum excitata studia, ita quoque dominorum Ungarorum animi et voluntas, audita sententia et judicio Mtis. suae, quod tunc illis anceps et dubium videbatur, ab adversario Majestatis vestrae sunt ad illam subita quadam mutatione traductae.

Deinde cum Majestas domini mei amicitiae et conjunctionis mutuae violandae nullam nec scripto nec agendis rebus praebuerit causam, plurimum optat, ut in literis Majestatis vestrae sermae. aequa deinceps ratio dignitatis et amplitudinis suae habeatur, ne Mtas. vestra serma. videri possit, rumoris calumniam amori et constanti officio Majestatis suae praetulisse, quod nulla cujusquam cavillatione, ne dicam etiam ullis involucris et latentibus argumentis notari unquam possit in vitio, quippe quod Mtas. sua serma. palam et aperte, prout ejus dignitas postulare videtur, omnibus dolis procul, soleat autoritatem regum et principum omnium christianorum, praesertim vero necessariorum suorum, pro cujusque in se merito colere et observare, et si voluisset ferre suppetias adversario Mtis. vestrae, potuisset utique id non levi gentium praesidio et numero facere. Neque istud celare voluisset, ut quae non soleat cum ullo principe amicitiam simulare, nunc vero, quod ad Mtem. vestram attinet, nulla aliqua gratia, amor, affinitas denique ejusdem adversarii Majestatis vestrae tanti apud Mtem. suam esse potuisset, cujus causa Majestas sua animi sui propensionem et benevolentiam Majestati vestrae sermae. ex conjunctione debitam et promissam deberet immutare.

Rinconis facta quae fuerint antea, ignorabat Mtas. sua, cum ille longissimo intervallo ab aula Mtis. suae semper esset disjunctus, nunc deinceps, quae facturus est, non latebunt Majestatem suam, in quibus quidem dabit diligentem operam sua Mtas., ne quid ab eo fiat et admittatur, quod suae Mtis. officium et promissa arguere, vestrae vero sermae. Majestatis voluntatem irritare posset.

Receptu tamen eum prohibere in regno suo honeste quomodo possit Majestas sua, non intelligit, cum ille dicat, posteaquam apud Mtem. suam oratoris munere fungeretur, ita semper interclusum se fuisse et esse, ut redire tuto ad regem suum hactenus non potuerit nec possit.

Et quoniam in eandem quoque sententiam sermus. rex Ferdinandus ad Mtem. reginalem scriperat literas de eorum Polonorum temeritate conquerens, qui pro adversario suo adversum se arma sumpserant, et subinde monens fraterne, ut Majestas sua reginalis conjugem suum sermum. ad conservandam amicitiam cum Mte. sua hortaretur, orator debebit Majestatis reginalis Poloniae nomine plurimam sermo. regi Ferdinando salutem dicere: Majestatem suam reginalem ejus necessitudinis et amicitiae, que inter sermum. dominum Poloniae regem, conjugem suum, ac inter ipsum sermum. regem Ferdinandum intercedit,

cum

cum semper antea diligentem habuisse rationem, tum nunc maxime habere velle, cum ejusdem sermi. domini regis Ferdinandi literis de hac re fuerit admonita, neque desinere quidem omni studio et diligentia Majestatis domini conjugis sui animum inducere, ut omnia gerat et praestet erga illius Majestatem sermum., quae fraternus amor et promissa suae Majestatis postulare videbuntur, prout etiam certo sibi persuadet Majestas sua reginalis, Majestati sermi. domini regis Ferdinandi cognitum esse posse, conjugem suum serenissimum constantem et officiosum hactenus semper fuisse in his, quae ad bonam amicitiam et mutuum amorem inter eum et illius Majestatem conservandum videbantur pertinere, neque obnoxium aliqua ex parte esse eorum, quae rumoribus vanis et incertis hinc inde circumferuntur.

Quare rogat Majestas sua reginalis, ut sermus. rex Ferdinandus de Majestate domini et conjugis sui omnia sibi persuadeat et polliceatur, quae ab amicissimo quoque et benevolentissimo principe sperare et exspectare posset. Non fallet enim haec res Mtis. illius sermae. opinionem.

Ceterum ut se in amore et benevolentia sua regia conservare dignetur sermus. rex Ferdinandus, uti hactenus fecit, plurimum rogat Majestas sua reginalis.

236. Lucas de Gorca, castell. Posnaniensis, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny z własnoręcznym podpisem i pieczątką.)

Serenissime princeps et domine, domine colendissime. Post mei et perpetuae servitutis meae humilem commendationem. Accepi literas vestrae Majestatis singularem ejus clementiam et humanitatem faciles indicantes, quibus, quam grata illi sit mea erga ipsam Majestatem vestram propensio et affectus, quem me ex oratoribus erga se gerere cognovit, plane declarat et acta nonnulla Antonii Rinconis, oratoris christianissimi regis, et quorundam aliorum in se et subditos suos in regno suo Hungariae et circa fines ejus contra foedera antiqua cum hoc regno Poloniae pacta et rationes bonae vicinitati repugnantes commemorat, simulque me hortatur, ut, quantum in ipsis pactis et foederibus momenti collocatum sit, dispicerem et, ut illibata permaneant, tam apud sacram Majestatem clementissimi domini regis mei, quam alibi, ubi expediens et opportunum fuerit, agere et efficere pro virili mea curarem. Serenissime rex, ego cupiens mea studia, opera et observantiam meam erga vestram Majestatem omnibus in rebus ubique apparere, functus sum jam pridem officio boni ac deditissimi servitoris Majestatis vestrae, ac praestiti non gravatim ob singularem ejus complacentiam et honorem, quantum vires meae, qualescunque sint, sese protendebant. Verum quod attinet ad Antonium Rinkonem et quoscunque alios et eorum acta in regno Majestatis vestrae Hungariae et circa fines ejus, mihi plane constare non potuit longe ab illis oris disjuncto et hic in finibus Slesiae fere continue in administranda provincia et magistratu per serenissimum dominum regem meum mihi commisso versato, ubi quanta cura, studio et sedulitate pro conservanda pace et mutuo amore ac conjunctione inter Majestatem vestram et serenissimum dominum regem meum insistam, illustris princeps dominus Carolus dux Minsterburgesis, Inferioris Slesiae capitaneus, fideli testimonio edocere vestram Majestatem poterit, qui etsi eum dignitatis et praeeminentiae locum teneat, ut parvitas mea, parvo aut nullo esse illi usui commoditatique possit; tamen velim persuasum habeat Majestas vestra, ipsum studium, diligentiam, curam, omnem denique operam meam ei nullo unquam tempore defuturam in omnibus ejus desideriis et mandatis

datis. Et felicissime valeat Majestas vestra, quam dominus Deus diutissime incolumem conservare et prosperos ejus successus et regna magis in dies secundare et ampliare dignetur, cujus bonae gratiae me iterum atque iterum quam maxime possum ex animo commendo. Posnaniae, prima Maji die, anno domini MDXXVIII.

Ejusdem sacratissimae Majestatis vestrae
humilis servitor Lucas comes etc. ss.

Teki Górskiego, nr. 939 (minuta Górskiego z poprawkami Tomickiego). Kod. Karnk. X, 106. Kod. Sap. VII, 103.

237. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Sacra Majestas regia, dne. et dne. clementissime. Humilem servitutis meae commendationem. Non dubito constare jam Mti. vrae. sermae. magnam partem civitatis Cracoviae et totum ambitum Clepardiae, adjecto etiam vico meo episcopali Biskupie dicto, incendio esse consumpta,[1]) in quibus urbis regionibus multa magnifica aedificia aedesque sacrae corruerunt, Majestatis autem vestrae et cratis illa aenea cancellata et plurimae catapultae seu tormenta bellica violento igne sunt dissoluta, cetera et quae majora erant mediocriter ambusta; quae quidem singula, cum ad Mtem. vram. ii, qui interfuerunt, accesserint, subtilius et plenius Mtas. vra. serma. ex eis intelliget, ego enim certa adhuc de quaque re affirmare non audeo. Vermutamen in universum communis ejus calamitatis me miseret, cui saepissime ob magistratuum culpam et negligentiam res et supellectilis illorum civium ampla est multum obnoxia. Plane damnum hoc commune et jactura multa videntur postulare, ut et Mtas. vra. consilium capiat et primores illius civitatis aliquam ineant rationem, quo urbi illi in posterum optima aliqua custodia consulatur.

Ad haec scire velim Majestatem vram. sermam., binas me non pridem accepisse literas: a dno. palatino Sandomiriensi unas, a filio vero dni. Vincentii Swidwa de Schamothuli alteras, in quarum illis primis me faciebat d. palatinus Sandomiriensis certiorem,[2]) rediisse ex Turcia Iwaszkonem Armenum et literas publicae fidei oratori Mtis. vestrae illuc ituro attulisse, quem etiam feliciter omnia illic confecturum esse pollicetur, siquidem se certissimis asserit argumentis deprehendisse, imperatorem Turcarum postulanti Mti. vrae. sermae. vel triginta annorum indutias minime esse negaturum. Sed illum ait magno apparatu bellico iter Pannoniam versus jamjam meditari. Dominum vero Laski jam etiam absolutum illinc esse praedicat, sed multis insidiis sibi dispositis tardiorem et difficiliorem futurum illius reditum.

In iis autem alteris obitus fratris mei amitini dni. castellani Gnesnensis, qui jam pridem se, liberos omniaque denique bona sua mihi in curam et tuitionem meam tradiderat. Ejus vero magistratum et dignitatem Gnesnensem jam etiam ante Mtas. vra. serma. fratri meo dno. Nicolao, fideli servo suo, conferre dignata est, quod tametsi memoria tenere Mtem. vram. non dubitem, volui tamen officii majoris causa nunc id quoque illi commemorare et rogare, ne mutet voluntatem suam, quin etiam ratam habere velit eam fratri meo donationem, quod uterque nostrum omni fide et diligenti studio atque observantia Mti. vrae. promereri perpetuo studebimus.

Non

[1]) Górski dopisał datę: vigesima quarta Aprilis. — [2]) Górski zmienił ten ustęp w kodeksach w następujący sposób: Ad haec scire velim Mtem. vram. sermam., heri accepisse me literas a dno. Otta de Chodecz, palatino Sandomiriensi, quibus certiorem me facit etc... aż do: futurum illius reditum, poczem: Mortuus est frater meus, dnus. Swidwa, castellanus Gnesnensis, qui jam pridem etc.

Non omiserim autem et in hoc Mtis. vrae. sermae. requirere voluntatem[1]), quid me facere velit in negotio commisso dno. Joanni Wyeczwienski, castellano Plocensi, cui est decreta legatio ad sermum. dnum. Joannem, regem Ungariae: illumne etiamnum exspectem, qui jam multo ante Majestatis vestrae et meis literis monitus neque munus suum obire curat neque mihi quicquam respondet, an alium in hunc locum subrogem, ut et negotium finem capiat et ego in omnibus, quae a Mte. vra. serma. in mandatis recepi, videri possim diligens et sedulus fuisse. Cujus Mti. vrae. sermae. more meo me et servitutem meam rursus suppliciter commendo illamque cum serenissima sua prole semper felicem et diu incolumem esse vehementer desidero.[2])

238. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Bonae, reginae Poloniae.

Kod. Karnk. X, 131.
Kod. Sap. VII, 113.

Serma. princeps et dna. dna. clementissima. Humilem servitutis meae commendationem. Perspexi ex literis Mtis. vrae. sermae. cupere illam plurimum, ut ego per id tempus Cracoviae essem, quod etiam ego opto et laboro. In quo sane fuissem jam pridem et Mtis. vrae. voluntati et desiderio meo obsecutus, nisi me aegritudo mea, quae nunc etiam me non deserit, hic detinuisset; tametsi nihilominus hic manens et decumbens nullum praetermitto tempus in exercendis curandisque diligenter omnibus Mtis. regiae et totius Reipublicae negotiis, quippequi pluribus oratoribus et legatis foris ad varios princeps missis literas et instructiones copiosas nemine adjuvante conscripsi et dedi.

Faxit autem Deus Omnipotens, ut superata aegritudine mea cito me hinc absolvere possem. Cracoviam enim profectus vellem cum ceteris consiliariis sermo. principi nostro et illius reipublicae toto conatu, studio, industria denique et consilio, ita ut hactenus feci, diligenter servire.[3])

Scripseram paulo ante Mti. vrae. sermae. me assensum esse voluntati illius in conferenda cui vellet praebenda Sandecensi, post mortem sui capellani vacante, quod iterum et nunc scribo et reduco Mti. vrae. in memoriam, me paratum esse, quemcunque Mtas. vra. jusserit, ad hanc ipsam praebendam instituere et possessionem illi praestare. Quare Mtas. vra. faciat me tempori de hac sua voluntate certiorem. Et felicissime valeat cum conjuge sermo. et omnibus suis liberis, cui me rursus suppliciter commendo.

239. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 941[4]).
Kod. Karnk. X, 123.
Kod. Sap. VII, 123.

Serenissime princeps et domine, domine clementissime. Post humilem servitutis meae commendationem. Hodie allatae sunt mihi literae Mtis. vestrae sermae., in quibus cum multa continerentur, ad quae Mtas. vestra sententiam et judicium meum accommodare me voluit et praecepit, videbatur mihi ad rem pertinere, ut per singula capita ex ordine Majestati vestrae respondeam et ita planam atque dilucidam faciam omnem responsionis meae rationem.

Principio

[1]) Górski zmienił na: Requiro autem in hoc Mtis. vrae. sermae. voluntatem etc. — [2]) Górski dopisał: in Bodzanczin 1 maji 1528. — [3]) Na tym ustępie kończy się list ten w kodeksie Karnkowskiego. Następny ustęp tylko w kod. Sapieżyńskim. — [4]) List starannie przepisany, ale z poprawkami Tomickiego, i dla tych poprawek niezawodnie nie był wysłany, lecz jeszcze raz przepisany.

Principio scribit Majestas vestra serenissima, se petitionibus serenissimi domini Joannis, Ungariae regis et affinis sui, permotam dedisse illi in regno suo liberam manendi cum trecentis equitibus potestatem. Id ego Mtis. vestrae factum cum et antea magnopere probassem, nunc etiam mirifice laudo et commendo, est etenim ejusmodi, quo facile et Mtas. vestra serenissima summae pietatis nomen apud quoscunque christianos principes sibi comparabit, quod scilicet regem christianum, vicinum et affinem suum, variis casibus et gravibus periculis exagitatum ad extremumque jam bello et discordia suorum e regno pulsum, in dominio et tuitione sua conservavit, et quo item respublica christiana et singuli confines vicinique populi paci et quieti suae plurimum queant consulere. Nam ille hic manens nihil ejusmodi geret, quod vel pacem communem perturbare vel bonae vicinitatis et necessitudinis leges infringere posset, qui si ad aliquas exteras religionisque nostrae aemulas gentes profugisset, capere consilia potuisset, quibus et regnum Ungariae et multae aliae christianorum provinciae in perniciem devenirent.

Scribit deinde Mtas. vra., missum esse ad se exemplum earum literarum, quibus serenissimus dominus rex Ferdinandus oratoribus suis dare in mandatis videtur, ut apud Majestatem vestram serenissimam agerent et curarent, ne serenissimo regi Joanni receptum in regno suo dare dignaretur, si forte contigerit eum in dominia illius profugere, quibus certe nihil attinet Mtem. vram. permoveri neque illis, mea sententia, respondere quicquam est necessarium, cum rex ipse Ferdinandus non directe Mti. vestrae serenissimae, sed oratoribus suis scripserit, et illi contra non literas originales regis sui, sed exemplum earum miserint, cui quanta sit fides adhibenda, Majestas vestra pro sua summa prudentia facile conjicere potest. Cum autem idem serenissimus rex Ferdinandus in eam sententiam aliquid a Mte. vestra serenissima per literas postulaverit, tunc demum illi Majestas vestra suo consilio et prudentia freta, quod et se dignum existimaverit et rei negotium exigere videbitur, facile respondebit.

Tertio loco ponit in dubium Mtas. vestra serenissima, an secuta hac nova omnium rerum permutatione fuerit jam necessarium nuntiis Mtis. vestrae serenissimae ad serenissimos dominos Ferdinandum et Joannem reges proficisci. Ego vero id ita esse necessarium existimo, ut etiam magnopere doleam tantisper illos profectionem hanc neglexisse, quum et illud, quod communi decreto conventus praeteriti fuerit constitutum, immutare et irritum facere non est consultum et praesentium rerum status maxime ei legationi consentaneus esse videatur, quae suadendae concordiae et pacis praecipuam in se habet causam, et cum ego domino Opaleniczki praeteritis diebus frequentes ad discessionem stimulos addidissem, etiamnum id facere non desistam, cui etiam, cum ad me venerit, dabo consilium et instructionem sufficientem, qua ratione Mtem. vestram de recepto rege Joanne purgare et excusare ubique possit.

Postremo loco exponit Mtas. vra. serma., quemadmodum praefectus exercituum serenissimi regis Ferdinandi rogarit suo et principis sui nomine Majestatem vestram, ut serenissimum regem Joannem ita in regno suo continere velit, ut neque milites scribere neque quidpiam hostilitatis struere in ipsum regem suum et regnum Ungariae possit. Ei certe suadeo in hunc modum celerrimo quoque nuntio responderi: Mtem. vestram jam ante quidem multis argumentis ostendisse, quanto amore et benevolentia fraterna sermum. dominum regem suum prosequatur, quantumque illius Mti. faverit ac etiam nunc faveat, non secus quam filio suo, successus quam felicissimos, verum et nunc nihil se velle negligere, quo et illius Mtis. amicitia et mutua necessitudo et regni Ungariae societas ex jure viciniae debita conservari possit. Illumque posse illius Mti. id constanter et indubitate polliceri,

liceri, vestram Mtem serenissimam nullo pacto esse permissuram, serenissimum regem Joannem hic in regno suo aut exercitum comparare aut quicquam hostile in illius Mtem. et regnum ejus Ungariae machinari. Quod ut ad extremum Majestas vestra re ipsa ostendere et praestare possit, censeo pernecessarium esse iterum et literis et edictis publice propositis in universo regno expressam fieri prohibitionem: ne quisquam audeat deinceps sub poena publicationis bonorum suorum extra regnum ad militiam proficisci aut in exteris regnis stipendia facere.

Et ea ratione puto Majestatis vestrae officium apud quoscunque christianos principes futurum aequum et illustre, quod et serenissimo quoque domino regi Ferdinando optimam spem de Majestatis vestrae serenissimae in se amore et animi propensione poterit persuadere. Mihi autem si quid visum est in iis rebus, quod a Majestatis vestrae serenissimae voluntate discrepet, vehementer rogo, ut illud Majestas vestra serenissima singulari prudentia sua moderari meque et servitutem meam in gratia sua conservare dignetur. Quam ego felicissimam esse et incolumem vivere cum serenissima sua conjuge et sobole summopere desidero. Datum in Bodzanczin die Sancti Sigismundi. A. d. 1528.[1])

240. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius., Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 942.[2])
Kod. Karnk. X, 107.
Kod. Sap. VII, 107.

Sacra regia Majestas et domine domine clementissime. Post humilem servitutis meae commendationem. Cum ex Mazovia discedens Tarnoviamque versus ad sermum. regem Joannem proficiscens rmus. dnus. Stephanus Brodericus, epus. Sirmiensis, huc paulisper ad me divertisset, multa secum de conditione rerum et statu ipsius regis praesenti verba feci, ubi etiam consilium meum, quid censuerim illius Mti. deinceps faciendum, diligenter et sincero atque integerrimo animo exposui, inquiens non esse illi tutum deinceps vel suorum deditioni atque defectioni alicui[3]) vel externorum principum[4]) promissionibus confidere, cum et suorum sceleratissimo latrocinio aliquoties jam fuerit in gravissimum vitae periculum adductus et externa auxilia cum multos alios principes christianos tum etiam memoria nostra sermum. regem Ludovicum cum opibus suis pessundederunt. Quae omnia cum idem dnus. Brodericus pro sua in me benivolentia et mutua nostra veterique conjunctione et familiaritate illuc veniens regi suo fidelissime retulisset, scripsit ad me literas, faciens me certiorem, qua quidque voluntate et quo vultu singula consilia mea illius Mtas. excepisset, quarum ego literarum exemplum Mti. vrae. sermae. ideo mitto, quod ex illis credo omnia consilia ejusdem regis Mti. vrae. patere posse. Ego tamen ex literis istis perspicio, in omni meo sermone id tantummodo regem ipsum offendisse, quod de futuris rebus comminiscens et augurans in hunc modum fuerim ratiocinatus, quod scilicet secutis his adversitatibus et dominorum animis ab eo abalienatis in ea concordia et pace, quam legati Mtis. vrae. tractaturi essent, expedire dixerim ipsum sermum. regem Joannem se praestare debere aequum et facilem in his omnibus conditionibus suscipiendis, quas diademate primum victori concesso arbitri sibi aequas et honestas esse judicarent. Etenim si pertinax et obstinatus in ejusmodi rebus fortasse reperiretur, non putaverim tunc

[1]) D. 2. 5. 1528. — [2]) Minuta starannie przepisana, ale z poprawkami Tomickiego. — [3]) W Kod. Karnk. dopisał Górski: a Ferdinando. — [4]) W Kod. Karnk. dopisał Górski: principum Germanorum et regis Galliae.

tunc quoque Mti. vrae. liciturum esse receptum illi hic in regno suo dare. In haec demum ipsum stomachantem talia protulisse indicant literae dni. episcopi Sirmiensis: alia scilicet longe se sperasse et meritum esse de dominis Polonis et Mte. vra., quam quae nunc a nobis erga se fieri et verbis praedicari experiatur; multaque praeterea alia contineri in literis illis, quibus Mtem. vram. promisisse dicit, quod illum et domum ejus Scepusiensem nullo unquam tempore et casu esset desertura, multa denique alia quaerens et commemorans, quae ex earundem literarum dni. Broderici exemplo planissime Mti. vrae. sermae. apparebunt. Quas literas ego cuperem Mtem. vram. diligenter perspicere, ut cognitis ipsius regis Joannis consiliis Mtas. vra. suo judicio in omnibus rebus recte uti posset. Ego sane, quantum in me erit, non negligam Mti. vrae. scribere, quidquid ad illius dignitatem et amplitudinem ex progressu rerum pertinere arbitrabor. Quam nunc uti semper felicem et incolumem esse cum serenissima conjuge et liberis augustissimis vehementer opto et cui me et parvitatem meam iterum atque iterum suppliciter commendo. Datum in Bodzanczin die Sancti Sigismundi. A. d. 1528.[1])

Teki Górskiego nr. 2904 (własnoręczna minuta Tomickiego). Kod. Karnk. X, 108.

241. Petr. Tomicius, epus. vicecancellarius, Jo. Choienski, archidiac. Cracoviensi, praeposito Poznaniensi, secretario regio.

Venerabilis dne. frater in Christo charissime. Respondimus Majestati regiae ad ea omnia, super quibus visa est requirere per literas suas consilium nostrum. Quod autem videatur Majestati suae, ut nunc aliqui insignes oratores ad sermum. dnum. regem Ferdinandum mitterentur, nos sumus in alia sententia et censemus nunc primum pertentandum esse animum ejusdem regis Ferdinandi, quem habeat ad concordiam et pacem cum adversario suo ineundam, per eum oratorem, qui ad illum dudum est designatus, nam nulla firma pax et solida concordia concludi posset cum illo existente in Germania aut Bohemia absque dominis Hungaris. Sed cum declaraverit ille nunc animum et voluntatem suam de concordia et pace ineunda et similiter ille alter rex, ejus adversarius, ad quem designatus est dnus. castellanus Plocensis, tum demum necessario consuleremus mittendos esse insignes oratores in Hungariam et ibi de hac sancta pace et concordia tractandum, si quo modo honesto concludi possit, de quo nos multum dubitamus.

Cum ageretur in secreto consilio in fine conventus generalis regni praeteriti de absolvendis oratoribus et aliis publicis negotiis, ego nominaveram ad conventum Valachicum dnum. Crupski, castellanum Leopoliensem, quia vero intercesserant postea multae actiones et curae, quibus eram non leviter districtus, nam in me solum omnis moles publicarum expeditionum erat rejecta, non potui celerius significare id eidem dno. Crupski, quam per eos cubicularios, qui missi erant ad omnes palatinatus et terras cum literis universalibus et decretis generalis conventus scireque hactenus non valeo, an literae Majestatis regiae, quibus jubebatur ire ad conventum Valachicum praedictum, fuerint illi tempori redditae nec ne. Utcumque autem est factum, quum Wojewoda Moldawiensis non possit statuere legem Majestati regiae, ut illa mitteret ad conventus eos consiliarios, quos ille vellet, facilis esse potest hujus rei excusatio, praesertim cum non hac causa dissuerunt Valachi conventum pro administranda utrinque justitia designatum, sed ob intolerabilem apud eos, uti Podolitae scribunt, rerum omnium penuriam.

Scripsimus

[1]) D. 2. 5. 1528.

Scripsimus Majestati regiae de moliminibus regis Joannis et de spebus, quas habet adhuc ad recuperandum regnum suum. Cum enim iret non pridem ad illum ex Pultowsko dnus. Brodericus, epus. Sirmiensis, descenderat huc ad nos, cum quo nos pro veteri nostra cum eo consuetudine et amicitia multa contulimus de statu et adversa fortuna ejusdem regis Joannis multaque per illum sincero certe affectu et animo illius Majestati significavimus, hortantes illam ad ineundam concordiam et pacem cum rege Ferdinando, postquam a suis sit deserta et contempta et ne magnam spem collocaret in auxiliis et vanis promissis regum et principum externorum, quae et regem Ludovicum non multo ante et alios plerosque clarissimos reges et principes eluserunt et pessundederunt, prolixis verbis declaravimus et consuluimus. Quid autem illius Mtas. ad haec responderit et quo animo illa a nobis acceperit, copiose nobis dominus Brodericus perscripsit, cujus literarum exemplum nos mittimus Majestati regiae, ex quo singula et ea quidem secretissima Majestas sua plene cognoscet.

De conflagratione ferme medietatis civitatis Cracoviae simul et Clepardiae, vici nostri Biskupie, multarum sacrarum aedium et prope sexcentorum hominum utriusque sexus magnoque et prope inaestimabili damno, quod ibi in tribus ferme horis per ignem violentum est factum, ex aliis intelligetis. Bene valete. Datum in Bodzanczin.[1])

242. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Stanislao Borek de Cracovia, canonico Cracoviensi, wladario.[2])

Teki Górskiego, nr. 2907 (własnoręczna minuta Tomickiego). Kod. Sap. VII, 97.

Venerabilis dne., frater in Christo charissime. Gravi ac dolenti animo accepimus, ferme medietatem civitatis Cracoviensis cum ejus suburbiis, multasque aedes sacras insignes ac etiam non paucos homines utriusque sexus ignem nuper subito exortum miserabiliter absumpsisse. Facile enim conjicimus maximum ac prope irrecuperabile damnum pauperibus hominibus per tam ingens tamque subitum ac tumultuarium incendium esse illatum. Verum cum is tam acerbus casus nutu et voluntate Dei evenerit, ferendus est nobis omnibus aequo ac pacato animo et summo studio ac cura providendum, ut tam frequens ac prope anniversaria ignis eruptio civitatem istam affligere tantis damnis deinceps non possit.

Aegritudo nostra adhuc pertinaciter perseverat, etsi enim tussis in toto cessaverit, remansit tamen adhuc febricula lenta et magna stomachi debilitas, quae nos jam multum debilitavit, urinae continue apparent rubrae et tinctae, nullus adest comedendi appetitus, sputi et humiditatum magna continue exit per os copia. Accessit et aliud malum, defluxit enim nobis ad pedem dextrum humor quidam noxius, qui nervos sub genu occupavit cum aliquanto livore circa talos adeo, ut consistere in eodem pede nec illum extendere possimus, quo fit, ut ferme continue in lectulo decumbere nunc cogamur. Doctor Rawa nihil curae et diligentiae suae praetermittit, quo nos relevaret ab hac aegritudine, hactenus tamen nihil proficere potuit, quare reliquam curam et medelam nostri domino Deo commisimus et continue commendamus.

Cum

[1]) Górski dopisał na brzegu minuty datę: prima Maji, Kod. Sap. nie ma daty, — w kod. Karnk. dopisał ją Górski. Skoro list poprzedni Tomickiego do króla ma datę 2 maja, powinien i niniejszy list mieć tęsamą datę. — [2]) W Tekach tylko: doctori Borgk.

Cum aream in ferali a Mte. regia impetraremus, nihil sciebamus, quod aliqua illius pars fuisset cuipiam alteri donata, postea vero cum literas donationis nobis factae obsignare ad dominum castellanum Cracoviensem misissemus, retulit, Mtem. suam longe ante quadraginta ulnas ejusdem areae illustri domino Cazimiro, duci Tesznensi, pro construendis vivariis liberaliter donasse, illum vero sibi eas posthuc dedisse et resignasse, velle tamen se, cum isthic simul essemus, facile de eis nobiscum convenire et concordare. Quia vero non exspectato nostro istuc et suo adventu ipse dnus. castellanus Cracoviensis mandavit fodi jam in eadem area aliquot vivaria, non impediatis ejus laboratores in eorum labore, dummodo se intra limites suos contineant et aream nobis donatam non attingant, cujus alioquin, ut accepimus, sufficientem quantitatem et spatium satis amplum pro aedificandis stabulis et domibus pro conservanda familia stabularia ac etiam vivariis habebimus. Mittemus autem vobis per alium nuntium literas regias, quas super eandem aream impetravimus, ut sciatis, quantum spatium illius sit nobis donatum. Ceterum faciatis dari de praediis nostris fratri Dominico, suffraganeo nostro, unam pernam lardi, unam ollam buturi et unum chorum pisae. Si quid etiam dare potestis siliginis fratribus S. Dominici de Cracovia, id quod vobis videbitur, eis detis, nosque illorum orationibus commendetis et bene valete.

Teki Górskiego, nr. 2902 (minuta z poprawkami Tomickiego). Kod. Karnk. X, 114.

243. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Nicolao Tomicki, cast. Gnesnen. et Costen. Pisdren. Coninensi capitaneo ac praefecto stabuli regii.

Magnifice domine frater germane charissime. Certo nobis persuadebamus, dominum castellanum Posnaniensem missurum isthuc fuisse ad petendam castellaniam Gnesnensem pro suo filio. Sed bene et recte est factum, quod nos antevertimus et illius et multorum aliorum instantiam et preces. Nihil enim dubitamus Mtem. regiam non mutavisse nec mutaturam esse donationem ejusdem castellaniae Gnesnensis vobis ad preces nostras factam, quae vobis domuique et familiae nostrae felix faustaque sit, prositque vobis ad omnem felicitatem et majorum fortunarum incrementum.

Aegritudo nostra adhuc nos non deseruit, diminutus quidem est catarrus in magna sui parte, remansit tamen in membris corporis magna debilitas et stomachi mira imbecillitas. Quare cogimur adhuc eidem aegritudini nostrae indulgere et exspectare, quoad nos deserat, prout speramus in domino Deo illam cito a nobis abituram nosque ad pristinam sanitatem brevi esse perventuros. Non miremini autem, quod tam longo tempore decumbimus et aegri sumus; scitis enim, quod aegritudines nostrae, quibus plerumque affligimur, ut lentae sunt, ita non cito terminari solent.

Quod scripsistis nobis ex fraterno et sincero animo, ut temperaremus nimiis curis et laboribus, quibus continue obruimur, charissime frater, faceremus id libenter, quod suadetis, verum et Majestas regia et omnes domini, qui in officiis et honoribus Reipublicae aeque participant, omnia majora negotia ad nos referunt, de illis nos consulunt, volentes, ut nos primi de illis sententiam nostram feramus. Et proinde inviti certe cogimur votis et postulatis illorum satis facere, ne sub hac regiae Majestatis a regno absentia publicis necessitatibus defuisse videamur. Quamquam quidem non multum perturbant et molestant

stant nos hae curae et labores, quibus distringimur, nam, Deo sit gratia, in hac nostra aegritudine caput sanum et liberum habemus.

Uxor et liberi vestri bene valent omniaque apud eos per ministros vestros recte et modo debito administrantur. Felicissime valete et nos diligite. Datum etc.

244. Joannes, rex Ungariae, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 943 (odpis współczesny). Kod. Karnk. X, 109. Kod. Sap. VII, 108.

Rme. in Christo pater, amice nobis sincere dilecte. Quanto studio et diligentia institerimus ab initio, quo non vi, nec fraude, nec factionibus, sed Dei optimi nutu ac e libera omnium ordinum et populorum electione regni Hungariae gubernacula suscepimus, apud sermum. dnum. regem Poloniae, affinem et uti patrem nostrum charissimum, ut relictis nescimus quibus neutralibus, quibus timebamus jam tum, ne ejus Majestas involveretur, firma permaneret in illis foederibus, quae nobis tam publice quam privatim cum sua Majestate erant, vestra potissimum Dtio. nobis est locupletissima testis. Novissime in conventu etiam Petrcoviensi egerunt de hoc jussu nostro diligentissime oratores nostri, id quod etiam vestrae Dtioni. scimus abunde constare, allegarunt tam publice quam in privatis cum sua Majestate colloquiis praeter publica foedera illa etiam, quae sua Mtas. nobiscum habet privata, de quibus cum Majestas sua se dixerit non recordari, nos ad Mtem. suam per nostrum oratorem dnum. Colocensem misimus, hortati suam Mtem., vellet sicut princeps integer et constans ac promissi servator hujusmodi foederibus satisfacere et hanc ob causam superioribus diebus rogaveramus Dtionem. vram., ut ad nos venire vellet et ceteros quoque dominos idem facturos intuitu nostrae amicitiae cupiebamus. Ejus enim intentionis eramus, ut eam secrete consuleremus de hujusmodi vinculo, quod inter ipsum sermum. dnum. regem Poloniae, patrem nostrum charissimum, et familiam nostram intercedit, ne si per literas aut nuntios de eo cum Dtione. vra. ac aliis dominis tractaremus, videremur contra Mtem. suam in ammonitione, qua hujusmodi foederi satisfaceret, aliquid excessisse. Nam et literas ipsas ne oratoribus quidem nostris publicandas censueramus, ut id evitaremus; volebamus ergo Dtionem. vestram rogare coram, ut secretum consiliarium suae Mtis., ut et nobis consuleret: qualiter esset in eo procedendum et serenissimo domino regi suo persuaderet id, quod ex fide et devotione vestra erga suam convenit Mtem. — Cum ergo Dtioni. vestrae aliter visum fuerit et suum ad nos adventum differre, nostra autem negotia moram non patiuntur, ideo mittimus ad Dtionem. vestram his inclusum exemplum ipsius foederis, quod inter sermum. ipsum dnum. regem vestrum et nos firmatum est. Ex quo intelliget, nobis id, quod et hucusque semper ab initio petivimus et nunc petimus, fuisse et esse jure debitum neque id posse nobis negari, nisi cum maxima nostra injuria et non sine aliqua suae Mtis. apud justos hujus rei judices reprehensione. Si Mtem. suam et vestram Dtionem. non moverunt illa, quae toties per nos scripta et per nostros allegata sunt, ad dandum nobis auxilium contra injustissimum regni nostri invasorem et quietis publicae turbatorem, satisfaciat saltem sua Mtas. tam apertae ac tam firmae promissioni suae, quod non dubitamus suam Mtem. facturam, dummodo vestra Dtio. velit se pro hoc apud suam Mtem. interponere et ex animo id suae Mti. suadere. Si bene considerentur omnia, quae nunc in christianitate aguntur, quot et quantos hostes tam per Italiam ac Germaniam quam alibi istorum duorum fratrum insana dominandi ac

omnia

omnia per fas et nefas occupandi libido contra se concitaverit, quid etiam Turcus aget? Facile vestra Dominatio et unusquisque rectae rationis capax perspiciet, longe melius esse Mtem. suam, etiamsi nulla essent hujusmodi foedera privata, nobiscum esse conjunctam, quam cum adversario nostro tenere neutralitatem. De quibus rebus et de statu christianitatis atque etiam rebus Turcicis propterea ad Dtionem. vram. latius non scribimus, quod non dubitamus, haec ei constare. Quapropter rogamus vestram Dtionem., uti amicum praecipuum et singularem, ut illam, quam semper nobis et familiae nostrae ostendit amicitiam, in hac re velit comprobare. Illud vestram Dtionem. noluimus ignorare, Ungaros nostros non esse a nobis ita alienos, sicut adversarius noster persuadere vobis nititur; multi oppressi proditione paucorum et armis adversarii, quae tamen nobis non adeo potuissent obesse, quantum proditio paucorum nocuit, partim tacent et connivent, partim etiam ingemiscunt. Ubi undecumque vel pauxillum spei affulserit, non est dubium — nosque in hoc certi sumus — statim ad naturam suam et ad nostram obedientiam alacribus et promptissimis decurrent animis. Magna autem pars regni, etsi nos hic sumus, aperte nobiscum sentit, a quibus nunc etiam oratorem apud nos habemus primarium in regno virum, mgcum. Joannem Doczii, supremum regni nostri Ungariae tempore sermi. dni. regis Ludovici, domini et praedecessoris nostri, divae memoriae, thesaurarium, per quem nobis omnia pollicentur et paratos se offerunt pro nobis et nobiscum omnia extrema subire. Vestra Dtio. non existimet negotia nostra etiam in Ungaria, nunc pro magna parte per adversarium nostrum oppressa, esse desperata. Foris autem insolentia Ferdinandi adjungit nobis quotidie novos et magnos amicos, quos ne ipse quidem fortasse suspicari posset. Res ipsa brevi indicabit ita esse, sicut vestrae Dtioni. scribimus, nullum enim violentum creditur esse perpetuum. Nam qua alia arte ipse regnum nostrum invasit? quo alio fundamento est nixus, nisi parvis illis suis viribus, quas utcunque congesserat et illis magnam atque a seculo inauditam nostrorum — paucorum tamen — quibus nos summam rei nostrae permiseramus, proditionem coadunaverat? Rogamus itaque vestram Dominationem, ut his, quae scribimus, omnibus diligenter consideratis, eum favorem nobis praestare velit, quem possumus adhuc vestrae Dtioni. magnis et amplis praemiis rependere, id quod facere certe paratissimi erimus. Vestram Dominationem optime cupimus valere et eidem negotia nostra specialiter commendamus. Datum in Tarnow in festo Inventionis S. Crucis. Anno millesimo quigentesimo vigesimo octavo.[1])

Joannes rex manu propria.

Reverendissimo in Christo patri, domino Petro de Thomycze, episcopo Crac. ac regni Poloniae vicecancellario, amico nostro charissimo.

Teki Górskiego, nr. 3230 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 111.
Kod. Sap. VII, 109.

245. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Serme. princeps et domine, dne. clementissime. Post humilem perpetuae servitutis et orationum in gratiam Majestatis vestrae commendationem. Scripsit ad me his diebus literas sermus. dnus. rex Joannes, copiose in iis commemorans, esse quaedam pacta et foedera a se cum Mte. vra. serma. jam pridem inita et literis firmata, ob quae sola relictis etiam aliis suis ad regnum Ungariae vindicandum justis et legitimis adjumentis existimat ad dignitatem

[1]) D. 3. 5. 1528. — W Tekach na brzegu kopii mylna data: 4 Maji 1528.

dignitatem Mtis. vrae. sermae. et aequitatem pertinere, ut illius nunc adversam fortunam casusque infelices consilio et auxilio suo adjuvaret. Me vero plurimum rogat, ut hanc suam causam et petitionem precibus meis apud Mtem. vram. promoverem, scribens etiam alia multa et recensens ex ordine, quae in rem suam existimari possent aequa et praeclara spe firmata, quae ego, ne molestus fiam Mti. vestrae, hic non repeto, sed mitto et literarum illius et praenominati foederis exemplum, ex quibus Mtas. vestra serma. etiam plene perspicere et cognoscere poterit, in quo cardine res et consilia ipsius stent nunc et versentur, de iisque demum pro sua summa sapientia et autoritate regia, uti res postulabit, statuere dignabitur. Cui ego me et servitutem meam iterum commendo et opto vehementer, ut Majestas vestra serma. sit felix et optime incolumis cum suis charissimis et serenissimis conjuge et literis. Datum etc. in Bodzanczin.

246. Cornelius Duplicius Scepperus Joanni Dantisco.

Kod. bibl. Ks. Czartor. nr. 243 (list orygin.).

Salutem. Jam destinata est profectio mea in Poloniam. Alia enim negotia non obibuntur propterea quod ab Anglis nihil metuimus. Mutata est in totum illorum sententia et qui prius bellum voluere, jam pacem desiderare coguntur. Soli sunt rex cardinalisque: populus mirum quam caesari faventes. Si semel eo arma converteremus, protinus videre esset viam nostram. Magno suo bono abstinet uterque. Ibo ergo propediem, hoc est intra decem dies. Nam hactenus protracta res est consultationibus, cum determinandum esset, quid de Anglis dicendum esset. Campiductor noster magnus ille et insignis adhuc apud Brabantos versatur, nisi forsitan intra quatuor ab hinc dies abierit. Nam cum haec scribo, Brugis versor in eo negotio impeditus, quod mihi nosti cordi esse et procedit belle, immo ad extrema fere perventum est. Cum ex Polonia rediero, tum finis erit huic catastrophae. Redibo tamen ad vos, nam id non impediet. Major est enim utrobique virtutis honestique, quam aliarum rerum ratio. Sed haec hactenus.

In Germania mire tumultuatur. Nam cum statuisset Joachimus, marchio Brandeburgi, conjugem suam, sororem Christierni regis, aut igni tradere aut intra quatuor parietes inclusam fame enecare ob susceptum, ut ille ait, Lutheranum dogma, neque jam clam essent minae, illa sese nocte intempesta subduxit fugitque in Saxoniam ad avunculum. Hinc bellum Trojanum. Repetitur conjunx. Negatur. Genus belli par: causa impar. Nam illa aut sponte aut raptu, Paridis sane forma capta fugit. Haec metu mortis et instantis periculi coacta est sibi consulere. Hinc ergo maritus cum fratre Moguntino, illinc Saxo avunculus cum lantgravio Hassiae. Jam collecta sunt hinc inde aliquot milia equitum. Nescio quis finis futurus est. Scribam ad te copiose, cum in Germaniam pervenero. Nam hic ad manum non sunt characteres nostri, mansere enim Machliniae, quo ego jamjam festino.

Commenda me amicis omnibus et seni subinde per occasionem, veterem consuetudinem obtrudes. Nam ego ad illum scripsi, ex te intellecturum etiam alia quaedam de rebus meis, quae tu pro tempore et opportunitate facile poteris recensere. Si quid interim vacat, quod in rem meam sit, poteris amici munere fungi. Si quid etiam sit, quod ad tuos scribas, fac me illis commendes. Illmo. dno. Marchioni meo plurimum rerum saluta adjunctis triginta milibus bizolas manus, quarum decem milia altera Joannes Anthonius Marlianus sibi

sibi habeat, totidem tua et frater tuus Bernardus, nuntius Mariae duplum harum sibi retineat. Itaque omnibus has ex aequo impartire. Et vale frater amantissime. Ex Brugis Flandriae VI[a] die mensis Maji. A. domini MDXXVIII.

Tuus ex animo frater, quem nosti.[1])

Magco. et spectabili dno. Joanni Dantisco, regiae et reginalis Mtis. Poloniae oratori, dno. et fratri honorando. In curia caesareae Mtis. Dat. Brugis Flandriae 6 Maji. Red. Madritis 29 Augusti.

247. Sigismundus primus, rex Poloniae, Clementi Papae Septimo.

Kod. Sap. XVII, nr. 224.

Sme. etc. Accepi mense Aprili literas Sanctitatis vestrae datas XVI Januarii, quibus meis illis respondet, quas scripsi vestrae Scti. gratulando illi de superatis jam tandem illis difficultatibus et periculis, quae fato quodam inopinato urbem Romam et sedem vestrae Sctis. invaserant. Ex quibus quidem literis vestrae Sctis. summam cepi voluptatem, quod ex illis simul ac ex literis rmi. domini cardinalis Praenestini, protectoris regni mei, plane perspexi, qua benignitate et propensione paterna me Sctas. vestra complecti dignatur, exhibendo se uti pater benignissimus precibus meis tam facilem exorabilemque, quod vicissim erga vestram Sanctitatem pro mea veteri consuetudine et erga istam sanctam sedem solita devotione omni studio et observantia mea demereri curabo. Verum literae ipsius reverendi domini cardinalis, quibus addidit Sctem. vestram adversa valetudine laborare, me rursus non mediocriter perturbaverunt, nam ut omittam, quantum ego Scti. vestrae pro singulari ejus in me benignitate obstringor et quam mihi salus ejus chara esse debeat, intelligo etiam, quod nemo certe non intelligit, quanta in his malis nostris, quibus affligimur, jactura tranquillitati publicae et pernicies rebus christianis adderetur, si quid adversi valetudini vestrae Sanctitatis, quod omen Deus avertat, accideret, unde non possum non esse de salute ipsius animo sollicitissimo, precorque ut dominus Deus Sanctitatem vestram pristinae bonae valetudini, ut jam factum spero, restituat ac pro salute rei christianae et meo singulari solatio diutissime servet incolumem. Cui me iterum regnumque et dominia mea ac omnes res et negotia toto quo possum studio ac reverentia commendo. Et supplico, ut precum mearum, quas ex rmo. dno. cardinali Sanctorum quatuor coronatorum accipiet, benignam rationem habere dignetur, ut ejus regis, qui pro salute rei christianae ac sacrae sedis apostolicae honore et incremento nunquam a bellis et impendiis requiesco. Datum Vilnae, die VII Maji 1528.

248. P. Tomicius, epus. Cracoviensis, vicecanc., Jacobo Ssutz, praeposito Velunensi, canonico Gnesnensi.

Kod. Sap. XVII, fol. 147.

Venerabilis domine etc. Ab eo tempore, quo Sanctissimus dnus. noster cum curia sua contulit se Orrietum, nihil scire potuimus, ubinam gentium essetis, quae res nos non mediocri animi molestia affecit, nam non habuimus nec scivimus, cui res nostras et ecclesiae nostrae curandas apud sedem apostolicam committeremus, quae hactenus istic haerent, non sine maximo dispendio et incommodo nostro. Miramur autem nec mirari sufficimus, quod tamdiu

[1]) Że autorem listu jest C. D. Scepperus, okazuje się z listu Dantyszka do króla Zygmunta z d. 27 marca 1528 (nr. 156), jako też z listu Sceppera do Dantyszka w t. IX, nr. 123.

tamdiu differtur expeditio suffraganeatus nostri Cracoviensis et unio ecclesiae parrochialis in Vawrzinczicze, quae dudum absolvi poterant per breve apostolicum, praesertim cum dudum pecunia pro solvendis juribus camerae apostolicae misimus, quam vos cum domino olim Nicolao Gamrato, decano Plocensi, a Fuggeris accepistis. Gravem enim admodum jacturam sustinet universa nostra diocesis absque suffraganeo, quandoquidem nos ipsi magnis reipublicae curis et negotiis districti functiones pontificias obire commode non possumus; utcunque nunc soli omnia facimus, quae alias suffraganei nostri et praedecessorum nostrorum facere solebant, sed certe dum haec agimus, parum defuit quin nuper die coenae Domini in summum vitae discrimen incideremus: cum enim sanctum oleum et chrisma consecrassemus, febricula catarali cum tussi vehementi affecti, ferme in missae medio, dum praefationem ante canonem majorem cantaremus, in sincopim et totius corporis debilitatem incidimus, adeo, ut vix posthac rem divinam perficere potuerimus; perfecimus vero tandem illam cum Dei auxilio, aegre tamen, verum ab aegritudine nostra, quae tunc gravius commota est, nondum sumus liberi. Haec gratia refertur nobis a sede apostolica et ei praesidentibus pro nostra in eam summa observantia et veneratione, quod etiam ea, quae justissima sunt et nemini negari solent, per quindecem menses ab illa impetrare non possumus, cogimurque ipsi propterea cum magno salutis nostrae periculo omnia onera nostrae diocesis, quae, ut scitis, satis ampla est et in multis locis pestilentia infecta, sustinere. Rogamus vos, faciatis operam vestram apud rmum. dnum. cardinalem Sanctorum quatuor, ut jam tandem in justis postulatis nostris exaudiamur, vel saltem responsum habeamus, quid sperare ulterius et exspectare debeamus, ut sciamus providere tempori necessitatibus ecclesiae et episcopatus nostri.

Commendetis etiam eidem rmo. dno. cardinali Sanctorum quatuor negotium domini Georgii Myskowski, cui de canonicatu ecclesiae nostrae Cracoviensis, per mortem olim doctoris Joannis Salomonis vacante, qui mortuus est de mense Februario, providimus, et rogetis ejus rmam. Dtionem., curare dignetur sua auctoritate et gratia qua plurimum valet nostra et ecclesiae nostrae causa, ut eadem provisio nostra suum effectum sortiatur et per sanctissimum dnum. nostrum confirmetur; dicitur enim idem doctor Salomon fuisse familiaris rmi. quondam domini cardinalis Alexandrini, quod tametsi nos ignoremus, hoc tamen curamus et optamus, ut menses nostros liberos habeamus et cum in eis vacatio alicujus sacerdotii occurrit, ut in eo libere conferendo non impediamur.

Ceterum commendavit non pridem regia Mtas. Sanctissimo domino nostro et ipsi rmo. domino protectori regni sui dominum doctorem Rzeczicza ad officium paenintentiariae linguae nostrae Sclavonicae vacantis. Rogamus vos, promoveatis etiam hoc negotium diligenter et certo sciatis, quod haec est voluntas et desiderium Mtis. suae, ut idem doctor Rzeczicza sit paenitentiarius linguae et nationis nostrae et nemo alius. Et si se ad illud Michaël Nogawka, crimine falsi notatus et convictus, suis artibus aut quorumcunque dominorum regni nostri commendationibus ingerere vellet, conatus ejus omnibus modis impediatis, non enim est dignus tam sceleratus homo, ut aliquod officium aut quodcunque minimum beneficium apud istam sanctam sedem consequatur, sed nec certe tolerari istic deberet, sed ita, ut meritus est, ultra Sauromatas et glacialem Oceanum perpetuo relegari, in exemplum aliorum, qui malis artibus fortunas aliorum vexare solent, unde et sedes ipsa apostolica infamatur, et nos hic propter illorum improbitatem multas obtrectationes et odia cogimur sustinere.

Iste adolescens Podlyodowski, servitor noster, habuit actionem cum domino Felice Naropynski pro ecclesia parrochiali in Skrzinno per mortem domini olim Chlievyczki, praepositi

siti Sandomiriensis, vacante, verum procurator ejus labefactavit ejus justitiam, quam habet ad eandem ecclesiam, cum enim lata esset sententia Gnesnae contra ipsum Podliodowski et in favorem ejus partis adversae, domini videlicet Felicis Naropynski, ab ea non appellavit. Quare proficiscitur istuc bonus juvenis, ut obtinere possit causam suam justam et malitia procuratoris sui collapsam restitui in integrum, ut coram commissariis de ea denuo experiri et jus suum clarum deducere possit. Rogamus vos, adjuvetis eum in actione et causa hac justa consilio et auxilio vestro, ut in toto ab ea per iniquitatem adversarii sui non dejiciatur, quo nobis rem gratam facietis. Bene valete. Datum in Bodzanczin.

Kod. Sap. XVII, fol. 152 nr. 248.

249. P. Tomicius, epus. Cracoviensis, vicecancellarius, Severino Boner, zuppario et magno procuratori castri Cracoviensis.

Generose domine amice noster charissime. Cum hinc in Lithuaniam sacra Mtas. regia discederet, commiserat nobis conscribere gratulationis literas ad Summum Pontificem mittendas, audierat enim Mtas. sua, cum hic adhuc esset, captivitate qua tenebatur Sanctitatem suam liberatam esse, quae quidem liberatio non minus attulit voluptatis et gaudii Mti. suae, quam attulerat quondam doloris et molestiae praeterita captivitas. Nos vero priusquam in eam, quam a multo tempore patimur, aegritudinem incideramus, curavimus jam pridem pro voluntate et mandato illius Mtis. hanc ipsam gratulationem conscribi et literas Mti. suae subscribendas in Lithuaniam miseramus, quae nunc primum deinceps propter loci distantiam sunt nobis relatae una cum literis ad vestram Dtionem., quas mittimus cum praesentibus, in quibus Mtas. sua dat vestrae Dtioni. in mandatis, ut magnis itineribus et per dispositos equos, qui nunc vulgo postae dicuntur, nuntium celerem Romam cum iis ad sanctisimum dominum literis mittat, qui celeritate sua hanc gratulationis suae Mtis. tarditatem adjuvaret et compensaret.

Nobis autem videretur commodissimum et ita vestram Dominationem plurimum rogamus, ut Andreollum, veterem et peritum tabellarium, ei negotio praeponat, simulque mandet et committat, ut recta ad aulam Summi Pontificis cum iis literis proficiscatur, est enim res pernecessaria, eum, qui literas tulerit, praesentem in aula esse illius Sanctitatis, ut possit referre responsa et Mtis. regiae scriptorum et nostrarum literarum, quas jam plurimas et maximi momenti illuc dedimus.

Ceterum mandat Mtas. regia, ut Dtio. vestra trecentos aureos hungaricales rmo. dno. cardinali Sanctorum quatuor per eundem tabellarium et nuntium celerem mittat seu dari illic faciat, quos illi in compensationem officiorum praestitorum Mtas. sua donat liberaliter. Nos, ne indonata a nobis quoque esset sua rma. Dtio., adjungere etiam voluimus munusculum opera Dtionis. vestrae comparandum, quo illius rmae. Dtionis. in nos benevolentia et in plurimis rebus gratificatio remuneretur. Quare plurimum rogamus Dtionem. vestram, ut mandet procuratori suo Hermano Venetiis vel cuipiam alteri amico, emi et comparari nomine nostro craterem argenteum, quem Itali taciam appellant, eleganter et polite elaboratum et inauratum, valoris et aestimationis quinquaginta vel sexaginta aureorum vel etiam majoris, prout vestrae Dtioni. videbitur, cujus judicio et arbitrio id totum committimus, quem idem Andreas in theca inclusum et repositum Romam secum ferat et rmo. dno.

dno. cardinali nostro nomine donet, insculptis primum in eo ipso cratere insigniis et armis illius rmae. Dtionis. vel per ferrumcinationem applicatis.

Quam pecuniam, quanta in id insumetur, nos hic vestrae Dtioni. cum alia pecunia, quam illi debemus, gratissimo animo dissolvemus, operam vero illius mutua nostra gratificatione et benevolentiae officiis illi referemus. Optime valeat et sit felix cum suis omnibus vestra Dominatio et nos diligat. Datum etc.

250. Petrus Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Stanislao Borek, canonico Cracoviensi.

Kod. Sap. XVII, fol. 154 nr. 250,

Venerabilis dne. frater in Christo charissime. Mittimus tandem literas tam regias quam nostras, quae ad Sedem Apostolicam per celerem postam mitti debent, quas vos domino zupparío Cracoviensi reddatis et tradatis et rogetis eum, ut illas celeriter per Andreolum mittat, committatque ei, ut ipsemet eas usque ad locum residentiae Summi Pontificis perferat et reddat, et responsa nobis referat ac reportet. Mittimus praeterea et alias literas regias ad ipsum dominum zupparium, quibus illi praecipit et committit Mtas. sua, ut literas suas ad Summum Pontificem scriptas quam primum ad illius Sanctitatem perferri curet et rmo. dno. cardinali Sanctorum Quatuor trecentos aureos Ungaricales mittat, id quod fecit Mtas. sua suasu et intercessione nostra, ab eo enim tempore, quo illius rmam. Dtionem. cooptavit Mtas. sua protectorem regni sui, nullum ei miserat munus, quo recognosceret gratam esse sibi diligentem operam et patrocinium illius rmae. Dtionis., quod assidue praestat in curandis negotiis suae Mtis. et subditorum suorum. Et quia nos quoque indigenus assidue favore et auxilio illius rmae. Dtionis. in nostris et ecclesiae nostrae negotiis, scripsimus et rogavimus dnum. zupparium per nostras literas, quas etiam nunc cum praesentibus mittimus, ut committeret Hermano suo emi Venetiis unam taciam argenteam inauratam et bene elaboratam, valoris quinquaginta aut sexaginta aureorum vel etiam majoris, prout melius illi videbitur, cujus judicio et arbitrio id totum permisimus, quem vos etiam rogetis nomine nostro, ut ita facere velit et Andreolo committere, ut eandem taciam simul cum munere regiae Mtis. et literis ipsi rmo. dno. cardinali offerat et praesentet, quo ejus rma. Dtio. placatior et benignior sit in promovendis et curandis negotiis nostris.

Praeterea prout nuper vobis scripsimus, agatis cum dno. Georgio Hegel, ut per hanc postam scribat factoribus domini sui, qui apud Sedem Apostolicam sunt, ut quantacumque summa pecuniarum opus erit ad expedienda illic negotia nostra, tantam ad jussum rmi. domini cardinalis Sanctorum quatuor vel relationem domini Jacobi Schutz, quam facturus est nomine ejus rmae. Dominationis, dent, numerent et expendant. Nos vero illud totum, quod illi ibi expenderint, ipsi domino Georgio istic dissolvemus cum gratitudine debita, non solum enim literae suffraganei nostri, sed et aliae quaedam, pro quibus nunc scripsimus, expediri nobis illic in praesens et afferri debent.

Sub adventum plurium medicorum ad nos, tametsi nullum adhuc ab eis farmacum accepimus, ccepimus meliuscule habere, speramusque, quod dominus Deus miseratus tandem nostri restituere nos cito dignabitur ad plenam ac perfectam sanitatem, cujus divinam clementiam vos implorari et orari pro nobis istic faciatis. Et dominum Premisliensem admoneatis, ut literas in negotiis suis scriptas per hanc postam mittat ad Sedem Apostolicam, eumque et dominum scholasticum ac ceteros praelatos et canonicos ecclesiae nostrae nomine et verbis nostris salvere jubeatis, et bene valete. Ex Bodzanczin.[1])

[1]) Górski dopisał: in Majo 1528.

Archiwum Wiedeńskie, (list orygin. własnoręczny).

251. Christophorus Szydłowiecki, castell. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Sacra et sacratissima Majestas et domine domine clementissime.

Post perpetuae servitutis commendationem. Habui binas literas sacrosanctae Majestatis vestrae, quarum unae fuerunt datae Viennae XIX martii, redditae autem mihi sunt in arce Gostinensi die Jovis coenae domini.[1]) Alterae de data XXIX ejusdem ex civitate Znayma pervenerunt vero ad me die Mercurii post dominicam Misericordia domini[2]) in itinere, proficiscentem Cracoviam, in quibus mihi scribere dignetur sacrosancta Majestas vestra, se dedisse literas ad serenissimum dominum meum regem, quarum exemplum jussit mihi mitti, ex quo acciperem voluntatem ejusdem serenissimae Majestatis vestrae.

Serenissime rex, domine mihi clementissime. Ego in hoc perpetuo quadrimestri egi in finibus Prussiae, longa distantia a civitate Cracoviensi, sed longiore a serenissimo domino meo, non potui igitur intelligere mentem sacrosanctae Majestatis vestrae sine illo exemplo literarum, de quo eadem scribit, quod illud literis ad me datis insertum non erat.

Quod autem scribit, qualiter tam haec ipsa negotia quam alia essent mihi concredita et praesertim ea, quae attinent fines regnorum Ungariae et Poloniae: non sumo mihi honorem hunc, nam non amplius mihi in talibus commissum est, quam aliis prefectis terrarum et districtuum, nullus est enim, cui summa totius regni esset demandata. Quod tamen me attinet, enitar pro virili mea, ut ex praefecturis meis nulla damna subditis sacrosanctae Majestatis vestrae inferantur, et quod ingenue fateor, nullus est vel consanguineus meus vel amicus vel gentilis vel quacunque re alia obligatus ac neque ullus servitor, qui militaret in castris adversarii sacrosanctae Majestatis vestrae. Palam est enim omnibus me esse perpetuoque fore sincerum ac fidelem mireque faventem rebus s. s. Majestatis. Sed forte dicat aliquis: en pixides sub intersigniis Christophori in castris hostium intercepti sunt. Apello, sacratissime et inclyte rex, dominos Sigismundum ab Eberschtain et Georgium de Lokschany, coram quibus longe ante Petrcoviae protestatus sum, quod illae ipsae pixides seu tormenta bellica non fuerunt nostra, sed neque literae in eis sculptae nomen meum potuerunt prodere, quae quidem tormenta a fratre meo quidem empta sunt. Sed ego praedixi, quis est, qui illa emit et in quem usum.

Quapropter oro enixe sacrosanctam Majestatem vestram, non permittere dignetur coram se aliter praedicari de me, quin ita sibi persuadeat, quod tantum cupio bene servire Majestati vestrae serenissimae, quantum unus ex illis, quos Austria produxit et Majestatis vestrae benignitas. Dominis oratoribus maximas ago et habeo gratias, quod meum ergo sacrosanctam Majestatem vestram animum et affectionem eidem declaraverunt, ut hoc ex alteris literis Majestatis vestrae intellexi, daboque operam, ut et eorum amicae de me praedicationi et vestrae sacrae Majestatis exspectationi quantum ex me et pro viribus meis satis fiat.

De aliis et de Antonio Rincone refero me ad relationem oratoris serenissimi domini mei, qui est ad s. s. Majestatem vestram assignatus et expeditus.

Sed iterum ad me redeo. Non desunt forsan quidam, qui de aliquo coram sacra Majestate vestra insimulant. Testor Deum, serenissime rex, quod nil ejusmodi, quod esset adversum Majestati vestrae sacratissimae, de me nisi falso praedicari potest. Cupio enim mirum in modum servire idque fideliter et ex animo sacrosanctae Majestati vestrae, quod et

[1]) D. 9. 4. 1528. — [2]) 29. 4. 1528.

et oratores Majestatis vestrae serenissimae bene norunt, norunt amici et inimici ejus, et quidquid ego praestare potero servitiis meis erga Majestatem vestram, id pro viribus meis tam libentissime faciam, quam libentissime hac vitali aura fruor, modo agnoscam me esse et permanere in gratia sacrosanctae Majestatis vestrae.

Nova ex Turcia, quae ad me allata sunt, cognoscere dignabitur Majestas vestra ex literis reverendissimi domini Tridentini, quae scripsi non aliam, ita me Deus juvet, ob causam, quam ob avisamentum. Dominus Deus servet et in omni felicitate adjuvet et augeat Majestatem vestram serenissimam, in cujus gratiam me rursus et servitia mea diligentissime commendo. Datum in arce Cracoviensi die 9 maji 1528.

Ejusdem s. s. Majestatis deditissimus et humilis servitor Cristoforus de S. castellanus et capitaneus Cracoviensis ac r. P. cancellarius manu sua.

252. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Lucae Gorcano, castell. Posnaniensi.

Teki Górskiego, nr. 2888 (minuta Maciejowskiego z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 199.
Kod. Sap. VII, 191.

Magnifice domine, domine et frater honorandissime. Literae Magnificentiae vestrae, quibus et valetudinem meam inviset et de Germanorum copiis perscribit, fuerunt mihi gratissimae, pro quo officio scribendi simul et invisendi me plurimas habeo et ago Magnificentiae vrae. gratias. Rex quidem Joannes magnam habet spem in eorum Germanorum firmitate et virtute positam, sed majorem longe salutis suae tuendae et recuperandi regni a Turcis fidem et exspectationem concipit. Namque, ut mihi illius intimi et supremi consiliarii retulerunt, quod jam pro re certissima habetur, illum cum Turco foedus perpetuum bonis et utilissimis sibi conditionibus domini Laski opera inivisse, cujus rei haec sunt non parva argumenta, quod et in Carinthia et in Ungariae locis aliquot, irruptione bis jam fortasse facta, Turci magna populis damna intulerunt et regis Ferdinandi oratores vacui prorsus quoad ea redierunt, pro quibus missi fuerant. Quae res quo pacto reipublicae christianae sit commoda vel incommoda futura, quisque pro sua prudentia et consilio suspicari facile et judicare potest. Ego quia aliter fieri nequit, exitum rerum exspectabo, optarem tamen concordia rem transigi, quam ad arma redire, nam utriusque partis victoria tyrannidem et oppressionem portendit multorum. Quicquid tamen fata et temporum recursus attulerint, boni et aequi consulere debebunt ii, qui nihil mali in rebus publicis sua culpa factum esse sciunt.

Dominus palatinus Cracoviensis[1]) scripsit ad me literas me officiose de quibusdam admonens, quae ad pupillorum nostrorum tutelam et commoda pertinere arbitratur, quas Magnificentiae vestrae legendas ideo mitto, quod ad calcem illarum et in extremo fere articulo injicit quandam mihi redemptionis in bonis pupillorum curam, optionem tamen redimendi in illis bonis Magnificentiae vrae. relinquens. Quam, rogo, Magnificentia vestra diligenter legat et super ea deliberet, me vero de eo quicquid statuerit, faciat certiorem et ego vicissim domino palatino ea perscribere curabo.[2]) Interea valere optime Magnificentiam vestram et esse felicem et diu incolumem cupio. Eidemque ex animo me commendo. Datum.

[1]) W kod. Karnk. dopisał Górski: Andreas de Tanczin. — [2]) Cfr. nr. 215.

253. Sigismundus primus, rex Poloniae, Petro de Tomice, epo. Crac., vicecancellario, Chr. de Sidlovec, cast. et cap. Cracovien., cancellario, Corczinen., Siradien., Gostinen., Sochaczovien, Lukovien. capit., Nicolao de Sidlovec, cast. Sandomirien., thesaurario regni Pol. Oswetimen., Zatorien., Radomien., Krepicen. et Holstinensi cap.

Teki Górskiego, nr. 947 (współczesny odpis). Kod. Karnk. X, 125.

Reverendissime et magnifici domini, sincere nobis dilecti. Orator serenissimi Ungariae regis inter multa, quae nobis nomine principis sui exposuit, haec fuerunt majora et pro quibus vehementer instabat. Inprimis ut gentes, quas ex Germania et Bohemia ad stipendium principis sui ante festum Ascensionis domini venturas dicit, Posnaniae aut in alio illic vicino loco in regno nostro conscribere illisque, quando jam delectus fieret, liberum per dominia nostra transitum concedamus et permittamus, quodque etiam serenissimo regi suo viginti quinque milia florenorum mutuo daremus et tormenta bellica XX vel commodato vel dono tribueremus; artifices insuper officinae nostrae monetariae libere permitti et proficisci ad eum jubeamus; domino quoque Statilio salvum conductum per dominia nostra Gdanum et inde per maria in Franciam eundi concedamus. Et praeter hoc unum de omnibus nos bonis rationibus excusavimus et scripsimus mox dno. castellano Posnaniensi: ut advertat et omnino curet, ne aliquae gentes in Polonia Majori vel conscribantur vel congregentur et ubi quid tale persentiret, nos quam citissime redderet certiores. Noluit quidem acquiescere orator ipse rationibus nostris et identidem seriem literarum nostrarum, quarum exemplum, quod ab illo habuimus, vestris S. mittimus, objiciebat. Nobis tamen stat sententia non amplius irritare crabrones et experiri vel tentare potius fortunam, quae jam semel adversam se exhibuit huic regi et praesertim quia ipse orator nobis pro re certa retulit, Turcas venturos, vel jam esse paratos in Nandor alba ad ferendas suppetias regi suo: unde si nos quoque accederemus cum auxiliis nostris, exponeremus nos manifestis odiis omnium principum christianorum et cavillis hominum, qui facile crederent, nos quoque cum Turcis ex pacto invadere christianos, quod nomini nostro hactenus illibate servato non mediocriter officeret, et in hanc sententiam absolvemus petitiones regis istius et ostendere curabimus non artari nos literis nostris, quas tantum nobis exprobrare videntur.

Et quoniam idem orator dicit, regem suum potius vitam amittere, quam se regno Ungariae abdicare, quod ubi ita animum suum firmaverit, non putamus etiam necessarium et honestum, ut nuntius noster cum alio quoque rege quicquam agat de ipsa concordia. Super quo significabunt vestrae Sinceritates, quando praesertim ex nuntio alio nostro, qui ad sermum. regem Joannem, prout Petrkoviae constitueramus, profectus est vel proficiscetur, intelligent vestrae Sinceritates, ipsum regem in tali proposito et voluntate persistere. Valeant feliciter vestrae Sinceritates. Datum Vilnae decima quarta Maji a. d. 1528.

254. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Christoforo de Szidlovecz, cast. et capit. Crac., cancellario.

Kod. Karnk. X, 160. Kod. Sap. VII, 158.

Magnifice domine, domine et amice honorandissime. Heri sunt allatae hae Majestatis regiae literae, quibus conjunctim mihi et Magnificentiae vestrae illius Mtas. simul et legationis sermi.

sermi. regis Joannis argumentum et responsionis suae rationem exponit. Quas literas cum ego legissem et una probassem illius Mtis. in respondendo sententiam, iterum ad Mgciam. vram. per hunc cubicularium mitto. Quia tamen Majestas sua non putat necessariam legationem ad sermum. regem Ferdinandum de pace et concordia institutam, si ita, ut literae indicant, pertinax et obstinatus sermus. rex Joannes in tuendo et vindicando jure suscepti diadematis sui esse voluerit, videretur mihi fore ei negotio magnopere consentaneum, ut dnus. Opaleniczki, si non est adhuc profectus, praesens, si vero discessit, per nuntium Magnificentiae vestrae admoneatur et instruatur: ne aliquid prius cum rege Ferdinando de pace agat, quam a nobis sit per literas vel nuntium certior de hac re factus eatque nunc solummodo ad conventum imperii, ea curaturus, quae instructione ad eundem conventum sibi data continentur. Nos vero interim per aliquem alium Mtis. regiae nuntium, si id obire, ut erat constitutum, dnus. Plocensis amplius noluerit, pertentabimus et exquiremus sermi. regis Joannis de hac re voluntatem, qua habita faciemus denuo certiorem eundem dominum Opaleniczki: tractare nec ne debeat pacis et concordiae praenominatae legationem cum sermo. domino rege Ferdinando. Cum autem dnus. cast. Plocensis obaudiverit hactenus jussa et mandata Mtis. regiae, non videtur amplius consultum propter morae periculum eum exspectare vel ad illum mittere, sed operae pretium videtur potius, ut Magnificentia vestra dnum. marsalcum curiae vel dnum. Premisliensem ad sermum. regem Joannem mittat, admonendi et exhortandi illum gratia, ut cum sermo. rege Ferdinando dictam pacem et concordiam suscipere et inire velit, et si ipsi munus hoc detractaverint, alium quempiam ad id idoneum designet, cui ego, cum fuero per literas Magnificentiae vestrae admonitus, et literas creditivas et reliquam ejus rei instructionem celeriter mittam, ita enim est in animo meo constitutum ea, quae ad Reipublicae commodum et utilitatem serenissimique domini nostri voluntatem et dignitatem pertinent, in hac etiam valetudinis meae imbecillitate diligenter curare velle. Commendo me iterum atque iterum amori et solitae clementiae Magnificentiae vestrae, quam cum suis omnibus felicissimam esse et optime incolumem vehementer opto. Datum.

Mitto. vestrae Magnificentiae exemplum literarum, quas nuper rmus. dnus. Brodericus, episcopus Sirmiensis, ad me dederat, ex quo intelliget facile Magnificentia vestra partem ipsorum nullo pacto se regno et diademate suscepto abdicare velle.

255. Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Bonae, reginae Poloniae.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1 f. 21).

Post humillimam obsequiorum meorum exhibitionem. Illustrissima princeps, serenissima regina et domina clementissima. In recenti memoria mihi est, quomodo reginalis Majestas vestra ex me desideraverit, ut canonicatum Warmiensem primo vacantem d. Joanni Flachsbinder conferrem. Quod cum per obitum olim domini Joannis Crapicii fecissem ac eundem canonicatum domino Flachsbinder contulissem, reginalis Majestas vestra eum canonicatum pro Stanislao Plotowski habere volens hujusmodi collationem meam irritam esse fecit. Post illum nullus ordinariae collationis in ecclesia mea Warmiensi vacavit canonicatus. Nunc autem alter per mortem patruelis mei Ebrehardi Ferber in urbe Romana defuncti vacat, necdum cuiquam, quod mihi constet, collatus. Et cum alii Germaniae episcopi in hac rerum perturbatione beneficia in urbe vacantia passim pro votis conferant, si ita visum est reginali Majestati vestrae et si quid a papa impetrare valeat, ut haec collatio

collatio mea robur firmitatis obtineat, sibi persuadere possit, ego quoque eum canonicatum sic vacantem domino Joanni Flachsbinder conferam. Super quibus ut reginalis Majestas vestra cum primis per literas consilium suum mihi impertiri dignetur, rogo. Ego enim fidem meam liberare sum paratus in gratiam reginalis Majestatis vestrae, dominae meae clementissimae, cui alioqui me, fortunas meas nec non ecclesiam meam diligentissime commendo ac officia mea devoveo. Quam et Deus optimus maximus una cum prole sua serenissima salvam et incolumem in longa saecula conservare dignetur. Datum Marienburgi 15 Maji. Anno 1528.

Museum Britannicum. (Transacta inter Angliam et Poloniam Mscr. Cotton. nr. B.II, fol. 103b)

256. Christophorus Szydłowiecki, cast. et capit. Crac., cancellarius, Henrico, regi Angliae.

Serenissime rex et domine, dne. clementissime. Post perpetuae servitutis commendationem. Cum ad sacrosanctam Mtem. vram. is famatus Stanislaus Cipser, consul et mercator Cracovien., servitor meus, cum pellibus sabellinis esset profecturus, quas pro Majestate vra. serma. in regno sermi. domini mei coëmit, nolui permittere, ut prodeat in conspectum ejusdem vrae. sermae. Mtis. absque literis meis, quibus me in gratiam ejusdem vrae. sermae. Mtis. duxi commendandum, omni cum humilitate supplicans, dignetur obsequiis meis uti. Et si quid est, in quo sacratissimae Majestati v. in regno sermi. domini mei obsequi possim, modo sit illud virium mearum, jubeat ita audacter, ut uni ex suis addictissimis et fidelissimis servitoribus, voluptas enim mihi est tanto principi morem gerere. Cui dominus Deus gratiam suam concedat et augeat in annos Nestoreos. Commendo etiam hunc servitorem meum Majestati vrae. sermae. et rogo dignetur hominem de me meritum gratia sua regia complecti.

Dat. in arce Cracovien. decima quinta Maji. Anno Domini MDXXVIII. Ejusdem sacratissimae Majestatis vrae. deditissimus et humilis servitor

Cristoforus de S. Cast. et c. Crac. ac R. P. Canc. manu sua.

Teki Górskiego, nr. 945 (list oryginalny). Kod. Karnk. X, 122. Kod. Sap. VII, 121.

257. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo., vicecancellario.

Rme. mi domine, domine colendissime. Sollicitus vehementer de adversa valetudine vestrae Dominationis rmae. mitto ad invisendam illam hunc meum puerum, orans interim cum sacrificis meis dominum Deum, ut illam nobis et Reipublicae servet sospitem et incolumem. Credo ego pedem illius consimili defluxu affectum, ut fuit dni. archiepiscopi et pariter dni. castellani Cracoviensis moderni, itaque in eundem modum curandus esset ex praescripto Miechovitae, nam sicut ambo illi domini post depulsum ejusmodi morbum saniores facti visi sunt, quam fuerint antehac, ita et rmam. Dtionem. vram. indubie spero futuram; verisimile est enim omnem illam materiam, quae hactenus et caput et membra alia variis languoribus afficiebat, illuc defluxisse.

Ceterum doleo impense, quod vestra rma. Dtio. non aperuit literas, quas scripsit mihi rmus. d. cardinalis Sanctorum Quatuor, nam in illis pleraque continentur, de quibus fortasse hactenus dubitat et quae interest illius scire. Egoque nihil tale habui neque habiturus

sum

sum unquam, quod nolim illi esse vel commune vel cognitum. Itaque mitto ipsas literas, quas tamen rogo, ut rursus mihi remittere dignetur. Intelliget ex illis inter alia, quam non iratus sit mihi, ut scedula illa ad Szucz scripta prae se ferebat. Quod scribit de sollicitatore, id et mihi necessarium videtur. Missurus sum illuc eundem Lukomski proximo autumno cum ob decimas illas novales aliasque necessitates, tum vero ad evincendam scolasticam Gneznensem, quam pro me sex diebus ante, quam est Andae[1]) concessio, impetravit, dominus vero archiepiscopus non vult, nisi ut Anda habeat, neque impetrare hoc per Carolum ab illo potui, ut aequanimiter jus utriusque cognosceretur. Et proinde cum illi jam satis et quidem immerito gratificatus sim de praepositura et cancellaria, nolo esse excors, ut modis istis aliquid amplius mihi exterebrari patiar. Si itaque Lukomski ipse videbitur idoneus vrae. rmae. Dtioni. ad hoc munus sollicitandi negotia nostra, interim expendat; mihi hactenus et omnibus, qui illum norunt, fides et industria illius probantur. Scripsit Szucz dno. archiepiscopo, se impetrasse sacerdotia dni. olim Nicolai Gamrath eo instituto, ut illa in dispositionem ejus traderet, nunc vero in regis et reginae gratiam collata illa esse, rursus fratri ejus dno. scolastico sibique erepta. Et proinde, ut ageret apud Mtem. regiam pro literis, quibus declararet illas commendationes suas et reginalis Mtis. absque utriusque scientia et voluntate emanasse nolleque utramque Mtem., ut quemquam impedirent et id genus alia in contrarium. Ego nihil dubito, quin et ambae Majestates et vestra rma. Dtio. non commissurae sint istam indignitatem in concedendis talibus literis contrariis prioribus, quae fuerunt a Majestatibus suis multum ex animo scriptae et subscriptae manu propria, bullaque provisionis continet potissimam rationem commendationis utriusque Majestatis, verum metuo, ne quid ejusmodi, ut pleraque solent, expediatur clanculum et per inconsiderationem principum. Oro itaque vestram Dtionem. rmam., ut si quid vel apud illam tentatum fuerit, vel apud alios tentari senserit, renuere vel impedire dignetur, nam praeter quod res indigna esset, etiam plurimum mea interest curare de ipsis sacerdotiis, quo pacto disponantur pro meo et ecclesiae commodo.

Ad dissolvendam impensam pro bulla provisionis habet dnus. Gamrath apud trapezitas Cracoviae partem pecuniae, partem hodie misit in manus doctoris Bork, ut juxta voluntatem vestrae rmae. Dtionis. mittatur quam primum rmo. dno. cardinali nostro, quamvis ille scribat ei, ut pecuniam mittat quando commode poterit.

Ut mihi vestra reverendissima Dominatio dominum Liberanth commendavit, jam in hoc capitulo designavi decimam octo sexagenarum pro erigendo altari dno. Gardzie defuncto, ne amplius ab executoribus illius impeteretur; ejusmodi debita praedecessorum meorum, tam Erasmi quam etiam Raphaëlis, plurima in me reciderunt, quae cum magna mea gravitate exsolvere cogor, similiter et aedificia ubique sarcienda, ubique sublevandi pauperes homines, quos necesarii domini Raphaëlis defuncti medullitus expilarunt.

Mi reverendissime domine, rediens ex Piotrkowia posui rationem cum officialibus meis de perceptis et expositis invenique vix dimidium proventus pecuniarii ad manus meas pervenisse, ita omnia consumpta in rebus domesticis etiam minutissimis causati sunt. Itaque ne hanc molestiam in posterum haberem servandi factores istos furacissimos, quos ne Argus quidem servare posset, similiter et de rebus ad victum pertinentibus, collocavi bona mea in stationibus juxta morem veterem antecessorum meorum, qui alioquin mores veteres libenter amplector, simpliciores quidem, sed nescio quo pacto solidiores minusque operosos. Collocavi autem his, qui mihi addicti sunt, ut, si quid postea mutandum corrigendumve videretur, fieri posset citra difficultatem. Ejus dispositionis mitto vestrae rmae. Dtioni. summariolum,

[1]) W Kod. Sap.: Handae.

mariolum, ut si ita illi placuerit et se a cura de his minutis, in quibus multa depereunt, vindicare voluerit, habeat, unde exemplum sumere posset.

De clave Gorznensi nihil boni constituere possum propterea quod illam occupat dnus. Nicolaus Niszcziczki, capitaneus, et ego causa rmae. Dtionis. vestrae nollem simpliciter eum privare; jam obtuli illi donarium annuum non vulgare, sed ille contentus non est, et bona illa multum depravantur; curabo tamen illum aliquo modo contentum reddere et huic dispositioni meae satisfacere.

Multa essent scribenda, quo pacto hic homines multifariam per officiales spoliantur, sed forte non ignorat ista vra. rma. Dominatio ex aliis. Cujus gratiae me et obsequia mea unice commendo, et oro illam plurimum, ut non occupet animum suum in rescribendis his ineptis meis, sufficiet ad ista dnus. Rudniczki ex ejus mandato et mihi gratius erit, quam si rma. Dtio. vestra vel minimum momentum scribendo mea causa insumere deberet et praesertim si adhuc languet, sed utinam optime valeat et sit semper felix. Ex Ploczko XVI Maji 1528. S$^{tor.}$ Plocensis.

Oro, significet mihi, quo pacto illi juramentum praestare debeam juxta mandatum apostolicum et an id per procuratorem fieri possit; forma juramenti est communis, posset dominus Rudniczki aut dominus Lubowiczki id meo nomine praestare, ad quod illis omnimodam do facultatem tanquam si ipse praestarem.

Reverendissimo in Christo patri et domino, domino Petro, Dei gratia episcopo Cracovien. et regni Poloniae vicecancellario, domino colendissimo.

Bibliot. narodowa w Paryżu (list oryginalny).

258. Joannes, rex Ungariae, Anna de Momorantia, magno magistro Franciae.

Joannes, Dei gratia rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc., nec non marchio Moraviae ac Lusatiae et utriusque Slesiae dux etc. Illustri principi domino Anna de Momorantia, magno magistro Franciae et mareskalko etc. amico nro. charissimo. Salutem et felicitatem. Illustris princeps, amice noster charissime. Misimus ad Dominationem vestram hunc fidelem nrum. dilectum rndum. dnum. Joannem Statilium, electum episcopum ecclesiae Transsilvanen., consiliarium et oratorem nrum., per quem Dtioni. vrae. de nonnullis rebus et negotiis nomine nro. referendis nuntiavimus. Quare Dtionem. vram. rogamus, ut ea, quae praefatus orator noster eidem nomine nro. dixerit ac retulerit, credere velit, ea enim dicturus est, quae de mente nra. dicenda accepit. Dtionem. vram. bene et feliciter valere optamus. Datum in Tharnow sedecima die mensis Maji a. D. 1528, regnorum vero nostrorum anno secundo. Joannes rex manu ppa.

lustri domino Anna de Momorantia, magno magro. Franciae et mareskalko etc. amico nro. charissimo.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny z własnoręcznym podpisem.)

259. Christ. de Szydłowiec, cast. et capit. Crac., cancell., Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Sacra et serenissima Majestas, domine domine clementissime.

Post perpetuae servitutis commendationem. Dedi nona istius literas ad sacram Majestatem vestram per ejusdem Majestatis vestrae proprium cursorem, quibus binis literis ejusdem Majestatis

Majestatis vestrae serenissimae de data decima nona et vicesima Martii respondi, referens me in ipsis ad oratorem sacrae regiae Majestatis, magnificum dominum Petrum Opalinski, castellanum Myedzirzecensem, qui proficiscitur ad Majestatem vestram s., ex quo cognoscere dignabitur et de meis studiis erga s. Majestatem vestram et de his rebus, super quibus me scribens Majestati vestrae s. retuli ad relationem ipsius. Referet etiam, si jubebit, et quae a Thurco ad nos perlata sunt, de quibus etiam reverendissimo domino Tridentino scripsi. Supplico Majestati vestrae s., dignetur hunc dominum Petrum causa mea benignitate sua regia complecti, ut intelligat meam intercessionem sibi apud sacram Majestatem vestram profuturam, quam optime et felicissime valere ac regnare opto, meque rursus eidem commendo. Datum in arce Cracoviensi decima septima die mensis Maji anno domini MDXXVIII.

Ejusdem ss. Majestatis vestrae humilis servitor Christoforus de S. castellanus et capitaneus Cracoviensis ac r. P. cancellarius manu sua.

Commisi supplicandum sacrae Majestati vestrae pro nobili Zdeslao Goly, subdito ejusdem Majestatis vestrae de ducatu Ratiboriensi, ad praesens servitore meo, cui, ut ipse dicit, sine causa villa Lubowicze per ipsum legitime empta recepta est. Rogo, dignetur Majestas vestra serenissima committere domino episcopo Wratislaviensi, quatinus ille mittat consiliarios suos ad judicium ducatus Opoliensis, qui causam hanc audiant et justitiam faciant.[1])

260. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 3231 (minuta z poprawkami.)
Kod. Karnk. X, 112.
Kod. Sap VII, 111.

Sacra regia Majestas et domine, domine clementissime. Humilem perpetuae meae servitutis et orationum mearum commendationem. Mitto hunc meum nuntium ad invisendam Majestatis vestrae sermae. valetudinem, quam illi et antea semper ex animo favi precatusque sum optimam atque diuturnam, et nunc etiam hac valetudinis meae infirmitate cum toto ordine ecclesiastico quotidianis votis precor et exopto; magnopere enim ad officium meum videbatur pertinere, ut quamvis saepius et literis et nuntiis tum a Majestate vestra serma. tum ab aliis amicis meique amantissimis missis de illius statu et incolumitate fiam certior, proprium etiam isthuc mitterem nuntium, qui fidem de hac re meam et singulare studium praesens apud Mtem. vram. testaretur. Per eundem etiam nuntium mitto Mti. vestrae sermae. fasciculum literarum, quem Dantiscus literis etiam ad me datis mihi inscripserat, in quibus quia ita reperi scriptum, quod imperatoria Mtas. oratorem suum mittit ad Mtem. vram., praescire id Mtem. vram. tempori volui, ut prius quam ad regnum applicaverit, provisum jam esse possit, qui illum provisores et conductores ad Mtem. vram. debeant deducere.

Ceterum, serme. rex, urbi Mtis. vrae. sermae. Cracoviensi nova iterum nunc accessit calamitas, feria secunda namque praeterita igne conflagravit sanctimonialium in Swierzyniecz monasterium et non modico post intervallo eodem ipso die bona pars civitatis Cazimiriensis igne est consumpta.

Reliquum est, quod ego mirifice cupio, ut Majestas vestra serenissima sit felicissima et optime valeat cum iis, qui sunt sibi charissimi, conjuge scilicet et liberis serenissimis, cui me et aegram servitutem meam iterum atque iterum suppliciter commendo. Datum.

[1]) Przypisek ten na osobnej, włożonej w list kartce.

Teki Górskiego, nr. 3231 (minuta z poprawkami)[1])

261. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Bonae, reginae Poloniae.

Serma. princeps et dna. dna. clementissima. Post humilem servitutis meae in gratiam M. v. commendationem. Tametsi crebro fiam et a Mte. vra. serma. et ab aliis multis per literas certior de optime Mtis. vrae. sermae. et illius Mtis. sermi. conjugis et liberorum valetudine, quae mihi in hac aegritudinis meae imbecillitate non mediocrem solet afferre voluptatem, continere tamen me non potui, quin hoc proprio etiam nuntio in praesentia inviserem Mtis. vrae. sermae. felicem statum et valetudinem, quam quidem illi ex toto pectore et animo optimam ac felicissimam semper cupio et precor. Mitto autem Mti. v. s. literas a Dantisco nuper ex Hispaniis missas, ex quibus cum alia multa tum etiam oratorem caesareae Mtis. ad se et sermum. dnum. nrum. propediem venturum plene cognoscet. Commendo me rursus et perpetuam servitutem meam Mti. vrae. s., quam dnus. Deus servet nobis cum suis omnibus quam diutissime sospitem et felicem. Dat.

Teki Górskiego nr. 2903 (minuta).
Kod. Karnk. X, 113.

262. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Jo. Choienski, archid. Crac., secret. regio.

Venerabilis domine frater in Christo charissime. Quamvis bona ac inoffensa valetudo serenissimorum principum nostrorum saepius fiat nobis cognita nuntiis et literis illorum, volentes tamen certius de illa experiri, mittimus hunc nostrum nuntium ad invisendas Mtes. suas, ex quarum optima valetudine et felici statu singularem animi voluptatem in hac nostra adversa et diuturna valetudine concipere et habere solemus. Mittimus etiam per eundem nostrum nuntium ad Mtes. suas literas Joannis Dantisci, quae hesterno die ad nos sunt allatae, nobis enim fasciculus earum fuit inscriptus, providere volentes, ut Mtes. suae sciant tempori, oratorem caesareae Majestatis ad se expeditum esse, provideantque tempestive, ut cum huc ad regnum advenerit, adjungantur ei boni et honesti conductores, qui illum cum honestate debita isthuc deducant. Scribit enim nobis Joannes Dantiscus, eundem oratorem esse juvenem doctissimum ac singulari virtute praeditum caesareaeque Mti. et ejus cancellario admodum charum. Quare cuperemus vehementer, ut cum isthuc advenerit, cum debito honore exciperetur et honeste atque humaniter pertractaretur. Feria secunda praeterita hora ferme decima septima monasterium sanctimonialium in Zwierziniecz una cum ecclesia, duabus vero horis post praetorium et bona pars civitatis Cazimiriensis conflagrarunt, prout plenius de hoc funesto casu simul et de nostra valetudine is servus et nuntius noster faciet vos certiores. Bene valete.

Teki Górskiego nr. 2900 (minuta).
Kod. Karnk. X, 115.

263. Petrus Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Nicolao Tomicki, cast. Gnesnen., praefecto stabuli regii, Pisdren. et Coninensi capitaneo.

Magnifice domine frater germane charissime. Scientes multa isthic vulgata esse et fama communi et literis hominum de nostra adversa valetudine et forte aliter, quam se res habeat,

[1]) Na marginesie tej minuty, znajdującej się w Tekach na tym samym arkuszu, co list poprzedni, napisał Górski non scribatur, — dla tego list ten nie wszedł do kodeksów Górskiego.

habeat, volentesque et vos charissimum fratrem nostrum et ceteros amicos nostros de eadem valetudine nostra plene edoceri vosque animi sollicitudine, qua procul dubio distinemini, levare, mittimus isthuc hunc servitorem nostrum Morawiecz, qui vos de statu ejus ipsius valetudinis nostrae faciat certiores. Languemus quidem adhuc et in lectulo continue decumbimus, multum enim debilitavit nos haec tam diuturna et molesta aegritudo nostra. Speramus tamen, quod ope et singulari clementia domini Dei cito recipiemus pristinam sanitatem.

Rediit ad nos ex Posnania custos noster Opaleniczki, qui inter alia retulit nobis dominum castellanum Posnaniesem subornasse servitorem suum Woynowski, ut se interrogaret, quid sibi videretur, cui r. Majestas castellaniam Gnesnensem esset collatura. Cum autem ille respondisset, quod certo sibi persuaderet, vos illam habituros esse, subjunxisse demum Woynowski, dominum Sborowski rem et provectionem suam non esse etiam neglecturum. Haec ideo scripsimus vobis, ut intelligatis, dominum illum et fratrem nostrum negotia sua per cuniculos et clam nobis agere omniaque ad suum et suorum commodum referre.

Affecta est iterum civitas Cracoviensis nova calamitate et jactura, feria namque secunda praeterita monasterium sanctimonialium in Swierzinecz et bona pars civitatis Casimiriensis subito ac violente igne conflagrarunt, prout de hoc latius dicet Morawiecz noster. Vestri omnes in Ilsza sunt sani, Deo sit gratia, et bene habent. Bene valete et nos diligite. [1])

264. Responsum a Sigismundo, rege Poloniae,

datum oratori regis Joannis

Vilnae in secretiori audientia 24 Maji 1528. [2])

Teki Górskiego, nr. 948 (staranny bardzo odpis).
Kod. Karnk. X, 124.
Kod. Sap. VII, nr. 124.

Ad ea, quae priori die vra. r. Dtio. nomine sermi. principis sui coram exposuit, sacra Mtas. regia ita vrae. Dtioni. respondere mandavit.

Atque inprimis quod petiistis nomine sermi. principis vestri, ut Mtas. regia pactorum et foederum communium et privatorum, quibus jam olim subscripsit, memor sermo. regi vestro suppetias nunc in ea ipsius necessitate ferat, vel eo milite et exercitu, quem ad praesidia Prussiae solutum nunc autem sub hoc tempus brumae non necessarium habet:

De foederibus jam olim pluries et vere et sufficienter responsum est per oratores, quos sermus. rex vester ad Majestatem suam aliquotiens miserat, de quo nunc repetere supervacaneum esset.

Milites autem ex terris Prussiae jam sunt ad propria dimissi, quos etiam, cum in publico stipendio regni militent, non liceret Mti. regiae absque regnicolarum consilio ad alium usum praeter designatum dirigere.

Quod autem attinet indutias cum Turco, quas dnus. Laski jussu sermi. regis Joannis confecit, agit quidem Majestas regia gratias sermo. regi vestro, quod in tractatibus cum Turco rationem habuerit vicinorum regnorum et dominiorum Majestatis regiae, sed Majestas regia miratur vehementer, quod cum sermus. rex Joannes aliquid hujusmodi vel majus etiam tractare cum Turcis instituisset, nullam hac de re prius significationem Majestati regiae fecerit neque consilia sua de hoc instituto suo Majestati regiae antea communicare voluerit; cum itaque Majestas regia publico sui consilii decreto nuntium suum

[1]) Na odwrotnej stronie minuty zapisana data: feria sexta post festum Ascensionis dni. a. 1528 in Bodzanczin — t. j. 22 maja 1528. — [2]) W kod. Sap.: per do. Choienski.

suum ad Turcam miserit, de his, quae illic dnus. Laski agere debuit, ignara usque hactenus certior facta sit Majestas regia,[1]) quid ibi nuntius suus effecerit et ista foedera, quae dnus. Laski inscia Mte. regia confecit, pertinent ad regnum ac dominia Mtis. regiae, quae hic non habet primores regni sui, sine quorum consilio in similibus nihil agere consuevit, sed cum proximo instituerit conventum regni, ubi de hac ipsa re conferet cum senatu suo et tum deinde id, quod ex re et usu dominiorum suorum videbitur, significabit sermo. regi vestro.

Excusationem, quam de hostilitate et belli denuntiatione per dnum. Laski serenissimo reg Ferdinando facta coram exposuistis, Majestas regia bene intellexit et scit morem hunc militantium esse, ut prius se hostes declarent, quam bellum inferant, sed miratur, quod dnus. Laski existens subditus, officialis et consiliarius Majestatis regiae eum animum sibi insumpserit, belli videlicet denuntiandi cum Turcis et infidelibus gentibus christiano principi non impetrata prius licentia, immo absque scientia et voluntate Majestatis regiae.

Marienburgi praefecturam contulerat quidem Majestas regia dno. Laski, quam ut paululum exspectasset injunxerat, sed ille obtenta venia Lauretum proficiscendi hactenus absque scientia Mtis. regiae per orbem discurrit et Mtas. regia, ut solet servitores et subditos suos arcibus et aliis locis secundum merita illorum et placitum suum praeficere, ita etiam illos, dum lubet et videtur, ab ipsis praefecturis amovere et potest et solet, idque esse in mero beneplacito Mtis. suae, ut, si velit, juste et possit hodie sic concessum cras adimere; neque enim similia officia et praefecturae diutius, quam sit voluntas Mtis. suae conceduntur. Sibi itaque imputet dnus. Laski, si non duravit et rebus se noluit servare secundis.

Serenissimam Hedwigim, filiam Mtis. regiae charissimam et sermi. regis Joannis neptem, ambiunt quidem nonnulli principes in conjugium, de cujus connubio quod sermus. rex vester, uti avunculus beneficentissimus, se curare et consulere velle offert, gratissimum est Majestati regiae, quae cupit et rogat, ut, quod factura sit illius Mtas., cito facere velit; nam cum jam aetate nubili sit ipsa puella, nollet Majestas regia moram ullam facere, modo aliqua honesta et decens conditio se obtulerit, quam tamen non negligeret Majestas sua significare sermo. regi vestro, cujus Majestatem iterum rogat, ut tempori negotio huic prospicere dignetur memineritque mercem hanc diuturnitate temporis vilescere.

Archiwum Wiedeńskie (minuta).
Teki Górskiego, nr. 944, (odpis współczesny.)
Kod. Karnk. X, 149.
Kod. Sap. VII, 148.

265. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Ferdinandus etc. serenissimo etc. Allatae sunt ad nos literae Serenitatis vestrae de XXVI aprilis proxime praeteriti, quibus se refert ad priorem mentis suae declarationem et nuntium ac oratorem suum ad nos destinatum, qui ultimis nostris respondeat. Tametsi Serenitas vestra nihil de pristina sua in nos dilectione et officio fraterno scripsisset, tamen[2]) in mentem et animum nostrum inducere non potuissemus, quam quod in solita animi sui conjunctione perseveret atque impense foveat et faciat ea, quae ad necessitudinem nostram mutuam, ad bonam vicinitatem et tranquillitatem regnorum et subditorum nostrorum conservandam conducunt, idque nobis sedulo adhuc persuasum habentes eidem Serenitati vestrae agimus et habemus gratias ingentes de tanta sua in nos et res nostras cura, utpote qui ab animi nostri instituto recto et nostro in Serenitatem vestram amore et affectione vehementi

[1]) Tok myśli niejasny i niepoprawny, — może powinno być: neque hactenus. — [2]) W koncepcie Arch. Wied.: aliud tamen.

hementi nihil etiam declinaturi sumus. Sed sicut antea scripsimus, aliquot Serenitatis vestrae subditos, qui multa et enormia contra nos et in favorem Johannis, comitis Scepusiensis, in regno Serenitatis vestrae machinabantur, ita nunc quoque de Petro Sobinsky, marescalco regni istius, adducere possumus, qui e castro Wyschnitza continue ad Johannem praefatum Tarnoviae agentem ire et redire cum eoque secretissime agere dicitur factumque esse per moenia civitatis Barthphensis aditum, quo nobiles aliquot Poloni cognosci nolentes noctu Johannis aedes frequentant et cum ipso clancularias agunt practicas, pluresque item alios nobiles Polonos et inter hos vicinos etiam civitatis praedictae hostes, videlicet Kobebyntzki[1]), Dolebintzki, Zecklyntzki, Liulentzki et complures alios ad eundem marescalcum nuper ad praefatum castrum venisse, multa eidem comunicantes, quae sinistri aliquid presertim contra dictae civitatis incolas parere possint, nunc maxime cum universitas nobilium adjacentium sit evocata et attenta exspectet, quando fuerit ad arma conclamatum. Nec minus est, quod de Hieronymo de Lasco in Rithuani, palatino Syradiensi, habemus, qui nuper diffidationes duas manu sua scriptas, alteram nobis, alteram vero regni nostri Hungariae subditis, praecipue Transsylvanis misit, quarum copias inclusas Serenitati vestrae transmittimus, nec hoc credere valentes de consensu aut voluntate Serenitatis vestrae tamquam catholici et boni principis fieri, quamvis ille nedum sit subditus, sed etiam officialis ejus et regni illius et nonnihil inde mali suspicari atque elici possit, maxime cum non solum fidelium, verum etiam infidelium turbam sibi junctam et contra nos auxilio futuram nuntiet. Qui licet auxilia, undecunque habere potuit, compararit contra nos, in Deo et justitia nostra confidentes speramus tamen ipsum uti ceteros quoque frustra laboraturum. Et subinde credimus eandem Serenitatem vestram sic se in hoc quoque negotio exhibituram, ut aperto cognoscere possimus illud eidem non nisi merito displicere. Nam si (quod Deus avertat) impius ille Hieronymi praefati conatus suum effectum sortiri contingat, palam est hunc non nobis solum, verum etiam Serenitati vestrae regnoque suo nocere posse. Et nos quoque non intermittemus cogitare et deliberare, quo pacto iis rebus ut decet occurramus. Quod eidem Serenitati vestrae, ut habita illius rei notitia latius super eadem, quod opportunum et magis expedire videbitur, agere possit, significare voluimus. Quae felicissime valeat. Datum Pragae, 26 maji 1528.

266. Mathias Drzewicki, episcopus Cujaviensis, Mauritio Ferber, episcopo Warmiensi.

Kod. bibl. Ks. Czartor. nr. 1596 (list orygin.).

Rme. in Christo pater et dne. amice et frater in Chro. charissime et honorande. Salutem in dno. cum optata felicitate et sui recommendatione. Ut de vrae. r. D. statu et sanitate cognoscam, reditum secretarii mei dni. Rilski istinc exspecto, hunc autem vrae. r. D. occasione se offerente sanitatem inviseo, quam eidem ex animo a dno. Deo deprecor. Ego etiam gratia Dei sanus vivo ecclesiae meae limina terens, circa quam tota aestate hac volente Deo morabor. Vra. autem D. r. mei sit memor literis suis, ut saltem ab ea consolationem habeam, ad quam mari et terra nova deferuntur. Quae autem novissime circa statum Summi pontificis acta sunt, ex his hic annexis intelliget, nam ante novem dies hic, qui scripsit, a sede apostolica cum literis provisionis rmorum. Plocensis et Premisliensis rediit et testamentum patruelis vrae. r. D. cum literis his alligatis portavit, de illo autem, cujus Deus animam salvet, ita actum est, sicut Deo placuit.

Nostri

[1]) Kod. Sap.: Kobelinczki.

Nostri mercenarii milites circa primam hujus mensis mille Tartaros profligarunt et habent notabiles captivos, inter quos est filius unius eorum imperatoris, Turcus vero in Hungariam arma parat et Hungaria lacerata et multum ad sui defensionem debilis ei resistere nequaquam poterit, si sermus. rex Ferdinandus vires fortes non comparaverit. In Deo est unica spes et in ipso, ubi Germania simultatibus postpositis ipsum fideliter adjuvare curaverit. Sed non desunt super seminatores zizaniarum, qui candidum in nigrum vertunt, ut Ferdinandi regis rem inficiant. De Johanne rege nulla est mihi spes, licet quidam alii bene ei ominentur, sed nec Deus nec ratio ei bonum pollicetur post crudelia acta in ecclesiasticos et ecclesias. Et jam mendicat quaerens in mutuum hinc inde pecunias. Sperarem ego bene, quod Turci arma confringerentur, ubi imperator et Gallus pacem componerent. Dicitur hic, quod vicinus vrae. r. D. iverit in Germaniam, qui utinam illuc prospere vadat, ut religionis emendationem in dominia sua reducat. Nam, ut fertur, non tam foede jam in ejus ditione agitur, ut prius. Mea causa et in episcopalibus et in aliis, quae mihi est cum dominis Pomeranis, sit vrae. r. D. commendata; justitiam enim efflagito et id quod meum jure divino est, non, ut quidam dicunt, oppressionem plebis. Sed Deus eis retribuat et pro decimarum injuria centuplum auferat. Sacra autem Mtas. regia sententiam suam, quam mature tulit, claudicare non faciat. Me vrae. r. D. commendo, quae amantem se amet. Ex Vladislavia 26 Maii 1528.

Mathias, Dei gratia eps. Cuyaviensis.

Rmo. in Chro. pri. domino Mauritio, Dei gratia epo. Varmiensi, dno. amico et fri. in Chro. carissimo et honorando.

Teki Górskiego, nr. 3237 (minuta z poprawkami).
Kod. Karnk. X, 158.
Kod. Sap. VII, 157.

267. P. Tomicki, epus. vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Sacra regia Majestas et domine, domine clementissime. Post servitutis perpetuae et orationum mearum humilem commendationem. Satis opportune venit ad nos cum literis Petrus, Mtis. vrae. cubicularius, non multo enim ante accepta hic a me instructione, deinde etiam Cracoviae a domino thesaurario viatico provisus dominus Petrus Opaleniczki in Germaniam et Bohemiam erat profectus, quem pro voluntate et mandato Mtis. vrae. sermae. nuntius domini castellani Cracoviensis est in itinere consecutus, inhibens illi Mtis. vrae. nomine, ne agat quicquam prius cum sermo. rege Ferdinando de concordia et pace, quam a nobis fuerit per nuntium vel literas admonitus, quod ego illum procul dubio credo esse facturum, cum sciat sibi id esse jam interdictum ex voluntate Mtis. vrae., quae certe optimum et maturum cepit in hac re consilium, posteaquam dominus archiepiscopus Colocensis firmissime et constanti voluntate negavit coram illa, regem suum ad pacem vel concordiam descensurum esse.

Nos etiam, ut nulla deinceps nobis foret de voluntate sermi. regis Joannis dubitatio, cum praetermissam legationem ad illius Mtem. obauditaque esse in ea re mandata Mtis. vrae. a dno. castellano Plocensi vidimus. excusantibus se quoque et detractantibus ire ad illius Mtem. domino Premisliensi et domino marsalco curiae, ei muneri obeundo dominum Tarlo, secretarium Mtis. vrae., designavimus et praefecimus. Qui etiam nudius tertius hinc instructione[1]) et fidei literis a me acceptis discessit ad sermum. ipsum regem Joannem recta

[1]) Instrukcyą tę, przeznaczoną pierwotnie dla kasztelana Płockiego Jana Wietwińskiego (lub Wiećwińskiego) zob. pod nr. 129. Porównaj też nr. 125.

recta profecturus. Spero autem fore, ut cito illinc absolvatur, nosque, quam primum redierit, et Mti. vrae. responsum, quod adferet, perscribemus et dominum Opaleniczki faciemus certiorem, quid in articulis pacis praedictae tractare vel subticere debeat.

Scripsi nuper ad Mtem. vram. sermam. supplicans illi, ut castellaniam Bidgostiensem, quae per obitum domini Sbanski nunc vacat, conferre dignaretur domino Mathiae Czarnkowski, quod etiam nunc repeto et magnopere rogo, ut Mtas. vra. precibus meis benigne annuere dignaretur, facio enim id ego non privato commodo ductus vel favore, sed ut proceres regni ad honores hujusmodi vocati Mti. vrae. et Reipublicae melius consulere valeant.

Scripseram praeterea et de palatinatu Belzensi, quem censerem ad illum vocandum et diligendum esse, hoc nunc non itero, nihil enim dubito, Mtem. vram. in hac deliberatione praesentium temporum diligentem habituram esse rationem neque collaturam eundem palatinatum cuipiam esse, nisi qui Republicae tractandae idoneus esse possit.

Quoniam autem ego nondum ab aegritudine mea longa et molesta sum in toto liberatus, vocavi huc ad me doctorem Joannem, phisicum Mtis. vrae., et doctorem Noskowski, consulem Cracoviensem, quorum uterque est a Mta. vra. per literas isthuc accersitus. Quorum causa, ne videantur dicto inaudientes esse, rogo plurimum Mtem. vram., ut illis det veniam paulisper mecum commorandi, cum primum enim ego factus fuero valentior et confirmatior corpore, doctorem Joannem, qui jam est illi itineri accinctus, ad Mtem. vram. dimittam, doctor vero Noskowski, qui rei familiaris cura et reipublicae Cracoviensis negotiis et muneribus est oneratus et implicitus, equis etiam et impedimentis longi itineris carens, tardabit aliquantulum profectionem suam, ibit tamen etiam libenter et obsequetur Mti. vrae., si praesentia sua fuerit istic necessaria.

Commendo me rursus et perpetuam servitutem meam Mti. vestrae sermae., quam felicissimam esse et bene incolumen et valentem cum serma. conjuge et liberis suis augustissimis laetos istic dies agere vehementer opto et Deum Optimum Maximum indignus oro. Dat. in Bodzanczin die S. Pentecostes. Anno domini MDXXVIII.[1])

268. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Kod. Karnk. X, 260.
Kod. Sap. VII, 253.

Sacra regia Majestas, domine domine clementissime. Post perpetuae servitutis et orationum mearum in gratiam Mtis. vrae. humilem commendationem. Electi sunt quatuor viri nobiles in conventu Sandomiriensi praeterito ad subjudicatum terrae Sandomiriensis. Inter quos designatus etiam est dominus Paulus Lipniczki, vir multorum proborum hominum judicio et testimonio bonus et juris communis non ignarus. Quem tametsi sciam commendari a pluribus dominis vestrae Mti.: ego tamen, qui cupio plurimum, ut viri justi et timentes Deum ad publica officia praeficerentur, commendo etiam illum ex animo vrae. Mti. rogoque illam plurimum, sufficere illum dignetur in locum subjudicis demortui, ut omnes homines cognoscant, Mtem. vram. velle habere in officiis judiciariis homines probos et veritatem et justitiam amantes, quae certe hodie apud nos multum claudicant. Commendo me rursus et parvitatem meam gratiae Mtis. vrae. Quam dominus Deus in omnibus ejus actionibus prosperet et fortunet sanamque et felicem nobis quam diutissime in sua gratia conservet. Datum in Bodzanczin.

[1]) D. 31. 5. 1528.

Teki Górskiego, nr. 2896[1])
(minuta).

269. P. Tomicki, epus. vicecancellarius, Ludovico Aliphio.

Magnifice dne., amice charissime et honorande. Magnam mihi attulerunt voluptatem literae D. vestrae, quibus et optimam valetudinem serenissimorum principum meorum et nova ex Italia allata mihi copiose perscripsit. Quod officium D. vestrae cum sit mihi mirifice gratum, volo illi vicissim pari gratitudine animi et benevolentiae officiis per occasionem referre.

Hic Mtis. regiae cubicularius fert plurimas Mti. reginali literas ex Italia allatas, ex quibus si quid forte erit, quod me celare non oporteat, D. vestram plurimum rogo, ut id mihi perscribat primum quemque nuntium nacta, jucundum enim est nunc mihi varia novarum rerum lectio. Cetera omnia, quae diligentiam, curam et cogitationis judicium requirunt, duplicatam mihi afferunt molestiam. Sum etenim adhuc non mediocriter languens et imbecillis ex longa et gravi aegritudine mea. Spero tamen cito futurum, ut et hoc quod superest cum auxilio et ope omnipotentis Dei superem, quod dum ego curo et contendo, D. vestram plurimum rogo, ut pro sua humanitate frequenter me serenissimae dnae. nostrae et serenissimis etiam illius liberis commendare velit, ipsaque me amans, valeat felix et optime incolumis. Datum in Bodzanczyn, ultima die Maji anno etc.

Magnifico dno. Ludovico Aliphio, juris utriusque doctori, burgrabio Cracoviensi et reginalis Mtis. supremo secretario, amico charissimo ac honorando.

Teki Górskiego, nr. 940
(list oryginalny)[2])
Kod. Sap. VII, 118.
Kod. Wojcz. nr. 112.

270. Joannes Zambocki, aulicus regius, Petro Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne., dne. gratiosissime. Post vetustam constantissimamque servitutis meae commendationem. Adactus maxima necessitate concesseram ad villulam meam Szambok, in qua veluti mus ille agrestis in latebra sua sic ego tutus et sine interpellatore infinita incommoda evitavi et molestissimum anni tempus non injucunde transegi. Et tandem cum zephiro et hirundine prima corrasis nummulis, quos Petrus meus genium suum defraudans et bobus aratoribus divenditis collegerat, recepi me ad vetus pistrinum, in quo tot annos trusatilem molam sine spe fructus versavi, non tam deductionis ex stipendiolo, vel ut isti vocant, defalcationis metu, quam severissimi illius edicti in Radom constituti, ubi oblata nobis offula, haec est pauculis nummis Swidnicensibus, aqua et igni interdici comminatum est, si quis ad Lithuaniam non venerit. Itaque ne fabulam, in qua agenda consenui, cum dedecore ad „plaudite“ usque deducerem, veni Vilnam nonis Maji[3]) et in eam annonae et pabuli reliquarumque rerum ad victum pertinentium caritatem incidi, ut nusquam gentium majorem expertus fuerim. Et quamquam tam maturi adventus mei mox me poenituerit, super omnia tamen auxerat dolorem meum, quod in primo statim urbis ingressu pene omnes me territare coeperunt, rmam. Dtionem. vram. periculosissima aegritudine laborare et vix vitam ducere nuntiantes; tantas vires tamque celeres alas habet fama malum etc. Hanc historiam propterea a tam alto repetii, quod a curia rmae.

[1]) Na minucie napisał Górski: N o n s c r i b a t u r, dla tego list ten nie został w kodeksach umieszczony. — [2]) N oryginale napisał Górski: n o n s c r i b a t u r, lecz następnie przekreślił te słowa. — [3]) D. 7 maja.

rmae. Dtionis. vrae. mihi significatum esset, eandem esse quadamtenus indignatam, quia per tantum temporis intervallum ad eam nullas literas dederim, cujus tamen rei duplex causa fuit, altera absentia mea a curia, altera quod verebar, ne laboranti rmae. Dtioni. vrae. importunus obstreperem. Nec dubito quin, si rma. Dtio. vra. aliquid tale protulerit, quo se mihi indignari significavit, id joco potius quam serio ab eadem sit prolatum; non enim obscurum est eidem rmae. Dtioni. vrae., ei non modo omnem servitutem meam, quantulacunque est, sed etiam vitam et si quid est vita potius jam pridem devovisse, ita ut nihil verear, si quis Deus eam occasionem offerret, ut eadem rma. Dtio. vra. de mea in se fide periculum facere deberet, ita me inter eos, qui ei dediti et addicti sunt, superiorem esse cognosceret, ut ipsa ceteros antistites virtute et doctrina antecellit. Quodsi imprudens deliqui — nam delicta quis intelligit — rogo, oro et obsecro, ignoscat mihi rma. Dtio. vra. clementissime.

De Republica veterisque et regni et ducatus Lithuaniae gravioribus negotiis et arcanis perspicuum est, rmam. Dtionem. vram. cum ex regiis literis tum dni. archidiaconi Cracoviensis esse abunde certiorem factam, a me nihil horum scribi potest, quae me veluti bonae Deae sacra profanare nefas est. Tragoediae particulam, quae me adstante peracta est, paucis attingam.

Nuper XXIII[a] die Maji cum post peractam rem divinam — ut fit — clamores, vociferationes et inconditi quidam ploratus, quae hic judicia vocantur, in arce praesidente rege agi coepta essent, dnus. noster epus. Camenecensis, corpore quidem aeger — nam sella ad judicium delatus erat, ut olim Strigoniensis Thomas — sed animo et vocalitate satis firmus Sophiam[1]) Witeblensem vojewodam, criminari adorsus est, objectis sibi quatuor criminibus, quorum minimum fidicula et unco vindicari deberet; tanta hic est criminandi licentia, quanta nusquam gentium, ita ut laesae Majestatis crimen jam levissimum esse videatur. Primum crimen fuit affectati regni, alterum sacrilegii vel impietatis, tertium laesae majestatis, quartum perduellionis. Quae quatuor crimina praeludia duntaxat esse videbantur reliquae actionis; nam amicus meus dnus. Zakrzewski, qui dno. episcopo adstabat, plenum et magnum a tergo quoque scriptum volumen criminationum in manibus tenebat, necdum ex eodem volumine quicquam protulerat. Ad quae crimina cum Sophia ipse paucis ex tempore respondisset, reliquum tempus usque in horam prandii deliberationibus consumptum est, remotis litigatoribus, actioque comperendinata atque de die in diem ita producta, ut hactenus de ea adhuc nulla cognitio habita exstiterit. Interim per utriusque partis amicos strenue pax et concordia tractatur, laborantque, ne scintilla haec magnum aliquod incendium pariat. Adest Gastoldus episcopo reliquaque factio, Sophiae dux Constantinus cum sequacibus suis, adhibentur in consultationem magni jurisperditi. Suspicantur nonnulli, episcopum esse ab adversa parte ad accusandum subornatum, ipse vicissim episcopus numina, terras, coelos, maria Neptunia testatur, pietatis duntaxat et reipublicae causa ad accusandum se instruxisse. Ego nescio, quid de his rebus judicare debeo nec cui parti potissimum credere, sed neque mea refert; illud vulgo dici audivi, Sophiam et episcopum simultates contraxisse ob tabernam meritoriam plebanalem in Vitepsko, cui vicarius vojewodae vini sublimati, alias „gorzałka“ venundandi jus interdixerat, qui est maximus reditus plebanalis, quod interdictum cum caupo violasset, vicarius tabernam ipsam more gentis expilavit ac depraedatus est, alias „pohrabiel“. Quod facinus tam horrendum ipse episcopus adeo sibi in animum revocavit, ut consiliarii ejus ex lcriminibus Mtis. unum esse ei persuaserint. Qualis vero eventus sive exitus hujus actionis consecutus

[1]) Nazwiskiem tem oznacza Zambocki Jana Sapiehę. Górski zmienił je na Sopia.

cuntus fuerit, brevi videbimus, si Deus concesserit: „parturiunt montes etc". Ego Sophiam ipsum tot et tantorum criminum accusatum heri coene regiae accumbentem et ex eadem paropside manducantem non sine admiratione intuebar. Severinus quidam Danus, Norbi dictus, qui biennio ante Germanicum oceanum reddiderat infestum et Hansae civitates perterruerat Gothlandiamque occupaverat et tandem cum se adversariis inferiorem viribus animadvertisset, ad ducem Moscorum profugerat, nuper interventu Caroli, caesaris, ab eodem duce, a quo pene captivi loco detinebatur, liber dimissus est, tamen navigiis septem instructis privatus venit huc Vilnam, profecturus hinc primum ad Ferdinandum, demum ad caesarem. Divertit in ea domo, qua et ego, jucunda mihi fuit cum eo familiaritas. Est vir corpore et animo atque ingenio militari, hodie dicitur hinc abiturus.

Effutivi tot ineptias ea spe fretus, quod priusquam isthuc ad rmam. Dtionem. vram. deferentur, eadem bonae et integrae valetudini, Deo bene juvante, restituetur, alioqui si rmam. Dtionem. vram. aegram adhuc his tam verbosis nugis obruere deberem, ego flagris, literae vero flamma dignae essent. Rmam. Dtionem. vram. Deus incolumem servet. Datum Vilnae postridie calendarum Maji 1528.[1])

Minimus servorum Jo. Szamboczki.

Rme. dne.[2]) Ego et Piaseczki, alumnus meus, uterque nostrum quam aptus sit ad ministerium ejusdem rmae. Dtionis. vrae., nescio, hoc unum scio idque vel juratus affirmare ausim, utrumqe nostrum ea fide et pietate erga eandem rmam. Dtionem. vram. esse et fore, ut pro ea vel emori possemus, si ita casus ferret. Sed de me nihil dico, de illo misero sum sollicitus, quare humillime eum commendo vrae. rmae. Dtioni., simul et precor, ut eum olim aura suae clementiae perfrui sinat, ut dominus noster clementissimus, quem Deus servet.

Teki Górskiego, nr. 1028 (pismo kancelaryi węgierskiej).
Kod. Karnk. X, 164.
Kod. Sap. VII, 162.

271. Responsum a Joanne, regi Hungariae, datum Stanislao Tarlo, canonico & oratori regis Poloniae.

Rde. domine orator. Serma. regia Majestas dominus noster clementissimus agit amplissimas gratias Mti. serenissimi regis Poloniae, uti affini et patri suo honorandissimo et charissimo, quod sua Majestas dignita sit medio oratoris sui, vestrae videlicet Dtionis. reverendae, sese invisere, quod quidem officium, licet Majestati regiae serius sit vel opinione vel exspectatione suae Mtis. exhibitum, non possunt tamen esse non omnia gratissima suae Majestati, quaecunque ab amantissimo patre in filium deditissimum proficiscuntur, etiam si sera sint et multo ante exspectata.

Quod autem attinet ad materiam legationis, pro qua peculiariter vestra Dtio. reverenda ad suam Mtem. est missa, exhortandae suae Mtis. gratia ad ineundam concordiam cum hoste suo, rege Bohemiae Ferdinando, de qua re plura disseruit vra. Dtio. longa et eleganti oratione:

Primum recenti memoria tenet sua Mtas., quantum operae, laboris et diligentiae exhibuerit serenissimus dominus rex vester et ipse per se et per suos in ea re ad optatum finem perducenda, quo etiam nomine amplissimas gratias agit sua sacra Mtas. sermo. regi, offe-

rens

[1]) Tę datę ma oryginał, prawdopodobnie jednakże przez pomyłkę zamiast: postridie Calendarum Junii tj. 2 czerwca. — [2]) Przypisek ten na osobnej kartce.

rens vicissim omnem operam, studium, laborem, sollicitudinem suam ad ea omnia facienda, quae unquam viderit pertinere ad honorem, commodum et amplitudinem sermi. regis vri. — Illud sua Mtas. negare non potest (quod cum bona venia ipsius sermi. regis dictum sit) desiderasse suam Mtem., quod in ista concordiae inter se et regem Ferdinandum tractatione sermus. rex non habuisset tot respectus et quod majore aliquanto et ardentiore animo amplexus fuisset id, quod justum esse et aequum videbat, et quod quum videret serenissimus rex adversarium suum omnia aequa et justa adeo pertinaciter recusare et videret ex discordiis, ad quas animus adversarii inclinabat, non nisi bella intestina et caedes sequi imminereque certa toti christianae reipublicae pericula, optasset regia Mtas., quod sermus. rex amplexus fuisset aliquam aliam viam severiorem et breviorem, qua uterque regum, tam sua Mtas. regia, quam Ferdinandus coactus fuisset, sese intra fines justitiae continere, quod si fecisset, procul dubio nunc essemus omnes extra omne periculum, et adversarius etiam (qui magnum tunc commodum esse putabat, regnum Ungariae sibi subjicere) a tot dificultatibus, in quas se inscius imprudensque conjecit (dum aliena adeo avide expetit) longissime abesset.

Quod ad concordiam ipsam attinet, neminem esse dicit Majestas regia in toto terrarum orbe majorem locupletioremque sibi testem, quam sermum. regem., se semper paratam obtulisse ad omnia justa et honesta etiam cum aliquo rerum et jurium suorum detrimento, paratam praeterea se fuisse ab initio ad causam suam judicio suae Mtis., vel cujuscunque alterius principis vel etiam privati hominis christiani submittendam. Nescit Mtas. regia, quid amplius vel ipsa facere potuisset vel a se exigi deberet, paratam autem ad haec fuisse tunc, cum nondum Ferdinandus, corruptis suis proditoribus, regnum invasisset et cum adhuc Mtis. regiae omnia illa essent tuta ac secura, quae postea vis ac fraus adversarii fecit infesta.

Immo dicit sua Mtas., neque nunc se esse alienam a concordia cum adversario ineunda etiam post tot sua damna et injurias inauditas et horrendas, dummodo Majestas sua intelligat conditiones, quibus concordia hujusmodi fieri valeat.

Hortatur sermus. rex vester, ut interim, dum de concordia agitur, deponantur arma. Miratur Mtas. regia, quomodo videatur serenissmo regi justum esse id a se exigi, qui videt adversarium suum arma impia in manibus habere et nullo genere hostilitatis et crudelitatis plus quam barbarae in regno et patrimonio suo exercendae etiam nunc cessare, neque credit Mtas. regia in manu et potestate sermi. regis esse, hosti arma impia a manibus extorquere, — non videt ergo, quare a se id sermus. rex exigat, ad quod adversarium inducere posse non credit. Ista exhortatio armorum deponendorum vel non capiendorum potius illius fortasse temporis erat, quando sermus. rex videbat adversarium omnia justa et aequa recusantem, sola rempublicam christianam perdendi et dominia sua per fas et nefas latius extendendi cupiditate ductum, ferrum crudele stringere in regem legitimum sermo. regi vicinum, amicum, confoederatum, affinem et quem in locum filii receperat, non hujus praesentis temporis, quando jam adversarius nihil non peregit, quodcunque illius animo insatiabili collibuit et rem etiam publicam in summum sine dubio discrimen adduxit, quamvis res Mtis. regiae in eo loco sint, ut auxilio Dei et suae Mtis. provisione possint in optatum statum reduci.

Monet sermus. rex Poloniae Majestatem regiam paterno affectu, ne notam amissi regni Ungariae — si quid illi per haec contingat — in se et in posteros suos recipiat. Miratur hoc quoque regia Mtas., posse reperiri vel nunc vel in posterum aliquem adeo iniquum judicem actionum humanarum, qui hanc culpam sibi potius ascribere ausit, qui omnia extrema

trema passus sit, ne aliquid reipulicae christianae incommodaretur, quam illi, qui regnum alienum injuste invadendo maximam occasionem hosti potentissimo dedit reipublicae christianae invadendi. Illud certum est, si Majestatis regiae status per hanc injustissimam invasionem non fuisset turbatus, Mtem. regiam talem viam fuisse regni Ungariae defendendi ingressam, quod non solum regnum ipsum exstitisset conservatum, sed etiam omnia, quae annis superioribus amissa fuerunt — sola fortasse Nandoralba sive Belgrado excepta — cum maximo totius christianae reipublicae commodo fuissent recuperata.

Perdendae Ungariae, si tamen periret — quod Deus Optimus Maximus avertat — causam ille dabit, qui hos optimos et reipublicae christianae utilissimos et jam paratos tractatus et actiones pro magna parte conclusas cum magna fortunarum regiae Mtis. dispendio et infinito labore insana regnandi cupidine ductus subvertit, et ille qui cum — Deo et hominibus consciis — non esset sufficiens ad sua tuenda, spargere tamen et literis et nuntiis non cessavit per omnes Turco vicinas provincias, sese expeditionem contra eum parare, qui nunc quoque hoc idem et per Ungariam et per Transsilvaniam spargit, per quod quantum principem omnium potentissimum provocaverit et irritaverit, facile quisque considerare potest. Sciunt omnes, eam esse naturam Turci, ut quemadmodum quando parat et molitur aliquid, id non soleat praedicare. Ita aliorum paratus, minas et terriculamenta non semper putet esse jocos, praesertim si haec a tali principe veniant, qui praeterquam quod fratrem habet caesarem et Hispaniarum ac aliorum regnorum regem, ipse etiam tot titulis abundet, ut vel solus tot amplissimorum titulorum numerus terrere possit quemcunque potentissimum principem.

Illud etiam considerare debet sermus. rex, et ab initio considerare et ita sibi persuadere debuisset, Turcum ob multas causas Ferdinandum nunquam fuisse laturum in sua vicinitate. Quas causas quia per oratores suos scit alias non semel regia Mtas. esse expositas suae Mti., non pergit nunc commemorare. Regiam Mtem. autem facillime toleraret rursus ob alias causas illis contrarias. Mtem. regiam, licet ab initio potuisset habere Turcum ad suum nutum, abstinuisse tamen ab hoc genere foederum, sed quando vidit Ferdinandum per plures literas manu sua subscriptas, per homines Mtis. regiae interceptas — quae apud Mtem. suam existunt — agere apud praefectos Turci promissis et corruptionibus pro pace et amicitia Turci habenda, ut se indequoque contra Mtem. regiam faceret fortiorem, Majestas etiam regia coacta est cogitare de remedio: ne illinc quoque ab adversario supplantaretur, nec tamen prius ad Turcum misit, quam et a proditoribus suis destituta et ab adversario in tantum oppressa, ut coacta fuerit, solio regni sui relicto, in Transsilvaniam se conferre, neque tunc alia egit per oratorem suum cum Turco, nisi quae essent toti reipublicae christianae et regno Ungariae salutaria, neque in his tractatibus, qui cum Turco haberi debebant et de facto jam habiti sunt, oblita fuit regni Poloniae, prout sermus. rex id poterit liquido intelligere, si hactenus jam non intellexit et si intellexit, exspectasset Majestas regia a sermo. rege aliquam grati animi pro hoc fraterno officio significationem pro quodam quasi fructu hujus sui laboris et operae, rebus et commodo suae Mtis. impensae. Dicit Mtas. regia omnes actiones suas ab initio usque in praesentem horam vere christianas et christiano principe fuisse dignas. Quod si Majestate regia coacta post modum (suorum magis proditione, quam armis adversarii, quae sibi parum nocere potuissent) regno etiam cedere, Turcus ab isto glorioso milite toties provocatus veniat et regnum in manibus ejus inventum, Mte. regia in eo non reperta, pro se occupet in perpetuam rei christianiae jacturam, cujus erit culpa? regisne injustissime turbati, qui regnum sine dubio reipublicae christianae conservasset, an ejus, qui rege

legitimo

legitimo turbato, tanta toties tam magnifice ac gloriose de se pollicitus regnum conservare nequiverit? immo jam egregia jecerit regni ab hoste strenue defendendi fundamenta et Jaycza, nobilissima arce, cum pluribus aliis arcibus et nuper (ut nunc Mti. regiae scribitur) Segnia et Clisio turpiter amissis, cum tamen Majestate regia regnum in manibus libere habente ne minima quidem terrae particula in manus Turci devenerit.

Dicit Majestas regia: non fuisse neque esse in sua potestate reprimere Turcum, si ad regnum hoc pacto per Ferdinandum etiam afflictum, per Majestatem autem suam — quam Turcus in regno si reperiret, procul dubio toleraret — Ferdinandi et proditorum injuria desertum venire et illud occupare voluerit et, — ut verbis Mtis. regiae utamur — non haberet sua Majestas voluntatem et potentiam Turci in manica vestimenti sui, ut eam pro libito suo vel effundere vel in manica retinere possit, praesertim cum Turcus adeo sit potens et ita patentem sibi viam paraverit in Ungariam, cujus rei ignarus fortasse rex Bohemiae vel fortunae ac viribus suis plus justi confisus, nimis ferventem thoracem aut loricam induit, quam non erit ita facile abjicere, ut fuit induere.

Illud sermus. rex non ignorat, Ferdinandum hunc tam strenuum christiani nominis propugnatorem nunc etiam habere oratores suos apud Turcum, pacem suppliciter ab eo petentes cum tributo, Turco ex misera Ungaria — ut certo Mtas. regia intelligit — quotannis pendendo.

Miratur regia Mtas. de illis, si qui forte sunt, qui credant vel sermo. regi persuadere conentur rebus praesertim christianis ita se habentibus, ut se habent, posse regnum Ungariae lacerum et ex omni parte apertum atque hosti patens facilius armis per Ferdinandum tutari, quam per Mtem. regiam indutiis et pace conservari. Miratur etiam, si quis omnino reperiatur, qui credere possit, haec regna Turco vicina, christianis principibus inter se digladiatibus, aliter quam per pacem et indutias posse subsistere, Turci potentia in tantum jam adaucta.

Illud etiam miratur Majestas regia, si qui sint, qui credant, Ungaros — si liberae sint eorum voluntates — majori amore prosequi Ferdinandum, quam si sanguinis et suae linguae regem et quem — absit invidia verbo — sint ab incunabulis, quod toti mundo constat, mirabili et incredibili amore atque observantia prosecuti.

Illud quoque miratur regia Majestas, quod Ferdinandus spem aliquam ponere possit in natione nationi suae naturaliter inimica et a se per vim et arma ac paucorum proditionem subacta, quorum in se amorem, si aliquamdiu in Ungaria regnaret — quod Deus avertat — brevi experiretur, sicut alii aliquando sunt experti, quo genere exemplorum nostri annales sunt referti.

Retulit Dominatio vestra nomine regio nescio quas falsas calumnias adversarii de regno per factiones et non liberis populorum votis adepto, fecit praeterea mentionem de quibusdam literis minacibus, ex conventu publico in Thokay celebrato ad regnicolas missis. Miratur Mtas. regia, quod sermus. rex calumniis hujusmodi fidem aliquam adhibeat, praesertim cum tota hujus rei series sit abunde toties coram ejus Majestate explicata. Illud certum est, neminem esse in tota Ungaria, qui possit cum veritate dicere, sibi vim esse aliquam vel injuriam illatam ob hoc, ut in Mtem. regiam consentiret. Quod quidem ita esse, satis probavit conventus ille publicus totius regni Ungariae in Quadragesima anni praeteriti tanta omnium frequentia et consensu celebratus, ad quem Ferdinandus nuntium cum suis literis miserat, cui per literas omnium ordinum et totius regni nominibus et sigillis omnium tam dominorum quam potiorum regni comitatuum et nobilium, eorum vero potissimum, qui ex fidelibus et potioribus optimatibus corruptione adversarii postea

proditores

proditores sunt effecti, ita responsum fuit, ut Ferdinandus ex illo etiam totius regni responso potuerit facile intelligere nationis Ungariae erga se amorem et affectum, quippe quae literis hujusmodi sit manifeste testata, eum nunquam regem habituram. Et sicut nemo est in tota Ungaria, qui contra Mtem. regiam in hac parte dicere aliquid possit et juste conqueri, ita per contrarium — si rei veritas inquiratur — paucissimos et fere nullos, praeter capita proditionum, reperias in toto regno, qui non inviti et coacti jugum servitutis Ferdinandicae subierint. Desinant igitur hoc nomine vel adversarii regiam Majestatem criminari, vel sermus. rex ista credere, quibus contraria scit esse vera.

Nam quod ad illas literas attinet, illae primum non fuerunt nomine solius suae Mtis. scriptae, sed nomine omnium fere dominorum et potiorum regni nobilium, deinde si severiores aliquanto fuerunt, necessitas temporis id maxime tunc exigebat, ut rebus regni collapsis et in tantam ruinam adductis, majore procerum et nobilium parte paulo ante exstincta, ab his, qui supererant, sine mora consuleretur, hoste vix adhuc limites regni egresso et toto regno mirum in modum perturbato.

Nuntiat serenissimus rex eo etiam nomine criminari adversarium regiam Mtem., quod praecipitanter et non exspectato consueto et legitimo regni conventu susceperit regnum, tutatu difficillimum. Ad haec licet satis responsum esse videatur et per ea, quae superius dicta sunt, et in conventu Olomucensi sermi. dni. regis Poloniae authoritate celebrato, tamen paucis nunc quoque sua Mtas. respondet et dicit necessitatem temporis et tot calamitates, quibus erat tunc regnum Ungariae oppressum, et tanta pericula necessario exegisse, ut rebus regni sine mora consuleretur. Quod autem ad conventus illius legitimitatem pertinet, conventus ille, si ex eo impugnatur, quod non fuerit a regni palatino indictus, ad hoc facile responderi potest: primum Stephanum Bathory non fuisse legitimum palatinum regni, ut qui toties juste ab officio illo consensu totius regni dejectus rite et legitime non fuerit in officium restitutus, sed per factiones et corruptelas et magna regni parte contradicente reintrusus, neque in conventu generali, ad quem juxta morem regni fuissent regnicolae ad creandum palatinum vocati, sicut in creatione palatini fuit semper observatum; dieta namqe illa, in qua Stephanus Bathory fuit minus legitime in officium reintrusus vel restitutus, erat indicta non ob aliam causam, nisi propter Turci adventum, sicut id notorium est toti Ungariae et literae quoque sermi. principis quondam domini Ludovici regis, felicis memoriae, super ipsa dieta confectae testantur.

Praeterea esto, quod fuerit legitimus palatinus, statim tamen amisit omnem autoritatem veri palatini, postquam post illam infelicem cladem non solum contulit se ad principem externum, sed contra libertatem et constitutionem regni, quam firmiter et inviolabiliter servare juramento se obstrinxerat, regnicolis reclamantibus et eum fidei ac juramenti sui admonentibus, adhaesit pretio ac pollicitationibus per eum corruptus, ex quo etiam manifestum est, eum perjurii ac fidefragii reatum incurrisse atque ideo omni per hoc palatinatus honore fuisse indignum et ipso facto omni sua autoritate — si quam habuisset — privatum atque destitutum.

Praeterea in tanta omnium consternatione et tanta regni — cui statim succurri debebat — calamitate, omisit indicere dietam, sed eam quoque, quae interea indicta fuerat, non ipse, verum regina Maria, quae nihil de hoc habebat agere, indixit ad locum insuetum et insularem et in potestate reginae tum existentem, in quo, ut puta, loco nunquam memoratur conventus vel dieta fuisse celebrata, ad quem Ferdinandus biduo vel triduo cum suo milite, quem paratum habebat, ex Vienna navigio venire poterat et regnicolas, si ibi convenissent, ad sui electionem vi et armis compellere. Quibus ita se habentibus nescit Majestas

jestas regia, quid contra conventum per alios dominos praelatos et barones — inter quos erat verus etiam et legitimus palatinus regni, spectabilis videlicet et magnificus Stephanus de Werbewcz, modernus regiae Mtis. cancellarius, in generali omnium dominorum et regnicolarum dieta ac conventu praesentibus oratoribus sanctissimi domini nostri Papae et sermi. quoque domini regis Poloniae cum praefato quondam domino Ludovico, rege, pariter constitutis, solenniter electus atque creatus — indictum et celebratum objici posset vel quare dici debeat minus legitime celebratus?

Verum ad haec omnia, quae vel de conventus illius legitimitate vel de electione Mtis. regiae dicuntur, uno verbo jam millies responsum esse videtur, quando Mtas. regia se obtulit ad standum juri paratam. Quod si adversarius suae nimirum justitiae diffisus non subterfugisset, tunc facile haec patuissent omnia cognitumque fuisset tam de conventu quam de aliis, si legitima fuerunt, per quod solum causa regiae Mtis. apud omnes aequos hujus rei judices proculdubio satis superque fuit justificata.

Videat igitur sermus. rex Poloniae, si ob hujusmodi literas, publico nomine scriptas, regia Majestas ita mereatur taxari et adeo acerbe ab adversariis criminari et si sermo. regi ista sunt credenda; omnia tamen, quaecunque ab eodem sermo. rege proficiscuntur, boni et aequi consulit Majestas regia, quia scit ab optimo et sui amantissimo animo proficisci.

Paternos etiam monitus et hortatus suae Majestatis de concordia cum adversario ineunda in optimam partem accipit neque, ut prius dictum est, recusat concordiam, modo intelligat, concordiae conditiones cujusmodi sint futurae.

Quod ad salutem publicam et praesentem rerum Ungaricarum statum attinet, de hoc Majestas regia ita aperte sentit: si Turcus veniat et Majestatem regiam — cum qua cum bono publico totius christianitatis et absque ulla tributi pensione pacem jam fecerit — in rego non reperiat et illud in manibus Ferdinandi — quem ille vicinum sibi esse nolit — inveniat, in magno periculo esse non solum Ungariam, sed etiam Poloniam et reliquas vicinas provincias; cui periculo si sermus. rex — prout tenetur — occurrere velit, illud censet Majestas regia esse unicum remedium, ut persuadeat regi Ferdinando, quo ipse regnum alienum injuste invasum quam primum relinquat, ne a Turco — si is veniat — ibi reperiatur et ut sermus. rex Majestatem regiam juvet majoribus quibus potest viribus, ut possit in regnum Ungariae quam primum intrare et ab ipso Turco adveniente ibi reperiri, alioquin actum erit (sententia regiae Majestatis) et de Ungaria et de Polonia, nisi hoc quam primum fiat. Sed ante omnia sua Mtas. censet, opus esse summa celeritate, ad quod faciendum et ad Majestatem regiam contra quemcunque hostem adjuvandum sermus. rex Poloniae — alioquin etiam ratione foederum, quae privata habet cum Majejestate regia fide suae Majestatis firmata — tenetur.

Quibus quidem foederibus et fidei suae, ut sermus. rex satis facere velit, Majestas regia ejus Mtem. medio vestrae Dominationis rndae. non solum rogat, sed etiam monet et instantissime requirit. Quodsi sermus. rex id fecerit — prout Mtas. regia confidit — una et eadem opera et fidei suae satis faciet et haec regna, quae opera Ferdinandi maximo discrimini exposita esse videt, conservabit.

272. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 949 (list oryginalny). Kod. Karnk. X, 133. Kod. Sap. VII, 129.

Reverendissime et colendissime mi domine. Non cesso die ac nocte sollicitus esse de adversa valetudine vestrae rme. Dtionis. in eaque anxietate constitutus mitto hunc meum servitorem

servitorem ad illam invisendam, comprecans interim illi pristinam bonam valetudinem partim orationibus cum sacrificis meis partim etiam crateribus cum amicis, qui contingunt, supplicoque illi, ut me vel tribus verbis de ipsa sua valetudiue certiorem reddere dignetur.

Ego gratia Dei more meo solito valeo recte satis, nisi quod difficultatem et molestiam quandam patior in eliberandis bonis meis non vulgaribus, quae et pertinacius occupantur, quam decet, et magis depravata et expilata sunt, quam ut diutius tolerari possit. De publica hominum oppressione[1]) et querimoniis nihil dico in praesens, malo, ut vestra rma. Dtio. ista omnia ex aliis cognoscat.

Audio, quod dnus. capitaneus Plocensis miserit ad vram. Dtionem. rmam. questum de me, nescio quid. Ita solent anticipare justas querelas, qui culpam commiserunt. Ego de moribus ejus nihil neque de meritis in me scribam, futurum est enim tandem aliquando, ut quod omnes homines praedicant et queruntur, ipsa etiam cognoscat et experiatur

Mi rme. domine. Periit miserabiliter nepos meus germanus Andreas in Lithuania, quem prae ceteris omnibus unice diligebam et in quo spem omnem domus meae constitueram, quare sum in luctu et moerore maximo exciditque jam mihi omne desiderium faciendi aliquid pro decore ipsius domus meae, cum jam talis non superest heres, qui mihi sit ex sententia. Praesagibat illi misero animus hunc suum casum, quum me impense rogabat et ego optabam, ut a me reciperetur, sed non visum erat vestrae Dominationi rmae., bono quidem consilio, si fata illum servassent, nam audio et Mtem. reginalem et regulum valde dolere ejus interitum, quod et literae ejus Majestatis, quas mihi scripsit, satis indicant. Fiat, utcumque est voluntas domini.

Fuit hic apud me dnus. Rincon cum Statilio, vadit uterque in Galliam, pessime de nobis uterque contentus, praesertim dnus. Rincon ob illatas sibi quasdam ignominias. Ferunt secum exemplum literarum foederis et conjunctionis inter Mtem. regiam et dominum Trenczinensem, de qua ego prius unquam scivi mirorque vehementer datas tales literas absque aliqua conditione, ut nihil videatur, quo jure excusari possit Mtas. sua, si non satisfecerit fidei suae. Quando haec christianissimus rex et alii videbunt, quo pacto sibi de Mte. sua persuadere poterunt boni aliquid, prorsus nescio vereorque plurimum, ne tali nostra neutralitate vel ambalitate potius apud utramque partem et amicitiam amittamus et fidem. Ad concordiam tractandam neque est animus Joanni, neque jam ullo pacto integrum, initis adversus hostem cum inimicis ejus arctissimis foederibus et societate, quae, tamen mihi neutiquam probatur neque ex illa quicquam boni proventurum spero, licet illi non sperant solum, sed etiam certum habent emersuros esse.

Faceret recte dnus. episcopus Premisliensis et levare posset onus pontificium vestrae Dominationis reverendissimae, si huc ad me veniret, consecrarem illum cum meo et cum Vladislaviensi suffraganeo facillime et libentissime, itaque dignetur hoc illi vra. rma. Dominatio persuadere.

Quando suffraganeo vrae. rmae. Dominationis literae afferentur, jubeat illum ad me venire, nam commodius illum nemo, quam ego, consecrare poterit. Commendo me humiliter rmae. Dominationi vrae. Ex Ploczko quarta Junii. Anno domini 1528.

Servitor Plocensis.

[1]) W kod. Karnk. dopisał Górski: per Nicol. Nisczicz ki, capitaneum Plocensem.

273. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Kod. Kórnicki pism Krzyckiego, nr. 172.

Rme. mi dne. Coactus precibus domini Marschalci vado die crastina in Visnicze ad nuptias, in hoc triduum valedico D. vrae. rmae. et me illi ex corde commendo. Fuit hodie apud me dominus Rincon; multa questus est primum de mora hic apud nos sua, deinde vero de incuria nostra sub hac tanta in vicinia turba et belli alea, ut nihil sciri possit, nisi quae Judaei et mercatores afferant et alia multa. Lenibam hominem et querimonias ejus diluebam quibus potui rationibus, quod omnino princeps noster nolet quoquo pacto sese huic bello immiscere, quod modis omnibus est dehortatus, non tamen persuasi, quin improbaret incuriam sciendi saltem, quorsum hujus vel alterius res inclinarent Si vestra rma. Dtio. habet aliquid ex Italia, supplico mihi impartiri dignetur. Cui me etiam atque etiam humiliter commendo.

274. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Christofero de Szidlovec, cast. & cap. Crac., cancellario.

Teki Górskiego, nr. 961 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 147.
Kod. Sap. VII, 146.

Magnifice domine, domine et amice honorandissime. In literis, quas hic cubicularius Comorniczki a Mte. regia ad me attulit, declarat mihi primum Mtas. sua, quo responso dato oratorem serenissimi regis Joannis absolverit, deinde Mtas. sua requirit consilium meum simulque postulat, ut Mti. suae perscriberem, qua ratione potissimum existimarem adigendos esse nobiles ducatus Mazoviae ad id contribuendum in defensionem publicam, quod et alii Mtis. suae subditi jam praestiterunt et Mtas. sua illis paulo ante per nuntios contribuendum injunxerat. Praeterea exponit mihi Mtas. sua, quod ad se nuper dnus. castellanus Lublinensis scripsit, quaerens item a Majestate sua, an liceret sibi, si per occasionem posset, ultra praescriptum in instructione decennium majus tempus indutiarum petitione sua complecti. Et ad illa quidem duo superiora ego Mti. suae, quod saluberrimum magisque utile mihi fore videbitur, opportune respondebo. Ad hoc autem postremum, quid censeam et sentiam, Mgciae. vrae. communicandum duxi. Et sane petendarum indutiarum ego propterea circumscripsi et praefinivi decennii modum, quod et in conventu proxime praeterito tantundem petendum erat constitutum et mihi etiam ipsi ita videbatur sufficere. Extendens enim ego cogitationem meam ad ulteriora tempora, circumspiciens etiam foedera et societates vicinorum, omnium denique christianorum leges et professionem expendens, reperire non potui aliquam singularem Reipublicae nostrae utilitatem vel commodum exinde provenire et afferri posse, quod longior diuturniorque indutiarum dies cum infidelibus sumeretur, quinimmo et hoc ipsum decennii tempus bifariam mihi injiciebat metum: ne videlicet vel a principum christianorum optima illa sanctissima, veteri denique belli gerendi contra infideles deliberatione et instituto desciscere, illique adversari velle videamur, quod illos procul dubio dissensionibus et privatis bellis tandem compositis suscepturos prosecuturosque esse feliciter sperandum est, vel foederum et pactorum eorum judicemur corruptores et violatores, pro quibus Mgcia. vra. cum nonnullis aliis dominis ad sermum. regem Wladislaum in Ungariam post felicem coronationem sermi. regis et domini nostri fuerat profecta et in quibus hoc expresse et nominatim continetur: ne liceat alteri regno separatim nisi conjunctim vel indutias Turcorum petere vel illis bellum

bellum inferre; e diverso etiam, ut quodcunque horum duorum regnorum ab ipsis Turcis bello peteretur vel adoriretur, castraque ejus finitima obsiderentur, ab altero omni auxilio et subsidio adjuvaretur. Cujus rei conservandae quanta videatur esse utilitas vel uno exemplo patere potest, quod regis Adalberti cum Turcis indutiae procedere nequaquam potuissent, nisi Hungarorum in hac re ope et consilio adjutus fuisset. Cum itaque ego et foedera Hungarorum sancte et inviolate observanda et christianorum principum communionem consensionemve, si quando inciperetur, contemnendam vel relinquendam non esse censerem, moderamine hoc decennii sum usus, in quo, quod id non ultra modum diuturnum esset, excusatio nobis ad praenominata, que objici possent, relinquitur eritque in promptu; sive enim principes christiani culpabunt ab officio, sive Hungari a foederibus Mtem. regiam discessisse, quod oblita scilicet eorum ad suscipiendas cum infidelibus indutias descenderit, utrumque depellere et defendere hoc pacto licebit, quod non religionis et communis christianorum societatis contemptu vel foederum Pannonicorum spretu ducta Mtas. sua indutias susceperit, sed quod grave illi nimium videretur in vicinia et finibus infidelium manenti non prospexisse tantisper regni sui paci et quieti, dum haec, quae gerantur inter principes christianos et inter Hungariae regnicolas bella, dissensiones et discordiae conquiescerent. Et haec erat ac etiamnum est consilii mei de tantis indutiis petendis ratio, quam Magnificentia vra. pro sua prudentia diligenter considerabit conjuncta Mtis. regiae in hac re sententia, quam ex suis ad se datis literis facile perspiciet; deinde arbitratu suo et aliorum etiam dominorum consiliariorum regni, quibus id communicabit, judicio statuet et decernet, quicquid utilissimum Reipublicae fore duxerit dominumque castellanum Lublinensem instruet, quo pacto id, quod Magnificentiae vrae. et ceteris dominis videbitur, tractare vel persequi debebit.

Ego adhuc aegritudine mea non sum liberatus, tametsi jam pauxillum incipiam esse confirmatior et valentior; est enim haec ipsa aegritudo mea, ut quaelibet alia, tenax et tarda fortasse propterea, ut cum medicorum conveniat proverbio, quod et illis quotidie in ore versatur et Magnificentia vestra frequenter usurpare solet: morbos scilicet libratim venire, unciatim discedere. Spero tamen me sensim pristinam sanitatem et vires ope Dei Optimi Maximi et diligentia medicorum, quos apud me habeo, recuperaturum. Commendo me ex animo vrae. Magnificentiae, quam dominus Deus quam diutissime conservare cum suis omnibus pro sua gratia sospitem et felicem dignetur. Datum in Bodzanczin feria VI^ta^ Pentecostes. Anno 1528.[1])

Archiwum Wiedeńskie (koncept).

275. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Ferdinandus etc.[2]) Serenissimo principi domino Sigismundo, regi Poloniae, magno duci Lituaniae ac Russiae Prussiaeque, fratri et sororio nostro charissimo, salutem et fraterni amoris omnisque felicitatis continuum incrementum. Serenissime princeps, frater et sororie noster charissime. Proficiscitur in praesentiarum de mandato nostro ad Serenitatem vestram magnificus fidelis nobis dilectus Joachimus de Malzaun, in baronatu Grauppen et Teplitz, consiliarius noster, cui nonnulla commisimus super iis, quae nos ac regni nostri Hungariae

[1]) D. 5. 6. 1528. W kod. Karnk. mylna data: feria quinta Pentecostes. — [2]) Na brzegu konceptu dopisano: imperialis locumtenens cum omnibus titulis.

gariae subditos contingunt, exponenda, sicut ab eodem coram intelliget. Quae cum ex mente et voluntate nostra veniant, idcirco hortamur et rogamus eandem Serenitatem vestram, ut eidem Joachimo in iis, quae circa praemissa referet, non solum fidem indubiam habere, verum etiam se super eisdem ita exhibere velit, sicut in eandem confidimus et vicissim erga eam officio et amore nostro fraterno promerebimur. Quae felicissime valeat. Datum Pragae 10 Junii 1528.

276. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Bonae, reginae Poloniae.

Archiwum Wiedeńskie (koncept).

Ferdinandus etc. Serenissima etc. Proficiscitur in praesentiarum de mandato nostro ad serenisimum principem, dominum Sigismundum, regem Poloniae, magnum ducem Lituaniae ac Russiae Prussiaeque, fratrem et sororium nostrum charissimum, magnificus fidelis nobis dilectus Joachimus de Malzaun in baronatu Grauppen et Teplitz, consiliarius noster, cui nonnulla commisimus tam nos quam subditos regni nostri Hungariae spectantia Serenitati vestrae referre, sicut ab eodem coram intelligere poterit. Quae cum ex animi nostri voluntate proficiscantur, eapropter eandem Serenitatem vestram magnopere hortamur, ut eidem Joachimo in his, quae circa praemissa referet, nostri intuitu non solum fidem indubiam habere, verum etiam se super eisdem ita exhibere taleque bonum suum officium apud praenominatum d. consortem suum et fratrem nostrum charissimum, ut solet, impendere velit, sicut eandem pro solita sua in nos dilectione et affectione facturam confidimus et nos vicissim erga eandem pari officio nostro, dum dabitur occasio, accumalate compensabimus. Quae felicissime valeat. Datum Pragae 10 Junii 1528.

277. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Christophoro Szydłowiecki, castell. Crac., cancellario.

Archiwum Wiedeńskie (koncept).

Ferdinandus etc. Illustris sincere dilecte. Confert se in praesentiarum de mandato nostro ad serenissimum principem, dominum Sigismundum, regem Poloniae, magnum ducem Lituaniae ac Russiae Prussiaeque, fratrem et sororium nostrum charissimum, magnificus fidelis nobis dilectus Joachimus de Malzaun in baronatu Grauppen et Teplitz, consiliarius noster, cui nonnulla commisimus, quae nos et regni nostri Hungariae subditos concernunt, vobis exponenda, sicut ab eo coram intelligetis. Quae cum ex mente et voluntate mea veniant, idcirco vos inhortandum duximus, ut eidem Joachimo non solum in iis, quae circa praemissa referat, fidem indubiam habere, verum etiam solitam bonam operam et diligentiam vestram in rebus nostris et iis, quae nunc petimus et pro tempore forsan essemus petituri, apud serenissimum dominum regem, apud serenissimam ejus contoralem, sororem nostram charissimam, et alibi, ubi operae pretium fuerit, pro vestra, qua apud eandem polletis autoritate et rerum agendarum industria, impendere velitis, sicut vos etiam facturos esse non dubitamus, et vicissim erga vos singulari gratia favoreque nostro, dum dabitur occasio, recognoscemus. Datum Pragae 10 Junii 1528.

In simili ad Lucam de Gorca et Andream Tantzium:
Spectabilis et magnifice sincere dilecte.
Item aliae ad Stanislaum Halitz et Severium Bonnar:
Magnifice sincere dilecte.

Archiwum Wiedeńskie (koncept).

278. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, P. Tomicio, epo. Cracoviensi, vicecancell.

Ferdinandus etc. Reverende in Christo pater, sincere dilecte. Commisimus magnifico fideli nobis dilecto Joachimo de Malzaun in baronatu Grauppen et Teplitz, consiliario nostro, nonnulla Dominationi vestrae super iis, quae nos et subditos regni nostri Hungariae concernunt, communicanda, sicut ab eo coram intelliget. Quae cum ex mente et voluntate nostra veniant, idcirco hortamur eandem enixe, ut nostri contemplatione praefato Joachimo non solum in iis, quae circa praemissa referat, fidem adhibere, verum etiam se super eisdem ita erga nos exhibere atque res nostras et quae nunc petimus et forsan pro tempore essemus petituri, prae sua apud serenissimum dominum regem Poloniae etc., fratrem et sororium nostrum charissimum, auctoritate curare et efficere velit, sicut in eandem clementer confidimus et vicissim erga eam peculiari gratia favoreque nostro recognoscemus. Datum Pragae 10 Junii 1528.

In simili ad episcopum Cujaviensem. Ferdinandus.

Archiwum główne Warsz. (oryginał z własnor. podpisem Ferdynanda i pieczęcią na laku).

279. Ferdinandus, rex Ungariae et Boëmiae, confirmat contractum matrimonii inter Stephanum, palatinum Ungariae, et Sophiam, filiam Conradi, ducis Masoviae.

Nos Ferdinandus, Dei gratia rex Hungariae et Boëmiae etc., infans Hispaniarum, archidux Austriae etc. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes quibus expedit universis: Quod cum annis superioribus illustris domina Sophia, dux Masoviae Russiaeque, auspiciis serenissimi principis et domini dni. Sigismundi, Dei gratia regis Poloniae, magni ducis Lytuaniae etc., fideli nostro spectabili et magnifico domino Stephano de Bathor, regni nostri Hungariae palatino, ac in absentia nostrae Majestatis locumtenenti, in matrimonium collocata fuisset, certiquae contractus, pacta et conditiones inter eosdem post consumatum matrimonium medio venerabilium ac generosorum Felicis de Brzesczie, ducatus Masoviae palatini et capitanei Cziechonoviensis, Pauli Trampsky, praepositi Warshoviensis atque praefati ducatus Masoviae vicecancellarii, Stanislai de Strzelcze, juris pontificii doctoris, Posnaniensis, Vladislaviensis, Plocensis et Warshoviensis ecclesiarum canonici, Erasmi de Kobilniki, pincernae Cziechonoviensis ac ejusdem ducis Sophiae curiae magistri, et Martini de Obori, dapiferi Zacroczimiensis et curiae praefatorum ducum marsalci, consiliariorum ipsius ducatus Masoviae, Budae in civitate nostra regia de et super dote ac contradote rebusque parafernalibus inter eosdem mutuo initae, ac literis serenissimi felicis reminiscentiae regis Ludovici, praecessoris et sororii nostri charissimi, firmatae essent, iidem dominus palatinus et illustris dux Sophia productis coram nostra Majestatae eis ipsis tractatibus et pactis supplicarunt nostrae Majestati, ut ea omnia tunc inter eos inita rata et grata habentes eisdem nostrum censensum praeberemus. Quorum supplicatione benigne accepta omnes praefatos contractus, pacta et conditiones approbavimus ac nostra regia authoritate ratificavimus, eisque nostrum benivolum consensum praebuimus pariter et assensum, perinde ac si verbotenus his nostris literis essent insertae

sertae, immo ratificamus et approbamus, perpetuoque valituras confirmamus, harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo ut rex Hungariae utimur, communitarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum in civitatae nostra Praga in festo beati Barnabae apostoli. Anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.[1]) Ferdinand.

280. Christoph. Szydłowiecki, castell. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Archiwum Wiedeńskie, (list orygin. z własnoręcznym podpisem).

Sacratissima Majestas et domine domine clementissime. Post perpetuae et constantissimae servitutis meae commendationem. Accepi literas sacratissimae Majestatis vestrae, Pragae XXVII die Maji datas, in quibus mihi dignatur gratias agere de officiis meis et hortari, ut in eisdem ipsis officiis obsequendi sacrae Majestati vestrae perseverarem. Serenissime rex, ab eo tempore, quo in Nova Civitate Austriae sacram Majestatem vestram de facie cognovi, dedi semper operam, ut quam optime possim de sacra Majestate vestra mereri, utpote de tali principe, quo orbis non produxit et gratiosiorem et prudentiorem, et quod Deus confirmet et augeat feliciorem, nec aliud de meis studiis sibi polliceri dignetur Majestas vestra serenissima, quam de optimo quoque servitore suo: sum enim totus bonus fidelis et sincerissimus servitor ejus. Placeat hoc vel displiceat ceteris, non morabor, ut hodie reverendissimo domino meo, domino episcopo Tridentino scripsi, quorundam suspiciones. Quod vero jubet, ut literas regiae et reginali Majestatibus, dominis meis clementissimis, mitterem, misi eas, serenissime rex et domine clementissime, sine ulla mora, agoque et habeo sacratissimae Majestati vestrae gratias maximas, quod literarum ad regiam Majestatem datarum, simul et literarum colendi Hieronymi a Lasko exempla mihi mittere dignata est, quibus omnibus lectis vehementer miratus sum et scio, quod haec mirum in modum serenissimo domino meo, sicut merito debent, displicebunt. De his autem, quae ille sua quodam audentia committerè nititur, et scribere mihi perdificille et disserere multo difficilius est. Spero tamen ego in domino Deo, quod ut de aliis ita de his christiani nominis et suis hostibus felicissime triumphabit.

Commendo me et servitia mea iterum atque iterum sacratissimae Majestati vestrae, quam dominus omnipotens servare dignetur quam diutissime incolumem. Datum Cracoviae die XIII[a] mensis Junii, anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

Ejusdem sacratissimae Majestatis vestrae humilis servitor Cristophorus de S., castellanus et capitaneus Cracoviensis, r. P. cancellarius, manu sua.

281. Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Capitulo Warmiensi.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1 f. 32).

Venerabiles domini fratres, sincere nobis dilecti. Diximus nuper Marienburgi venerabili fratri nostro domino doctori Nicolao Coppernick, ut tum nostram tum F. v. fidem reginali Mti. factam liberaremus, velle nos scribere, quemadmodum et scripsimus suae Mti., vacare canonicatum Warmiensem per obitum venerabilis olim fratris nostri Ebrehardi Ferber in Urbe defuncti. Et quoniam audiremus passim in Germania beneficia in Romana curia vacantia in hac rerum turbatione conferri pro episcoporum Germanorum arbitrio et libito, essemus

[1]) D. 11. 6. 1528.

essemus quoque nos parati, ut eundem canonicatum Warmiensem conferremus domino Joanni Flachsbinder, si modo suae reginali Mti. sic visum foret, et si id ipsum ut nobis facere liceret, apud sedem apostolicam obtinere posset. Rogavimus idcirco reginalem Mtem., ut nobis super hoc consilium suum impartiri dignaretur. Id quod et fecit per literas, quarum copiam praesentibus impositam mittimus, ne quicquam earum rerum celaremus F. v., quas bene valere cupimus. Ex arce Heilsberg dominica sub octavas Corporis Christi 1528[1]).

Teki Górskiego, nr. 2898 (minuta).[2])

282. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, doctori Stanislao Bork.

Venerabilis dne. frater in Christo charissime. Tametsi de Gallo ita constitueramus, ut non esset amplius servus noster, ita enim edocti eramus, quod erat valde negligens in servitio nostro et officio sibi commisso, quando tamen illum nobis de fide et diligentia amplis verbis commendatis et censetis illum necessarium esse ad laborem hunc coquinae nostrae, permittimus, ut eum viceversa in locum pristinum et servitium nostrum restituatis, admoneatis tamen eum, ut deinceps diligentior sit et omni cura ac studio suo curet et agat ea omnia, quae ei per vos vel nos committuntur. Nam nos segnes, inutiles et non necessarios servos nullo modo servare et tenere possumus.

Miramur plurimum, quod hactenus non conveneratis cum mgro. Benedicto, quam mercedem pro sua cura et diligentia habere a nobis debeat, quod cum facere hactenus distulistis, rogamus vos, ut jam tandem id ulterius non differatis, sed vel vos ipsi, vel dnus. zupparius cum eo constituat, quid illi singulis septimanis aut mensibus solvi a nobis debeat. Dari enim illi et solvi libenter praecipiemus, quidquid cum illo constitueritis. Non optamus enim, ut aliquis serviat nobis absque mercede laboris sui debita.

Res omnes, pro quibus ad vos per Jo. Swieszosedek scripseramus, adduxit et reddidit nobis auriga noster. Opus autem est nobis confectione Bertholdi, cujus mediam libram nobis per hunc puerum mittatis. Ut autem paulo ante vobis scripsimus, jam Dei benignitate meliuscule valemus aegritudoque nostra sensim abire et nos relinquere incipit, pro quo ipsi dno. Deo sit laus et gloria.

Quercus et virgulta quotquot vobis necessaria sunt ad praedium vestrum, excidi in silvis nostris vobis faciatis. Currum vero vestrum, qui hodie huc cum rebus per vos missis advectus est, brevi ad vos istuc vel in Dobrowodam remittemus. Bene valete et dnum. Deum pro nobis orari faciatis. Datum etc.

Teki Górskiego nr. 2898 (minuta).[3])

283. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, Nicolao Bedlenski, scholastico et vicario Crac.

Venerabilis dne. frater in Christo charissime. Agimus et habemus vobis magnas gratias quod tam sollicitam curam geritis de valetudine mea et pro ea assiduas preces ad dnum. Deum fundere non desistitis, quod studium et officium vestrum erga nos ipse dnus. Deus vobis

[1]) D. 14. 6. 1528. — [2]) Na minucie dopisał Górski: non scribatur. — [3]) Na brzegu minuty zapiska Górskiego: non scribatur, dla tego listu tego nie masz w kodeksach.

vobis sua divina gratia retribuat, nos vero illud favore, benivolentia et gratificatione nostra vobis referre semper curabimus. Sciatur autem, quod jam Deo sit gratia melius valere incipimus, aegritudoque nostra sensim nos relinquit, — sensim dicimus et pedetentim, morbi enim, ut dicunt medici, libratim adveniunt, unciatim vero discedunt, — atque ita speramus, quod etsi non subito, non multo tamen tempore post restituemur pristinae sanitati. — Cum rediisset ad nos istinc Moraviec noster et optasset nomine dni. doctoris Bork, ut Joannem Swieszosedek, utilem et necessarium servum nostrum, istuc mitteremus, qui intenderet ad operarios, qui laborant circa aedificium coquinae nostrae, retulitque nobis Gallum non esse diligentem in hoc servitio et officio sibi commisso, nos hac re non leviter commoti constitueramus illum non habere amplius in numero servorum nostrorum, non enim consuevimus servare et fovere inutiles servos et fruges dumtaxat consumere natos. Quando vero aliter vobis et dno. doctori Borgk videtur, maneat idem Gallus, quem tantopere commendatis, in Dei nomine in domo nostra, sed ea lege, ut sit deinceps diligentior in servitiis nostris, nam nos, ut diximus, magno odio prosequimur inutiles et negligentes servos. Felicissime valete et dnum. Deum pro nobis orari assidue et indesinenter faciatis Datum etc.

284. Contractus de arce Tranczin Ferdinandinis prodita.[1]

Teki Górskiego, nr. 950, (odpis współczesny.) Kod. Karnk. X, 167. Kod. Sap. VII, 165.

Nos Joannes Caczianer, eques auratus, consiliarius et capitaneus generalis serenissimi potentissimique principis et domini, domini Ferdinandi, Dei gratia Ungariae ac Bohemiae etc. regis, archiducis Austriae etc. Universis et singulis capitaneis aliisque quibuscunque inhabitatoribus in custodia castri Tranczinensis constitutis et existentibus loco salutis nostrae gravissimam regiae Mtis. domini nostri gratiosissimi indignationem nuntiamus. Cum oculis ipsis videritis, experti etiam sitis et audiveritis, quibus modis praedictae regiae Mtis. victoria hactenus magis ac magis satis feliciter, praecipue vero heri novissimisque elapsis diebus nobis Dei Omnipotentis auxilio subsecuta sit, conveniens foret partam et acquisitam nostram victoriam sequi et similiter quoque adversus vos, capita, res et omnia bona vra. procedere. Rursus tamen moti sumus antea vobis significare et cum hoc etiam admonere, ne vosmet cum castro Tranczinensi praefato regiae Mti. tanquam inobedientes opponatis. Iccirco a vobis universis et singulis serio petimus, quatenus melius, quam hactenus a vobis factum est, considerata, ob oculos posita et in animam revocata vestra conjugum, liberorum, vitae, rerum etiam et bonorum vestrorum salute, vos simul cum castro Tranczinensi gratiae ac indignationi regiae Mtis. Ungariae et Bohemiae etc. domini nostri gratiosissimi, dedatis et offeratis. Quod si vero ad isthuc etiam temporis vobis factu inconveniens videretur, noveritis nos simul cum reliquis praenumeratae regiae Majestatis supremis capitaneis aliisque strenuis et fortibus militibus, quoad corpus et vita nostra duraverit, in capita et vitam eo modo progressuros, quod vos ultimo poenitere debeat. Volumusque vos per istas nostras literas novissime et ultimo admonitos; nam ultra istam nostram admonitionem de cetero vobiscum in negotio isto nullo modo intromissuri, verum recta facto ipso contra vos progressuri sumus, petentes superinde celerrimam vestram responsionem. Datum in castris ad Tranczin metatis fer. III post festum Sancti Viti, martiris. Anno Domini MDXXVIII.[2])

[1]) Tytuł powyższy w kod. Karnkowskiego, — w kod. zaś Sapieżyńskim: De capta arce Threnczin per condictamen.
[2]) D. 16. 6. 1528.

Teki Górskiego, nr. 950 (współczesny odpis). Kod. Karnk. X, 167. Kod. Sap. VII, 165.

285. Conditiones proditae arcis Tranczin regi Ferdinando.

Nos infrascripti: Joannes Caczianer, eques auratus, regiae Mtis. Ungariae et Bohemiae etc. consiliarius et capitaneus generalis, Emericus Nagh, vicepalatinus regni Ungariae, Ludovicus Reken de Kaczina, capitaneus supremus levis armaturae, Leonardus junior, liber baro in Vels, ejus Mtis. consiliarius, cubicularius et capitaneus supremus peditatus universi etc., Nicolaus de Thurn, eques auratus, capitaneus supremus gravis armaturae, Joannes Aphalcher, eques auratus, supremus campi marsalcus, Vidalricus Leyser, capitaneus munitionum et ingeniorum bellicorum supremus, Julius comes de Wardek etc., Rupertus comes de Manderschith etc., Casper de Czobor, Zend Michal, Lucas Czacol, baro in Fridaw etc. et Christopherus de Thurn, capitaneus veteris Zolii et comes comitatus Zoliensis. Recognoscimus et fatemur tenore praesentium significantes quibus expedit universis: Quod cum nos simul cum regiae Mtis. praefatae exercitu per tempus aliquod castrum et civitatem Tranczinensem obsederamus et capitaneos possessoresque castri ejusdem ad regiae Mtis., domini nostri gratiosissimi, obedientiam repetiveramus, extum ad petitionem eorundem salvum et securum conductum nostrum iisdem dedimus et concessimus, per quem quidem nos cum iisdem in colloquium amicum et mite devenimus et post longa et multa habita consilia bene perponderata, praemeditata et recta conscientia, nos nomine et loco praenominatae regiae Mtis., ex auctoritate, potestate et commissione, nobis ab eadem regia Mte. data et concessa, negotio isto immiscuimus, nosque ex utraque parte tandem in contractum intromisimus desuperque articulos conclusionis et contractum sequentem ereximus et conclusimus.

Primo transactum et conclusum est, capitaneis et possessoribus castri Tranczinensis omnia bona mobilia, aurum videlicet, argentum, clenodia et alia bona ad eorundem dominum Joannem de Zapolya pertinentia et in castro Tranczinensi jam dicto existentia, quo scilicet commodius et melius solutionem stipendiorum suorum nancisci et acquirere possint, libere et non impedite permitti debere.

Secundo: ingenia seu tormenta bellica, pixides etiam aliae, globi, pulveres et materia omnis ad conficiendos pulveres destinata cum pertinentiis aliis ingeniorum, tormentorum et pixidum quarumcunque, quantum in praedicto castro existit, generali capitaneo, domino Joanni Caczianer etc. loco regiae Majestatis Ungariae et Boëmiae etc. simul cum castro Tranczinensi dari, resignari et assignari debebunt.

Tertio: omnia privilegia Mtis. aliaeque literae praefatis capitaneis et possessoribus castri Tranczinensis dominoque eorum attinentes, in castro eodem depositae existentes, apud eosdem capitaneos et possessores dicti castri permaneant, exceptis tamen literis, privilegiis et regiae Mtis. castrum et comitatum Tranczinensem, simul etiam bona civium civitatis Tranczinensis,[1]) quae in castro ad manus capitanei generalis permanere tandemque resignato castro, quae civibus attinent, rursus restitui debebunt.

Quarto: resignato castro Tranczinensi cives civitatis ejusdem simul cum bonis capitaneorum et aliorum bona sua et ecclesiastica propria de castro eodem educere possunt.

Quinto: quaecunque alia clenodia ecclesiastica in praefato castro eodem Tranczinensi deposita, nec ad cives Tranczinenses pertinentia, in castro eodem ad manus capitanei generalis loco regiae Mtis. immota permaneant, exceptis clenodiis ecclesiasticis ad dominum eorundem spectantibus necdum ad ecclesias ullas dicatis.

Sexto: nobilibus in castro Tranczinensi existentibus bona sua immobilia et hereditaria, quae nunc temporis possederunt, ea etiam, de quibus in isto bello Ungarico dejecti et expulsi essent

[1]) Opuszczono: attinentibus.

essent, tum quoque quae a praefato eorum domino Joanne de Zapolya de bonis ejus propriis donationis titulo acceperunt, cum bonis, quae iisdem impignorata seu hypothecata sunt, nunc quoque iisdem nobilibus libere et non impedite permitti et assignari debebunt. Contra quoque capitanei, nobiles, possessores castri Tranczinensis obligantur bona immobilia quaecunque, quae regiae Mtis. subditis in bello isto Ungarico occupassent aut eosdem subditos de bonis istiusmodi dejecissent, iisdem regiae Mtis. subditis libere cedere et rursus assignare.

Septimo: ecclesiasticae personae quaecunque in castro Tranczinensi existentes in beneficiis suis usque ad ulteriorem regiae Mtis. Ungariae et Bohemiae etc. ordinationem, revisionem et consensum quiete permaneant eademque beneficia, ut antea, ad regiae Mtis. tamen complacentiam, possideant, utantur et fruantur.

Octavo: quum capitaneis et possessoribus castri Tranczinensis honori eorum convenire visum sit ejusmodi rerum extremam necessitatem domino suo Joanni de Zapolya significare, idcirco dictis capitaneis et inhabitatoribus castri Tranczinensis a capitaneo generali concessum est, nuntium ad dominum eorundem transmittere responsionemque ex parte auxilii eis mittendi usque ad feriam tertiam proxime venturam, qui dies ultimus est Junii, exspectare; ea tamen lege, quod si in praefixo termino iisdem ab eorum domino auxilium minus mittatur neque capitaneus generalis simul cum toto exercitu per vim et potentiam saepe dicti Joannis de Zapolya ex campo profligatur, ex tunc capitaneus et possessores castri Tranczinensis idem castrum ad feriam tertiam proxime venturam ante solis occasum diei ejusdem jam dicto capitaneo generali et dominis suprascriptis libere et non impedite omni ulteriori procrastinatione posthabita cedere debeant et teneantur. Et etiam si capitaneus generalis ex necessitate vel aliis causis evidentibus cum exercitu et copiis a castro isto ad miliare unum, duo aut quatuor abiret et praefixus terminus absque ullo auxilio aut profligatione elaberetur, nihilominus tamen castrum Tranczinense ad dictum terminum per possessores ejusdem capitaneo generali cedi et resignari debebit.

Nono: concessum est praefatis capitaneis et possessoribus dicti castri in spatium feriae secundae proxime futurae secundum necessitatem et exigentiam eorum pabulatum aut alio e castro exire, equitare vehique possint cum praescientia autem capitanei generalis, qui iisdem certos quosdam homines semper adjunget ea tamen conditione, ut unoquovis die non magis quam duodecim currus et decem equites e castro exeant semperque ad noctem rursus sese ad castrum recipientes nullo modo alibi pernoctent.

Decimo: quocunque praefati possessores castri Tranczinensis ierint, ibidem omnes necessitates iisdem condigno pretio administrari debebunt.

Undecimo: siquidem quispiam capitaneorum aut possessorum in castro tempore abitus sui salvum et securum conductum a capitaneo generali petierit, talis salvus conductus petenti dari et concedi debebit.

Duodecimo: si unus aut alter pluresve salvum conductum seu treugas violaverit aut fregerit, extunc poena saltem a transgressore sumetur, nec in alios culpa delicti transferatur.

Tredecimo: si quando in castro Tranczinensi praedicto inter possessores discordiam aut sinistri quidpiam oriri contigerit, extunc iisdem possessoribus facultas data est absque capitaneo generali et regiae Mtis. exercitu eandem discordiam et sinistram machinationem inter sese absque ullo penitus impedimento componere posse.

Decimo quarto: saepe dictis capitaneis et possessoribus castri Tranczinensis post resignationem et assignationem castri ejusdem pro abitu tres septimanae immediate sequentes permissae sunt et concessae ea lege, ut sese in ejusmodi temporis spatio ex regnis et provinciis

provinciis praefatae regiae Mtis. Ungariae et Bohemiae etc. ad alia loca conferant, nec in ullum praesidium in hoc regno Ungariae sese recipiant, e contra tamen ejusmodi eorum abitui liber et securus salvus conductus apertusque passus dari et permitti debebit.

Ultimo: captivi quicunque in ista obsidione et bello Ungarico ab utraque parte capti absque ulla laesione et impedimento libere utrinque rursus assignari debebunt. Insuper nos praedictis capitaneis et possessoribus castri Tranczinensis sub honore et fide nostra christiana ammissioneque honoris, capitum, rerum et bonorum nostrorum scienter per praesentes promittimus et pollicemur suprascriptos omnes articulos et conclusiones in omnibus suis punctis et contentis, quantumcunque nobis idem articuli seu conclusiones injungunt, sine subterfugio, contradictione ant impedimento aliquo firmiter et inviolabiliter servare et exsequi; nec contra eosdem vel consilio vel facto quicquam agere, aut idem nostris faciendum permittere debere et velle nullo penitus modo sub praedicta obligatione omnium nostrorum honoris, capitum, rerum et bonorum sine omni dolo et fraude. In cujus rei robur et testimonium efficacius majoremque securitatem secreta et signeta nostra solita literis praesentibus apposuimus et easdem manibus nostris propriis subscripsimus. Datum in castris ad Tranczin metatis ipso festo Sancti Joannis Baptistae. Anno domini millesimo quinquentesimo vigesimo octavo.[1])

Teki Górskiego, nr. 953 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod Karnk. X, 148.
Kod. Sap VII, 147.

286. P. Tomicius, eps. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Sacra regia Majestas, et domine domine clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Reddidit mihi literas hic Mtis. vrae. sermae. cubicularius, in quibus mihi et dno. castellano Cracoviensi simul Mtas. vra. mandabat, ut consultatione habita conveniremus inter nos, an ulteriores quam decennales indutiae ab imperatore Turcarum petendae essent, et de hoc tempore instrueremus dominum castellanum Lublinensem, significans nobis etiam voluntatem suam eam esse, ut longiores peterentur. Ego cum adhuc aegritudine impeditus cum domino castellano una tunc non essem, scripsi ad eum et ceteros dominos consiliarios Mtis. vrae., qui Cracoviae morantur, sententiam deliberationis meae, ut ipsi collatis suis sententiis statuant et una dnum. castellanum Lublinensem, oratorem Mtis. vrae., instruant, quid illi utilissimum petendum Reipublicae causa existimaverint. Ego autem cum non censuerim ulteriores indutias petendas esse, hanc meam duplicem illis afferebam rationem, quod scilicet et in conventu proxime praeterito, cui adversari non licet, tantundem petendum erat constitutum, et mihi etiam ipsi ita videbatur sufficere. Extendens enim ego cogitationem meam ad ulteriora tempora, circumspiciens etiam foedera et societates vicinorum, omnium denique christianorum leges et professionem expendens, reperire non potui aliquam singularem reipublicae regni Mtis. vrae. utilitatem vel commodum exinde provenire et afferri posse, ut longior diuturniorque indutiarum dies cum infidelibus sumeretur, quin immo et hoc ipsum decennii tempus bifariam mihi injiciebat metum: ne videlicet vel a principum christianorum optima illa sanctissimaque ac veteri denique belli gerendi contra infideles deliberatione et instituto desciscere illique adversari velle videamur, quod illos procul dubio dissensionibus et privatis bellis tandem compositis suscepturos prosecuturosque esse feliciter aliquando sperandum est, vel foederum et pactorum eorum judicemur corruptores et violatores, pro quibus

[1]) D. 24. 6. 1528.

quibus dominus castellanus Cracoviensis cum nonnullis aliis dominis ad sermum. dominum regem Wladislaum, bonae memoriae, in Ungariam post felicem coronationem sermae. Mtis. vrae. boni publici causa fuerat profectus et in quibus hoc expresse et nominatim continetur: ne liceat alteri regno separatim nisi conjunctim vel indutias a Turcis petere vel istis bellum inferre, e diverso etiam ut quodcunque horum duorum regnorum ab ipsis Turcis bello peteretur vel adoriretur castraque ejus finitima obsiderentur, ab altero omni ope et subsidio adjuvaretur. Cujus rei conservandae quanta videatur esse utilitas, vel uno exemplo patere potest, quod regis Alberti cum Turcis indutiae procedere nequaquam potuissent, nisi Ungarorum in hac re ope et consilio adjutus fuisset. Quum itaque ego et foedera Ungarorum sancte et inviolate observanda et christianorum principum communionem consensionemve, si quando inciperetur, contemnendam vel relinquendam non esse censerem, moderamine hoc decennii sum usus, in quo, quod id non ultra modum diuturnum esset, excusatio nobis ad praenominata, quae objici possent, relinqueretur essetque in promptu. Sive enim principes christiani culparent ab officio, sive Ungari a foederibus Majestatem vram. discessisse, quod oblita scilicet eorum ad indutias cum infidelibus suscipiendas descenderit, utrumque depellere et defendere hoc pacto liceret, quod non religionis et communis christianorum societatis contemptu vel foederum Pannonicorum spretu ducta Mtas. vestra indutias cum Turco susceperit, sed quod grave illi nimium videretur in vicinia et finibus infidelium manenti non prospexisse tantisper regni sui paci et quieti, dum haec, quae gerantur inter principes christianos et inter Ungariae regnicolas bella, dissensionesque et discordiae conquiescerent. Et haec erat ac etiamnum est consilii mei de tantis indutiis petendis ratio, qua domini consiliarii praedicti pro sua prudentia diligenter considerata, conjuncta etiam Mtis. vestrae in hac re voluntate, arbitratu suo jam procul dubio statuent et dnum. castellanum Lublinensem instruent, quid ex utilitate et commodo Mtis. vrae. sermae. et Reipublicae peti debeat.

Scripserat praeterea Mtas. vra. serma., ut cum esset praetergressus mandata Mtis. vrae. dnus. Joannes Wieczwienski, cast. Plocensis, in obeunda ad sermum. regem Joannem legatione, alius ad hoc exsequendum substitueretur; domini consiliarii, qui Cracoviae sunt, obtemperantes Mtis. vrae. mandato simulque videntes, id fuisse necessarium, demandarunt domino Stanislao Tarloni, secretario Mtis. vrae., id ipsum legationis negotium, ad quod cum dignitate Mtis. vrae. obeundum dederam ego illi sufficientem instructionem. Ex qua legatione cum ille reversus responsionis totius sententiam et verba in scripto ad praenominatos dominos consiliarios Cracoviam attulisset, nihil dubito, id eos scriptum per praesentem nuntium Mti. vrae. sermae. cum ceteris rebus misisse. Quare id nunc Mti. vestrae non repetam, id tantum referam, quod domini consiliarii necessarium arbitrati, ut rege Joanne concordiam detrectante dnus. Opaleniczki legationem in alia verba commutaret, quam a me jam antea fuerat doctus et instructus, conscripserant novam illi mittendam instructionem. In qua cum ego id reperissem, quod, si sermo. Ferdinando regi Mtis. vrae. nomine fuisset expositum, potuisset magnum motum in Republica et difficultatem Mti. vestrae primum, deinde etiam omnibus nobis parare, aliam conscripsi pro mea industria instructionem, qua futurae paci et quieti regni consuleretur et regis Joannis responsio non videatur postea a nobis cavillata vel expresse accusata. Illi etenim dno. Opaleniczki id dabant in mandatis, ut is regi Ferdinando nuncupatis verbis denuntiaret et deferret eam esse regis Joannis voluntatem, quae tamen in ejus responso, uti Mtas. vra. videbit, nusquam deprehendi potest, ut nullis conditionibus propositis pacem vel concordiam cum illius Majestate ineat eamque amplectatur, propterea quod cum Turcis conspiraverit et

in

in illorum auxilio plurimum confidat. Quo audito et accepto, crediderim ego, regem Ferdinandum acturum esse quam primum cum Mte. vra., ne ejusmodi perniciosum regni Ungariae oppressorem et quo duce et consultore nominis christiani hostes ad depopulandam opulentissimam christianorum provinciam inducantur, in regno suo foveat et esse diutius patiatur; ad quae postulata oporteret deinde Mtem. vram. publica uti consultatione et magna incommoda et impedimenta sustinere; et id quamvis ego pro bono Mtis. vrae. et totius Republicae me fecisse arbitror, boni tamen et aequi libenter consulam, quicquid domini consiliarii communi consensu statuerint et jusserint dno. Opaleniczki agendum et dicendum apud sermum. regem Ferdinandum esse.

De nobilibus Mazowiae haec est sententia mea, ut Mtas. vestra missis ad illos nuntiis mandet illis severe et imperet fertonis de quolibet illorum laneo integram contributionem pro communi defensione conferre, cum hoc ipsum etiam jura ipsorum declarant, ipsos debere Mti. vrae. sermae. ex apprehensa jam felici ducatus illius possessione et dominio. Si vero etiam tunc repugnaverint, dandum esse, censeo, negotium praefectis arcium et aliis praesidibus civitatum et officialium Mtis. vrae., ut pignoribus captis astringant et cogant quemque ad praestandum id, quod jure optimo Mti. vrae. ab illis debetur. Non dubito autem, illos hac severitate Mtis. vrae. permotos omnia, quae illa volet, facile esse facturos.

De indicto bello et denuntiatione inimicitiarum et hostilitatis, quam fecit nuper dominus Laski, palatinus Siradiensis, sermo. domino regi Ferdinando et toti provinciae Transsilvaniae, Mtas. vestra planissime rem omnem cognoscet ex literis, quas illi per praesentem nuntium mittit mgcus. dnus. castellanus Cracoviensis.

Aegritudo mea, Deo sit gratia, plane me demisit, affectione enim omni vacua jam sunt membra, quae interiore parte clauduntur. Restat solummodo crurum tumor et aliquantula durities ac ex inedia purgationibusque contractus languor, quae etiam cura medicorum, justa item cibi capiendi dieta, unctione denique et ambulatiuncula levi, facile distrahi et adimi mihi ad prioremque valetudinem omnia propediem reduci confido.

Commendo me iterum et humilem servitutem meam Majestati vestrae serenissimae, quam optime incolumem et felicissimam cum suis omnibus esse vehementer desidero. Datum in Bodzanczyn, fer. quarta intra octavam Corporis Christi. Anno domini 1528[1])

Teki Górskiego, nr. 951[2]) (minuta z poprawkami Tomickiego).

287. P. Tomicki, epus. vicecancellarius, Christ. Szydłowiecki, castell. Crac., cancellario.

Magnifice dne., dne. et amice honorandissime. Mittens istuc Cracoviam hunc nobilem Andream Nyeskowski, servitorem meum, mandavi illi, ut cum venerit istuc, ante omnia Mgciam. vestram meo nomine inviseret salutemque illi nuntiaret, cui etiam ego praesentibus multam salutem dico et precor illam esse semper sospitem et felicissimam.

Aegritudo mea, Deo sit gratia, plane me demisit, affectioneque omni vacua jam sunt membra, quae interiore parte corporis clauduntur. Restat solummodo crurum et pedum modicus tumor et aliquantula durities ac ex media[3]) purgationibusque contractus languor. Quae etiam ego cura medicorum, justa item cibi capiendi dieta, unctione denique et ambulatiuncula

[1]) D. 17. 6. 1528. — [2]) Na minucie napisał Górski: non scribatur, dlatego list ten nie wszedł w skład kodeksów. — [3]) Może skrócenie zam. medicina.

bulatiuncula levi facile distrahi et adimi mihi, ad prioremque valetudinem omnia propediem reduci confido. Quae sane convalescentiae meae celeritas tanto gratior jucundiorque mihi videtur, quanto ego etiam cupio impensius dari mihi otii illud tempus, quo possem Mgciae. vestrae coram de ejus in me summa benevolentia agere gratias et officia amicitiae illi referre. Quam quum ego amo, plurimum ab illa vicissim amari opto, sospitemque diutissime esse et optime valentem cum suis omnibus mirifice desidero.

Datum in Bodzanczyn, feria quarta intra octavam corporis Christi. Anno etc.[1])

288. P. Tomicki, epus. vicecancellarius, Joanni Chojenski, secretario regio.

Teki Górskiego nr. 2902 (minuta) [2])

Venerabilis dne. frater in Christo charissime. Mittimus ad vos per cubicularium Biskupski literas scriptas rev. dno. cardinali quatuor coronatorum, quibus cum Mtas. regia subscripserit, rogamus vos, ut eas ad nos remittatis per primum nuntium, nam illas prius subscriptas non mittemus ad sedem apostolicam, donec istas quoque alias habeamus.

Quod scripsistis de filio Mtis. regiae serenissimo Sigismundo Augusto, doctor Rawa dicit, nullum gratia Dei subesse periculum. Febres enim erraticae praesertim in pueris non solent esse periculosae. Bene valete et dno. palatino Vilnensi, patruo vestro, nos commendetis. Dat.

289. P. Tomicius, eps. Crac., vicecancellarius, Jo. Chojenski, archidiacono Crac., secretario.

Kod. Kaink. X, 165. Kod. Sap. VII, 163.

Venerabilis domine frater in Christo charissime. Intelligetis ex literis dominorum, qui Cracoviae sunt, quid responderit sermus. dominus Joannes, rex Ungariae, ad paternam exhortationem Mtis. regiae, quam ad eum fecit per dominum Stanislaum Tarlo, consulendo et persuadendo ei, ut pacem et concordiam potius iniret cum suo adversario, quam aleae belli se committeret. Intelligetis et de aliis negotiis Reipublicae, quae Majestati suae quisque nostrum pro captu ingenii sui perscripsit.

Iwasko, Armenus, qui missus erat pro literis fidei et salvi conductus ad imperatorem Turcorum, nihil aliud referre voluit et debuit Majestati regiae, quam id, quod nobis aperuit. Quid autem illud sit, nos verba ejus omnia annotari fecimus et in una sceda sermone nostro Polonico conscripta ad Mtem. suam perferri curavimus, quam et nunc quoque cum praesentibus ad vos mittimus, ut eam Mti. suae legatis, quo non dubitet., aliud quicpiam esse ad se ex Turcia significatum, quam id, quod in eadem ipsa sceda est descriptum.

Cum esset apud nos dominus Brodericus, episcopus Sirmiensis, proficiscens ad regem suum in Tarnow, scripsimus Mti. regiae, quae cum illo tractavimus et eidem regi suo per illum consuluimus, inter quae quia hoc quoque adjeceramus, bono tamen certe et sincero erga illius Mtem. animo et ut illam ad pacem et concordiam cum ejus adversario ineundam induceremus

[1]) Górski na brzegu minuty zapisał datę: X Junii 1528. Boże Ciało przypadało w r. 1528 dnia 11 czerwca, środa w oktawie Bożego Ciała przypada więc nie na 10, lecz na 17 czerwca. — [2]) W Tekach minuta ta przekreślona, prawdopodobnie przez Górskiego. Data listu niepewna, może z poprzedniego miesiąca.

induceremus, ut si illius Mtas. in tractatibus nollet renuntiare juri, quod se ad regnum Ungariae habere praetendit, quod in eo eventu dubitarem Majestatem domini nostri daturam illi esse receptum in regno et dominiis suis (rex enim Ferdinadus simulque universum regnum ejus Ungariae procul dubio omni studio ageret, ut Mtas. sua non foveret illum amplius in regno suo, quum manifeste se declarasset, quod per omnem oblatam occasionem regnum suum, quocunque modo posset, esset repetiturus): pupugerunt plurimum haec verba nostra ipsum regem Joannem ac ejus consiliarios, qui putantes, quod haec, quae nos confidenter cum domino Broderico locuti sumus, de mente et voluntate Mtis. suae processissent, pertentare voluerunt per dnum. Colocensem in ea re motum animi Mtis. suae. Versamur certe hac nostra neutralite inter saxum et sacrum et tam uni quam etiam alteri parti maxime suspecti sumus.

Aegritudo nostra Dei benignitate jam nos plane deseruit, nullum enim amplius nocumentum et dolorem in interioribus habemus, soli duntaxat pedes adhuc laborant, ad quos reliquiae morbi defluxerunt; spero tamen, quod et hi cura et regimine vitae debito ac etiam leni et moderato exercitio cito reducentur ad statum et firmitatem suam pristinam. Bene valete. Datum.

290. P. Tomicius, eps., vicecancellarius, Joanni Karnkowski, epo. Premisliensi, Christofero et Nicolao de Szidlovecz.

Teki Górskiego, nr. 2969 (minuta).
Kod. Karnk. X, 166.
Kod. Sap. VII, 164.

Reverendissime et magnifici domini, domini et amici honorandissimi. Heri allatae sunt mihi vestrarum Dtionum. literae una cum responso sermi. regis Joannis, quod illius Majestas nuper reverendo domino Stanislao Tarlo, munere legationis apud se fungenti, fecit et in scriptis tradidit. Item et instructio, quam Dominationes vestrae communi consensu prudentissimoque consilio pro domino Opalyenszki, oratorem sermi. regis nostri apud regem Ferdinandum agenti, conscripserunt. Verum ea omnia hodie primum inspexi et legi propterea, quod heri farmaco medicinali sumpto ita debilitatus concussusque fuerim, ut non modo legere illa, verum ne inspicere quidem licebat. Et sane instructio haec Dominationum vestrarum omni laude et commendatione mihi digna videtur, cui ego pro meo in Rempublicam officio etiam meam adjunxi non propterea quidem, quod vestrarum Dtionum. voluntati adversari improbareque vellem earum consilium, sed ut ad illarum collegium quasi ad curiam areopagitarum referrem, quod pro captu meo ad Reipublicae utilitatem excogitare potui, unde illae possent et comparationem cum sua sententia facere et statuere id pro judicio et arbitratu suo, quod saluberrimum Reipublicae et regiae Mti. honorificum fore existimaverint.

Miror autem vehementer, quod Dominationes vrae. singulares amici mei tam parvam mei aegritudinisque meae habere dignentur rationem, ut etiam ea, quae mihi imbecillo et adhuc languenti difficillima et molesta admodum esse oportet, illis autem bene sanis et valentibus facillima et absolutissima esse possunt, ad me remittant meque illis onerent, cum hoc satis tamen intelligant: me, cum valeo, Reipublicae causa mea sponte et absque quovis adminiculo libentissime omnia etiam plena laboris et sollicitudinis subire et tractare solere, se autem ejusmodi prudentia et consilio esse praeditas, ut facile me semoto per se ipsas, quod Reipublicae commodum et utile sit, reperire valeant.

Ut autem Dominationibus vestris peculiarem et propriam reddam consilii mei rationem in hac

hac altera instructione conscribenda, sciant Dominationes vrae. id me potissimum intuitum esse et animadvertisse diligenter: si expresse et nuncupatis verbis dominus Opalenski regi Ferdinando denuntiaret et deferret, eam esse regis Joannis voluntatem, quae tamen in ejus responso nusquam deprehendi potest, ut nullis conditionibus propositis pacem vel concordiam cum illius Mte. ineat et amplectatur, propterea quod cum Turcis conspiraverit et in illorum auxilio plurimum confidat, possit nobis procul dubio magnum negotium in regno et nova difficultas inde exhiberi. Nihil enim dubito, regem Ferdinandum hoc accepto et audito acturum esse quam primum cum Majestate regis nostri diligenter, ne ejusmodi perniciosum regni Ungariae oppressorem et quo duce et consultore nominis christiani hostes ad depopulandum opulentissimam christianorum provinciam inducantur, in regno suo foveat et esse diutius patiatur, ad quae postulata nos oporteret publica uti consultatione: exigendusne et pellendus, an vero sit nihilominus conservandus idem rex Joannes. Quae res cum mihi non sit incognitum quanti sit momenti quosque motus et perturbationes secum afferre posset, sic a me est hac in instructione provisa, ut etiam facile devitari declinarique possit.

Namque et id consultum non videretur supprimere et celare velle nos regis Joannis voluntatem, quam ipse in responso dato planissime declaravit aliquotiens iterans, non se detrectaturum et contempturum pacem vel concordiam, dummodo illi cognitum esse possit, quibus conditionibus intercedentibus illa inchoari et tractari deberet.

291. Joannes Zambocki, aulicus regius, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 954 (list oryginalny)[1])
Kod. Sap. VII, 144.
Kod. Wojcz. nr. 151.

Rme. in Christo pater et domine, dne. gratiosissime. Etsi de firma et constanti valetudine rmae. Ptis. vrae. nihil adhuc comperti habeam, ob eam quoque rem vereor, ne et literulae meae, quas per Morawiecz nuper misi, importune obstreperent rmae. Pti. vrae., tamen cum tam certum tamque integrum nuntium nactus sim, rdum. videlicet patrem dominum commissarium, cum rmae. Pti. vrae. observantissimum, tum eidem deditum et mihi plus quam mea exigunt merita faventem, committere nolui quin — utut se res habent — rmam. Ptem. vram. humillime et verecunde salutarem bonamque et celerem valetudinem, pro qua continue vota facio, eidem his literis precarer.

Res Lithuaniae sive curiae nihil attinet commemorare, cum non aliae nunc quoque sunt ac tum fuerant, cum Morawiecz hinc dimittebatur, et si quid hic actum est abstrusius, vel quod in vulgus non licet efferre, illud ipsum idem dnus. commissarius pro summo acumine ingenii sui et utpote is, qui in penetralibus aulae regiae versatus est, deprehendere potuit atque eidem rmae. Pti. vrae. referre potest. Si — quod Deus faxit — eadem jam valetudini bonae restituta est, me illud non potest non pessime habere quum languente rma. Pte. vra. omni spe destituor, posse aliquid consequi, quo inopem senectam sustentare possem; nihil enim dubito quin, si Deus immortalis eandem incolumem nobis servaverit, me ex gratia ejus aliquam micam panis consecuturum, ne per totam — ut scribit[2]) — noctem laborantes nihil cepisse non discruciemur; jamque — omnia collustrans — olfeci nonnihil, quo parvo negotio, nulla molestia vel difficultate rmae. Ptis. vrae. adhuc hoc anno ope et auctoritate ejus possem regnare; id quale est, explicabo ei tunc, cum primum

[1]) Na pieczątce tarcza herbowa, na niej albo róg z krzyżem (Suchekownaty) albo półksiężyc z krzyżem (Szeliga). Ani Paprocki ani Niesiecki nie przytacza Zambockich (Zębockich) owych herbów. Nad tarczą inicyały: I. S.

[2]) Kod. Wojcz. scribitur.

mum — quod vehementissime cupio — rmam. Ptem. vram. ex literis ejus perfectae valetudini restitutam esse intellexero. Nunc non aliud posco, quam ut quam celerrime audire possem optime valere rmam. Ptem. vram, cui me cum perpetua servitute mea humillime commendo. Vilnae die 17 Junii 1525. Jo. Szamboczki.

Teki Górskiego, nr. 956 (list oryginalny). Kod. Sap. VII, 145. Kod. Wojcz. nr. 152.

292. Joannes Zambocki, aulicus regius, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne., dne. gratiosissime. Si valet vra. rma. Dtio., bene est et plurimi gaudent, ego vero exalto et Deo immortali gratias ago, neque enim quicquam in rebus est humanis, quod tantopere exoptem, quam bonam et diuturnam valetudinem ejus, tametsi de ea ab eo usque tempore, quo Morawiecz huc venerat, nihil certi neque explorati habui et eam ob rem in tanta animi mei sollicitudine et anxietate hactenus versatus sum, ut in majori versari non poterim, nec levabor ab ea, quoad mihi verissimus aliquis judex apparuerit, rmam. Dtionem. vram. priscae valetudini restitutam esse. Dii nostri, rex et regina et pueri regii valent vigentque corporibus, nos item lurcones valemus omnes, quotquot hic sumus, praeter adolescentem Strzezowski miserrimum omnium, cujus casum acerbum et luctuosum narrabunt Gnojenses fratres, aulici regii, qui isthuc proficiscuntur. Nudius quintus scripsi etiam nescio quid nugarum ad rmam. Dtionem. vram. dedique literas patri commissario, qui eo ipso die discessum hinc adornare videbatur. Sed se vix heri sub vesperum expedivit hinc et profectus est pernoctavitque in Ponari, villa sacerdotali, uno miliari hinc distante, quem dnus. Camenecensis, quamvis aeger illuc antecesserat, laute excepit, ubi et modo dum haec scribebam deliciantur. Hodie hoc mane proficiscentibus fratribus istis, quos superius nominavi, et sese isthic apud rmam. Dtionem. vram. sistere dictitantibus officii et summae perpetuaeque meae erga rmam. D. vram. observantiae esse existimavi cum per eos tum per has literas eandem salutare et meam veterem et fidelissimam servitutem ei nuntiare.

Novarum rerum, quas quidem ego sciam, h. e.: tragoedia illa ob tot crimina Sophiae, palatino Viteblensi, objecta, sopita et exstincta est per arbitros — ut fieri solet apud nos — connivente rege et utrumque, criminatorem videlicet et criminatum, sententia et auctoritate sua protegente. Interim usque in diem hodiernam praeter innumeras querelas, calumnias, clamores et quidvis potius, quam judicia, effectum hic est nihil, audivi aliquoties regem ipsum ea se molestia affici queritantem. Summa rerum multorum et pene omnium judicio penes Gastoldum. Conventus jam pridem semel atque iterum Lithuanis indictus nondum initium cepit, ajunt proximo die Lunae inchoandum, ad quem quidem conventum satis frequens multitudo provincialium huc confluxit teritque tempus non sine molestia, quippe cui res hodie minor est, heri quam fuit, nobis vero ex caritate rerum prope summam inopiam et penuriam facit.

Affui heri, cum in senatu relatum esset: Livonios praeter castellum quoddam Georgii Radzivilonis in finibus Livoniae situm, ab eis interceptum, etiam multas incursiones in provinciam nostram facere praedasque auferre, ad quam relationem nonnullis „bellum, bellum“ frendebant, principe tamen ad hoc nihil respondente.

A domino Prussiae duce legati duo heri sub vesperam huc venerunt, dr. Fischer, cancellarius et Kuncheim, castelli Tappia praefectus; — audientur, credo, die Lunae et quibuscum mandatis missi sunt, postquam ea exposuerint, non dubito quin ex literis publice mittendis

tendis rma. Dtio. vra. cognoscet. Nudius tertius a Camenecensi capitaneo venerunt literae, Turcum, qui jam in procinctu ad Ungariam cum copiis fuerat, retrocessisse significantes. De aliis rebus, quid rmae. Dtioni. vrae. significem, non habeo, tantum rogo et obsecro, ut curata inprimis valetudine sua, me solita sua clementia prosequi dignetur et imperet mihi, quod ei lubet, si modo ad aliquod ministerium obeundum aptus et dignus inveniar. Alumnum etiam meum Piasecki, si modo in pristina poenitentia — quam pro erratis adolescentiae suae sponte suscepit — perseverat, benigno intuitu aliquando respiciat. Felicissimeque valeat ac diutissime. Vilnae, sabato XX Junii ante meridiem 1528.

293. Andreas Cricius, eps. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 952 (list oryginalny).
Kod. Karnk. X, 132.
Kod. Sap. VII, 130.

Reverendissime domine in Christo pater et domine mi colendissime. Ex multorum literis, quas nudius tertius partim ex Cracovia, partim etiam aliunde accepi, intellexi vram. rmam. Dominationem jam pristinae valetudini restitutam, unde magnopere exhilaratus mitto ad illam visendam hunc dominum Dzirgowski, canonicum et familiarem meum, cui etiam commisi nonnulla alia mea negotia eidem Dominationi vrae. rmae. referre, quam plurimum rogo, ut illum benigne audire et si quid rerum novarum habeat, quod me scire liceret, significare per illum dignetur.

Dominus Brodericus scribit mihi miranda, sed ex his multa sunt, quae partim mihi non placent, partim spem vanissimam[1]) redolent, de quibus duo menses ad maximum nos reddent certiores.

Dominus Rincon cum Statilio est adhuc Gdani, exhibetur illis a civibus omnis humanitas et gratificatio dicunturque jam habere naves dispositas ad trajiciendum in Franciam. Me gratiae vestrae reverendissimae Dominationis unice commendo. Ex Ploczko die vigesima Junii. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

294. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Stanislao Tarloni de Sczekarzewice,

archidiac. Lublin., canon. Crac., secret. regio.

Teki Górskiego, nr. 955 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 110.
Kod. Sap. VII, 122.

Venerabilis domine frater in Christo charissime. Hesterno die accepimus literas vestras plenas observantiae et fraterni in nos officii vestri, quippe quod in iis declaratis, non minorem vos nunc voluptatem ex bona valetudine nostra accepisse, quam olim ex gravi aegritudine dolorem et molestiam habuistis. Quod sanae officium et fraternae charitatis testimonium est nobis admodum gratum et jucundum illudque vobis vicissim omni benevolentia et gratificatione nostra referre curabimus. Quod vero de bonorum in nos gratia et populari summo studio perscripsistis, gratulamur nobis plurimum hoc nomine. Eam vero esse in hominum animis de ingenio et integritate nostra concitatam opinionem, quod nos Reipublicae dicant esse utilissimos, non sine pudore et metu legimus atque cognovimus, quippe quod neque nos agnoscimus merito nostro tantum laudis nobis tribui et diffidimus e contrario posse nos jucundam hanc et gloriae plenam opinionem hominum rebus

[1]) W kod. Karnk. dopisał Górski: de auxiliis Germanicis.

rebus gerendis sustinere, tametsi hoc semper agimus, hoc cogitamus, ut opera et actiones nostrae in justitia et aequitate communi conquiescant, neque sit ullum tempus, quod voluntate et culpa nostra in detrimentum aliquod vel publice vel privatim adductum esse videatur. Sed haec superi judicent et cognoscant, nos certe, ut meminimus, habemus vobis magnas gratias, quod nos officiose de istis rebus fecistis certiores. Sumus jam, gratia Dei, in optimo valetudinis statu constituti et speramus nos hoc, quod est reliquum in pedibus ex defluxu tumentibus molestiae, propediem opera medicorum esse curaturos idque sedulo dabimus operam. Vos autem interim cupimus optime valere et nostri inter optimos bene et saepius meminisse. Datum in Bodzanczin, fer. II[a] post octavas Corporis Christi. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.[1])

Teki Górskiego, nr. 957 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 192.
Kod. Sap. VII, 175.

295. P. Tomicius, eps. Crac., vicecancellarius, Stephano Broderico, epo. Sirmiensi.

Rme. dne. frater et amice charissime ac honorande. Quod tanto tempore nihil Dtioni. vrae. rmae. scripserim nec literis ejus responderim, ascribat id, rogo, adversae valetudini meae, haec enim erat in causa, quod neque scribere neque nuntiare quicquam, uti et illa exspectabat et ego optabam, illi potuerim; nunc tamen validior et confirmatior factus redeundum mihi ad officium fui arbitratus, quod certe augescente in dies firmitudine mea cumulatius et plenius reddam, ut praeteritum silentium sedulitate sarciri et instaurari possit. Exspecto magno cum desiderio, ut de sermi. principis domini Joannis, regis Ungariae, et Dtionum. vrarum. omnium amicorum meorum nova et optima fortuna aliquid mihi nuntietur, non enim sine molestia gravi fero, quod res illius Majestatis et Dtionum. vrarum. tantisper silent, praesertim cum neque mihi palam consilio et auxilio ullo illius Mti. et vestris Dtionibus. adesse liceat, manente hoc sermi. regis nostri instituto et voluntate, ne vel sermus. rex vester vel rex Ferdinandus a quopiam hinc adjuvetur, cum et illius Majestas neminem illorum quoad bellum, utrumque vero quoad pacem et concordiam ineundam velit consilio et opera sua adjuvare, quod jam ante cognitum esse potest vrae. rmae. Dtioni. ex rmo. domino archiepiscopo Colocensi et ejus relatione, tametsi haec Majestatis regis nostri neutralitas et pacis suadendae studium minimi esse apud regem Ferdinandum noscatur, quod is per literas et nuntios non cessat de ejus Mte. queri illamque etiam liberius ob multa accusare; sed et nunc quoque nuntium suum ad Majestatem suam misit, quae attinent ad sermum. regem vestrum expostulaturum. Cognitae enim ei sunt omnes actiones Dtionum. vrarum. et novit omnium nostrorum in regno studia, quibus sermum. dominum. regem vestrum prosequuntur, quique istic vel ipsi fiunt, vel per nuntios aliqua agunt. Quod ipsum ego cuperem etiam fieri secretius, ne ulla possit subesse causa manifesta, quare de nobis queri vel sermum. regem nostrum accusare debeant. Sed hoc ad praesens satis sit attigisse, reliqua coram praesentes conferemus. Interim cupio bene et feliciter Dominationem vram. rmam. valere esseque diutissime incolumem. Cujus me etiam benevolentiae et fraterno amori plurimum commendo rogoque illam magnopere, ut me et obsequia mea sermo. regi suo frequenter commendet et domino Colocensi, domino cancellario et aliis amicis dicat meo nomine plurimam salutem. Datum in Bodzanczin, die sancti Joannis Baptistae. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

[1]) D. 22. 6. 1528. — [2]) D. 24. 6. 1528.

296. Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Archiw. biskupie we Fromborku (A. 1. f. 40).

Post fidelem et officiosam observantiae servitiorum et fidei meae exhibitionem. Serenissime rex et domine clementissime. Responsum sacrae regiae Majestatis vestrae super conclusis conventus Marienburgensis nuper pro festo sancti Stanislai celebrati, ad dominos harum terrarum consiliarios intitulatum, accepi literasque s. r. Mtis. v. de commissione ipsorum Marienburgi mihi facta aperui, earumque copiam ipsis feci visumque fuit mihi tunc non esse opus, ut ad ordinationem probatorum omnes conveniremus. Negotiumque hoc ordinandorum probatorum et aliorum, quae ad monetariam officinam spectant, rmo. dno. epo. Culmensi commiseram, qui una cum consiliariis in vicino habitantibus et probatores pro monetaria officina Thorunii per s. M. v. instituta juxta decretum s. Mtis· vrae. ordinarent ceteraque facerent, quae ad hujusmodi monetarii negotii executionem pertinerent. Tum subito aliud non provisum atque inopinatum exortum est factum, quo Gdanenses contra communem totius Marienburgensis conventus conclusionem (qua cautum erat, ut tam Swidnicensis quam omnis alia moneta vetus in suo cursu maneret, donec nova moneta exiret) mediantes ipsos Swidnicenses per decem denarios dandos et accipiendos posuerunt. Idque se fecisse coactione laniorum, pistorum aliorumque mechanicorum opificiorum asserunt. Id quod non modicam non solum in ipsa civitate sacrae Mtis. vrae. Gdanensi, sed in meis quoque dominiis, Elbingi praeterea, Marienburgi, aliarumque civitatum locis turbationem ac murmura populi excitat, in maximam vergens jacturam s. r. M. vrae., cum hujusmodi mediantes Swidnicenses, qui eos per decem denarios Prutenicales accipiunt, non iterum exponunt, sed in commodum suum et privatos usus conservant et etiam clam cambiunt et sic in monetariam officinam non deportabuntur. Ad hoc itaque malum praecavendum et quod juxta commissionem s. r. Mtis. v. probatores ponere sit necessarium, diligentissime a me petierunt magnificus Marienburgensis palatinus, generosus Joannes Baliński, castellanus Gdanensis, Elbingensis ac etiam Gdanensis,[1]) quatenus quamprimum fieri possit, conventum hic in terris Prussiae indicerem et meam personam inde non subtraherem. Inde est, quod regiae Mtis. vrae. mandatum in probatorum ordinatione exequi volens et hujusce rei difficultate considerata desideriisque praefatorum dominorum sollicitatus heri indixi conventum pro festo divisionis apostolorum[2]) Marienburgi celebrandum. In quo juxta commissionem s. M. vrae. probatores constituemus, ceteraque quae in commodum Mtis. vrae. esse judicaverimus, sedulo curabimus. Humillime denique sacram Mtem. v. precor, dignetur gratiose mandare, ut quamprimum in officina Thorunensi denarii praecipue et solidi in copia, deinde etiam grossi cudantur, ut sic omnis moneta Swidnicensis in totum abrogari et per cambitionem in eam ipsam officinam Thoronensem deportari valeat. Erit hoc sacrae regiae Mti. v. commodo ac utilitati, his suis terris tranquillitati et omnibus harum terrarum incolis maximae necessitati. Nam alii domini et ego praeter Gdanenses arctissima observatione Swidnicensem et aliam monetam juxta constitutionem Marienburgensem in suo valore et cursu, licet non sine murmure et indignatione populi, hactenus conservamus. Iccirco, sanctissime rex, non video aliud consilium modumque ad succurrendum huic incommodo et malo, quam, ut dictum est, quod nova moneta quam celeriter percutiatur, denarii praesertim et solidi. Nam ego, quod et alii domini facturi sunt haud ambigo, aliquam summam

[1]) Winno pewnie być: Culmensis. [2]) D. 15. 7. 1528.

summam ex ea officina mihi comparabo pro valore argenti vel pecuniae pro necessitate episcopatus et dominii mei, habita dumtaxat aliquantula monetae paucitate, mox Swidnicensem abrogandam fore et in officinam monetariam cambiendam (salvo excelso consilio sacrae Mtis. v.) mea opinione censeo. Nec latere volo s. M. vram., quod cum primum cum illustri domino Prussiae duce Marienburgi conclusum erat de nova cudenda moneta, consideravi s. Mti. vrae. opus fore pecunia pro eadem nova moneta initianda. Quapropter quamprimum e Marienburgo in episcopatum meum regressus sum, cisam in ipso sollicite colligere curavi, collectamque videlicet trium milium nonaginta marcharum viginti unius solidorum summam generoso Joanni Baliński, thesaurario s. M. vrae., in bona moneta, in qua summa ultra trecentos florenos moneta Swidnicensis non erat, in Marienburgum decima die mensis Junii misi, restantem autem, quae modica erit, quoniam eo tempore cervisia non coquitur, pro festo Nativitatis beatae Mariae virginis colligam. Et quod saltem ante hoc festum moneta nova exeat, propter novam inchoandum cisam et commodum sacrae Mtis. vestrae summe necessarium arbitror, accrescet enim inde Mti. vrae. (meo judicio) ad minus quartus denarius sive florenus. Illustrissimus dnus. Prussiae dux nondum monetam cudit, sed ad eam ipsam cudendam (ut mihi relatum est) praeparatoria fiunt. Haec omnia praemissa pro mea in sa. M. vram. fide et observantia reticere nolui. Et si quid statuerit in praefato conventu suis consiliariis praecipere, arbitrio voluntatique relinquo sacrae Mtis. vrae. Quam precor, ut ea ipsa praemissa omnia tam gratioso et clementi animo suscipere dignetur, quam a me sincero corde et fide proprio meo nuntio relata sunt ad s. M. vram. Cui me et desolatam ecclesiam meam fortunasque meas omnes humiliter commendo. Ex arce Heilsberg 26. Junii, anno 1528.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1. fol. 41b).

297. Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Bonae, reginae Poloniae.

Post humilem obsequiorum meorum commendationem. Serma. regina domina clementissima. Nuper ex Marienburgensi conventu pro festo sancti Stanislai proxime celebrato scripsi Mti. vrae. vacare canonicatum in ecclesia mea Warmiensi per mortem olim domini Ebrehardi Ferber Romae defuncti, quodque essem paratus eum canonicatum conferre venerabili domino Joanni Flachsbinder, si Mtas. vra., quod id mihi pacifice facere liceret, a sede aposrolica obtinere posset. Ad quod respondit mihi Mtas. v., scripsisse rmo. in Christo patri domino Laurentio, cardinali sanctorum quatuor coronatorum, ut hoc ipsum sacerdotium in ecclesia mea Warmiensi pro domino Joanne Flachsbinder ad summum pontificem pacificum redderet et quietum. Quod et mihi tum ob honorem reginalis Mtis. vrae., quae ipsum dominum Joannem regia clementia complectitur, tum ob ipsius in me observantiam meamque vicissim in ipsum mutuam benevolentiam gratissimum foret. De post autem ab Andrea Grapa, Romanae curiae procuratore et sollicitatore, literas accepi, quibus scribit se eundem canonicatum Warmiensem post mortem dicti Ebrehardi pro se impetrasse. Si itaque dictus Andreas Grapa venerit ad accipiendam possessionem literasque apostolicas, (quibus annexae esse solent ecclesiasticae censurae, quemadmodum notum esse arbitror Mti. vrae.) non video, quomodo capitulum meum resistere aut denegare poterit, quin ipsi possessionem tradat. Quo fit, ut consilium aliud non videam, quam ut Mtas. vra. quamprimum ad sedem apostolicam vel ad praefatum dominum cardinalem scribat, quatenus dicto Andreae Grapa (si modo adhuc in humanis est) altero beneficio provideatur, aut

alia

alia quapiam via contentus et quietus reddatur. Eam enim unicam viam, qua ei resisti possit, video, quo sic idem dnus. Joannes Flachsbinder, cui sinceriter et ex animo faveo, eum ipsum canonicatum Warmiensem assequi et Mtis. vrae. benigno nec minus amplo patrocinio possidere possit et valeat. Ad quod ego omnem opem atque operam accommodare non cessabo. Non modo enim in hoc, verum etiam in multo majore, quae est fortunarum mearum tenuitas, inservire paratus sum reginali Mti. vrae. Cujus clementiae et bonitati ego me, capitulum meum ac desolatam ecclesiam meam cum fortunis et humilibus servitiis nostris diligentissime commendo ac devoveo. Quam et Christus nobis diu servet incolumem. Ex arce Heilsberg, vigesima sexta Junii, anno 1528.

298. Joannes Dantiscus, orator apud caesarem, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 958 (list oryginalny). Kod. Karnk. X, 49.

Rme. in Christo pater et domine, domine gratiosissime. Humillimam servitiorum meorum commendationem. Scribo aliquando sermae. regiae et reginali Mti. et praetereo Dtionem. vram. rmam., quod nunquam solet accidere, nisi cum postae celerius abeunt, quo me scribendi tempus deficit. Qua de re D. vram. rmam. summopere rogo, non velit hoc aliter, atque accidere solet, interpretari. Nihil enim in observantia, quam Dominationi vrae. rmae. jure merito debeo, decrevit, sed in dies crescit, mallemque eam coram, quam literis exhibere et agere cum Dominatione vra. rma. sub nostro coelo, quam in his hic ardoribus torreri, sed ferendum est, quod mutari nequit.

Cum me ante quatuor annos Dominatio vra. rma. a se dimitteret, memini, quod non erat nobis ea opinio, ne somnium quidem, quod tam diu hic deberem immorari. Erat mihi aliud vile institutum, jam enim me omnia aulica ambitio, quae prius etiam mihi non magna fuit, deseruerat et inglorius, quod aevi reliquum fuit, intra privatos parietes transigere proposueram. Intervenit haec mora, sic visum est superis, in qua Dominationi vrae. rmae. pro tot in me collatis beneficiis non potui servire, ut volui et debui. Quae cum mecum reputo, quod fit saepius, non possum in animo non affligi et reor esse hanc inter alias potissimam meam afflictionem, qua hic plerumque vivens mihi mori videor. Quocirca, ne omnia, quae in his scribi possent, persequar, Dominationi vrae. rmae. humiliter supplico, si cum gratia principum nostrorum fieri potest, in quorum arbitrium me totum reposui, efficiat bonis modis, ut jam tum demum aliquando ex hoc exilio revocer, quandoquidem omnia fere, quae Mtas. reginalis desideraverat, magna cura et labore meo sunt expedita, praeter adoham, in qua adhuc caesar se continet et nescio qua de re mentem suam declarare gravatur. Est tamen adhuc mihi spes, si dnus. Cornelius Scepperus bene apud vos habitus huc redierit, quod tandem duritiam ea in re caesaris expugnabimus. Dnus. cancellarius me adhuc consolatur et bene sperare jubet, cujus integritati plurimum fido et jam plura, quam prius unquam, potest apud caesarem. A me nihil omittetur, quo et haec possit expediri et ego quantocius revocari, ad quod, ut spero, Dtio. vra. rma. pro sua in me gratia suum efficax praestabit adminiculum.

De duello istorum regum et alia omnia, quae hucusque hic sunt acta, satis abunde pro istorum temporum qualitate ad Mtem. regiam scripsi,[1]) inde Dominatio vra. rma. intelliget omnia

[1]) List ten nie przechował się. Dochował się natomiast list króla francuskiego do cesarza z wyzwaniem na pojedynek. Jakkolwiek nie odnosi się ten list do spraw polskich, zamieszczamy go tutaj, zwłaszcza że o sprawie pojedynku tego jest mowa także w późniejszym liście Dantyszka z d. 12 października 1528 r.

omnia. Incidimus in miserrima tempora, in quibus virtus, fides et religio passim ubique periclitantur, — plaga Dei est.

Hic habita est aliquandiu de libris Erasmi inter fratres, qui se religiosos vocant, et inter doctiores aliquos, quos dicunt saeculares, non parva contentio; superavit tamen sanior pars. Libri Erasmi multi traducti sunt in linguam Hispanam legunturque passim abstuleruntque hic non parum superstitionis. Vereor, ne quid tale hic accidat, aut pejus, quam in Germania. Coëgerunt omnes Mauros, qui hucusque fuerunt Mahometici, ad fidem Christi. Est illorum magnus numerus tam circa Valentiam quam etiam hic circa Caesar Augustam, sunt praeterea multi Judaei Christum, ne bona sua perderent, hic professi, cum rex Ferdinandus Hispaniae, avus maternus caesaris, eos hinc expelleret. Sunt item alii christiani mali plurimi, qui si quippiam libertatis nacti fuerint contra inquisitores, penitus hic de religione actum erit. Aveo scire, quomodo se conterranei et gentiles mei post istam castigationem a Mte. regia habitam gerant in ecclesia. Ad me huc nihil perscribitur. Proinde rogo maximopere, jubeat aliquando Dtio. vra. rma. ad me scribi, denturque literae in manus Georgii Hegel, is per Antverpiam commode eas ad me transmittere poterit, accumuletque hoc beneficium ad alia mihi praestita, quo me sibi devinctiorem et post mortem patris mei non vulgariter consolatum reddet.

In Augusto futuro annus transibit, cum novissime a Mte. regia et a Dtione. vra. rma. novissimas literas viderim. Nescit Dominatio vra. rma., quantum gaudium est exulibus, cum ab his literis consolantur, a quibus missi sunt in exilium.

Alia ad praesens non restant, quam quod me humillime gratiae et benivolentiae Dominationis vrae. rmae. commendo. Deus Optimus Maximus faxit, ut eam salvam, felicem et in primatu brevi apud nostros videam. Datum ex Sarragossa, quae Caesarea Augusta vocatur, 28 die mensis Junii. Anno domini 1528.

LITERAE REGIS GALLIAE, QUIBUS CAESAREM AD MONOMACHIAM PROVOCAVIT. E GALLICO SERMONE IN LATINUM VERSAE.

Nos Franciscus, Dei gratia Francorum rex, Genuae dnus. etc. Tibi Carolo, eadem gratia electo imperatori et regi Hispaniarum, notum facimus: Quod cum ad aures nostras pervenerit, te in aliquibus responsionibus per te redditis oratoribus et fecialibus nostris pro pace componenda ad te destinatis, dum te voluisti injuste excusare, nos accusasse, dicens: te habere fidem nostram nosque sub ea et contra nostram promissionem e manibus potestateque tua elapsos esse, pro defensione igitur honoris nostri in hac re nimium praeterquam veritatem laesi voluimus has literas ad te mittere, quibus — tametsi nullus homo captivus servatus possit obligari ad praestandum, quod fide pollicitus est sitque haec non satis sufficiens excusatio — nihilominus tamen ut omnibus satis faceremus et nostro simul honori, quem semper servamus servaturique favente Deo sumus usque ad extremum vitae nostrae halitum: quod si tu voluisti vel vis culpam aliquam impingere non solum ob nostram fidem evasionemque, verum etiam dicens me aliquid fecisse viro nobili sui honoris studioso indignum, — dicimus te ore mentitum esse mentiturumque, quoties id ipsum dicturus es. Deliberati sumus honorem nostrum ad extremum diem vitae nostrae tutari. Quapropter si praeter veritatem nos — ut dictum est — laedere volueris deinceps, nihil amplius ad nos scribas, sed assignato locum tutum certamini et nos arma feremus protestantes. Si post hanc declarationem alibi vel scribis vel dicis verba adversus honorem nostrum, dedecus cunctati conflictus (dilati certaminis) tibi imputandum esse, quandoquidem, cum ad certamen deventum fuerit, omnia scripta cessatura sunt. Datum in nostro bono oppido et civitate Parisiensi die XXVIII Martii. Anno Domini 1528.

299. Sigismundus primus, rex Poloniae, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego nr. 959[1])
Kod. Karnk. X, 150.
Kod. Sap VII, 149.

Rme. in Chro. pater, sincere nobis dilecte. Superiori anno significavit nobis per oratorem suum sermus. princeps dnus. Ferdinandus, Ungariae et Bohemiae rex, magnificum Hieronimum Laski, palatinum Siradiensem, — (qui oraculi Lauretani visendi libertate apud nos impetrata, Gallias concesserat, dumque ex Francia rediens Bohemiam et alia dominia ejusdem sermi. dni. regis transiret), se oratorem et nuntium nostrum nominasse et asseruisse, quo securius dominia ipsa penetrare potuisset. Neque ipsum aliter ea transire fuisse permissum. Scripsit et nunc quoque iterum nobis eadem Mtas. serma. regis Ferdinandi, quomodo ipse palatinus gentes infidelium, christianorum perpetuos hostes, Turcas videlicet et Tartaros, aliosque efferos homines adversus Mtem. illius concitasset eorumque copiis conductis et contractis bellum ejus Majestati regiae et universis subditis ipsius literis suis indixisset et earundem literarum exemplum nobis ab illius Majestate missum Pti. vrae. mittimus, ut expendat, quale sit hoc facinus, quod ipse palatinus, subditus et consiliarius noster, injussu nostro sit aggressus, ad quod quam liceat nobis connivere, pro prudentia sua considerabit, quando quidem et ipse sermus. rex Ferdinandus a nobis requirit hac in re christiani principis et amici regis officium. Et res ipsa tanta esse videtur, ut nisi maturo illi occurramus consilio, nomini nostro hactenus sanctissime conservato apud universam Christianitatem forte officere posset, cum talia per subditum et consiliarium nostrum geruntur, quae christianae reipublicae atque etiam dominiis nostris detrimentum afferre possent.

Neque Pti. vrae. latere voluimus, eundem palatinum nobis perscripsisse, se nomine Mtis. nostrae, licet illi non commiseramus, indutias cum Turco composuisse et accepisse conditione interjecta, ut sermum. principem dnum. Joannem, Ungariae etc. regem, contra adversarios suos adjuvaremus. Quod cum sit absque voluntate nostra et publico autoramento factum, acceptare non erat visum, subveremur tamen, ne ejusmodi palatini cum Turco tractatus nomine sed injussu nostro facti rebus, quas orator noster, quem nuper illuc misimus ex mandato nostro, acturus est, impedimentum aliquod afferant.

Significatum est etiam nobis, sermum. regem Ferdinandum misisse vel missurum esse suum ad nos oratorem, per quem postulare a nobis deberet, ne sermo. principi dno. Joanni, regi Ungariae etc., in regno nostro daremus receptum, utpote quasi ipse hostilia adversus ejus Mtem. moliatur ac cum infidelibus se miscere christianisque infestum et hostem facere statuerit, et quoniam, ut nunc sunt tempora, omnia haec plus in recessu, quam in fronte habere videntur. In quibus quemadmodum nos gerere quidve nos facere vel conveniat vel opportunum sit, Ptas. vra. pro sua erga nos et Rempublicam fide debitoque nobis sinceriter consulat et sententiam suam perscribat, ut sciamus tempori, quod illi ex re et dignitate nostra optimum videbitur, quodque etiam nos intellecta mente Ptis. vrae. et aliorum consiliariorum nostrorum rebus et periculis futuris prospicere possemus. Factura Ptas. vra. rem suo officio et nostra gratia dignam. Datum in civitate nostra Vilnensi penultima Junii. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

[1]) Jakkolwiek list ten nie ma podpisu króla, zdaje się być oryginałem, co wskazuje adres i ślad pieczątki, jako też papier i znajdujący się na nim filigran, które są takie same, jak w liście oryginalnym Zambockiego z Wilna z d. 20 czerwca.

Archiwum Wiedeńskie (koncept).

300. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Ferdinandus etc. Serenissimo etc. Venit ad nos magnificus sincere nobis dilectus Petrus Opalenszky, castellanus Miedzirzecensis, a Serenitate vestra ad nos orator destinatus, qui pot exhibitas nobis literas credentiales, quae a Serenitate vestra in mandatis acceperat, ordine proposuit sicque apud nos oratoris munere perfunctus est, ut de illius fide, sapientia dexteritateque et industria singulari actisque per eum cum nos tum optimi quique quam optime sentimus. Intellecta itaque legationis suae summa et scripto illi respondimus, sicut Serenitas vestra ab eodem coram intelligere poterit, cujus verbis circa haec non solum fidem habere velit indubiam atque eam, quam nobismet, si praesto essemus, adhiberet, verum etiam se in iis, quae sic idem orator referet, ac ceteris, quae utriusque dignitati, honori bonaequae viciniae, necessitudini et subditorum quieti asserendae et conservandae accommoda cognoverit, se talem praestare et gerere velit, uti nobis jam pridem persuasissimum habemus, id quod et nostrae in eandem benevolentiae et amori vehementi congruet, quod nos quoque vicissim, ut antea et nunc et deinceps omni oblata occasione adeo faciemus, quod vel paci publicae, tranquillitati subditorum, conjunctioni et amori mutuo neutiquam deesse voluisse videamur. Quod eidem Serenitati vestrae pro nostra in ea affectione fraterna significandum duximus, quae valeat. Datum Pragae 29 Junii 1528.

Kod. Karnk. X, 267.
Kod. Sap. VII, 260.

301. Joannes, electus archiepiscopus Upsalensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Reverendissime in Chro. pater et dne. amice ac frater charissime et honorandissime. Salutem et aeternam felicitatem. Non mediocri, immo maxima laetitia afficior intelligens rmam. Dtionem. vram. pristinae sanitati restitutam, cujus adversa valetudo me et plurimos bonos insigni dolore affecerat. Benedictus Deus, qui percutit et sanat, nec feriendo necat. Ceterum, rme. dne., multum sollicito animo exspecto, quid responderit Summus pontifex illis humanissimis literis, quas sermus. dnus. nr. rex Sigismundus in praeterita hieme in favorem collapsae ecclesiae Swecanae ad apostolicam sedem scribere dignabatur. Vereor, ne rmus. dominus cardinalis L. Puctius Sanctorum quatuor coronatorum se tam sanctissimis et honestissimis regiae Mtis. precibus mei odio objecerit, quod Romae partes patriae meae regni Sweciae agens, (cujus contrarium hostem Christiernum regem tunc protexit), non satis cum rma. Dominatione ejus conveni, nec secus opinor de rndo. patre, fratre Johanne Francisco de Potentia, quod non assecutus sit ecclesiam Scarensem, ideo conaturum contra meam et aliorum electorum episcoporum consecrationem. Undecumque tamen se habeant impedimenta, summo dolore noctes et dies discrucior, videns christianam ecclesiam tam in patria mea incredibilibus persecutionibus expositam, quam etiam apud Summum Pontificem et Dei vicarium ac rmum. cardinalium senatum penitus in octo annos derelictam. Noluerat interea pontifex (nisi solutis annatis) episcopos confirmare. Noluerat nobilitas regni Sweciae, immo sub gravissima poena mortis aut exilii prohibuerat solvi annatam, donec electi illi post tantam exspectationem sibi mutuam consecrationem sine sedis apostolicae consensu in praeterita hieme impenderent. Jamque omnia

omnia pontificia munera, qualicunque autoritate possunt et hujus temporis ratio permittit, exequuntur, quorum exemplum forte regna vicina, Dacia et Norvegia, non post multos dies amplectentur. Hinc rma. et prudentissima Dtio. vra. perpendere dignetur, quam doloroso animo sum, videns omnes operas meas, quas ad multos annos Romae et in patria apud tres summos pontifices successive pro restituenda et conservanda vera Christi religione adhibueram, in nihilum abivisse. Reliquum necessario erit, (nisi rma. Dtio. vra. mihi aliquid spei aut consilii afferre poterit), ut post toties rejectas preces meas a sede apostolica ecclesiam ipsam Upsalensem et curam reformandae religionis fatigatus relinquam. Quid si fecero, procul dubio sufficietur aliquis nescio quis Luteranae perfidiae assertor, qui regna aquilonaria eo perducet, unde impossibile erit ipsa ad obedientiam sanctae Romanae ecclesiae unquam humano consilio aut auxilio revocari. Sufficientur praeterea eidem tales episcopi, qualis ille fuerit archiepiscopus, quod cujus culpa eveniet, divinum esto judicium. Fuit mecum proxime praeteritis diebus rndus. pater dnus. Joannes Statilius, electus episcopus Transsilvaniensis, qui nomine sermi. dni regis Ungariae etc. multa locutus est super negotio illo affinitatis. Crediderim felix fore conjugium et a clementissimo Deo praedestinatum, per quod tot condicibilia[1]) bona in sanctam sedem apostolicam, in totam christianam ecclesiam, in ipsam divinam religionem pervenirent, nihil enim minus efficiet sermus. dnus. noster rex Sigismundus ea affinitate, quam si omnia illa aquilonaria regna, quorum religio spe exigua extremaque pendet, ab ethnicorum erroribus et profunda in Christi religione perfidia revocaret. Sanctum et sanctissima memoria dignum matrimonium erat, quod inter avum illmi. dni. nostri regis Sigismundi Vladislaum Jagellonem et illmam. virginem Hedvigem contractum tot inenarrabilia bona christiano orbi peperit. Sed credat rma. Dtio. vra, non minora, immo longe majora commoda ex ea affinitate, (si Deus eam cum bonis et necessariis conditionibus consumari concesserit) secutura. Duo mihi visa sunt potissima remedia pro avertenda a regno Sweciae schismatica pravitate: unum in autoritate Summi Pontificis mihi plenius conferenda, alterum in ea ipsa diu exspectata affinitate. De primo jam pene despero, alterum si Deus non concesserit, vix ullum erit effugium, quo rei christianae potero providere. Haec prudentia rmae. Dtionis. vrae., quam pro unico meo consolatore observo, perpendere mihique ad ea bonum responsum et consilium quantocius adhibere dignetur, exoro. Et felicissime valeat, meque pro sua humanitate consoletur et amet. Gedani, penultima Junii, anno dni. millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

302. Petrus Opaliński, orator apud regem Ferdinandum, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario, Chr. de Szidlovecz, cast. Crac., cancellario, Nicolao de Szidlovecz, thesaurario regni Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 960 (odpis współczesny). Kod. Karnk. X, 183. Kod. Sap. VII, 177.

Rme. in Christo pater, mgci. domini et domini mei clementissimi. Post commendationem servitiorum meorum. Duplex legationis officium committere mihi dignatae fuerunt Dominationes vrae.: alterum in conventu imperiali Ratisbonensi, alterum apud sacram Celsitudinem sermi. Ungariae et Bohemiae regis Ferdinandi, nomine sacrae regiae Majestatis Poloniae, domini mei clementissimi, per me obeundum. Conventus imperialis Ratisbonensis, qui

[1]) Kod. Sap.: indicibilia.

qui jamjam ex voto caesareae Majestatis fieri debuerat, imperatore rursum aliter volente solutus et in nihilum versus est, partim propter tumultus Germanicos maxime eo tempore inter se dissidentes, partim propter multifariam et seditionis plenam de fide et religione novamque quotidie principum Germaniae opinionem et sententiam. Ne vero ego officio legationis meae aliqua ex parte viderer defuisse, exspectavi hactenus, si forte compositis rebus conventus imperialis sublatus refectus fuisset postea, ubi autem nullam ejus spem esse vidi, insuper etiam a sermo. Ungariae et Bohemiae rege perquisivi, quid me de eo ipso conventu vel exspectare vel sperare oporteat, respondit Majestas sua: hoc tempore conventum nequaquam esse posse, daturum tamen operam, ut aliquando fiat conventus de occupatis aliquantisper tot prius aliis reipublicae rebus necessariis, ista tamen aestate nequaquam eum futurum. Rebus itaque ita volentibus non potui in ea parte fungi officio legationis meae.

Quod vero sermum. dnum. Ferdinandum Ungariae et Bohemiae regem attinet, egi omnia, quae ex re erant, diligentissime. Veni Pragam ad suam Mtem., ubi me advenientem viri quidam insigniores nomine suae Mtis. comitatu honesto oratione humanissima exceperunt, ad hospitium magna dignitate deduxerunt, nihil denique, quod ad optimum regem et amicissimum consanguineum regium attinet, ulla ex parte praetermiserunt, audientiam apud sacram suam Mtem. mihi, ubi velim, non defuturam, nomine suae Mtis. humanissime retulerunt. Quam ego non sine suspicione eaque maxima atque odii plena distuli ad novam de pace et concordia ineunda informationem; tot tamen excusationibus et modis usus sum postea, quod boni tandem consuluerunt eam tam justam moram persuasumque deinceps apud se habent, aequissime et integerrime atque recto animo acta et dilata fuisse omnia. Ubi itaque novam de pace et concordia informationem nactus sum, mox altero die dixi legationem eique omni cura et studio, ne quid ex me desset, quod integrum, fidum et sollicitissimum nuntium et servitorem pro debito et virtute facere oporteat, nihil praetermisi, nihil quoque addidi et dicendo et agendo praeter institutam et praescriptam mihi ex informatione legem. Jucundissima facie exaudivit Majestas sua orationem et legationem meam, singulari postea gratia me ad se vocavit atque ad secretius quoddam cubile me secum duxit Majestas sua. Illic summa clementia, mira prudentia, maxima eloquentia, nunc hac nunc alia lingua, nunc haec nunc illa per unam horam cum dimidia sine aliquo arbitro mecum locuta est Majestas sua sacratissima, apertissime protestata imprimis, se non tamquam cum tanti regis oratore pro hac vice, sed private et confidenter loqui velle, repetiit omnes articulos legationis meae Majestas sua serma., ad omnes quoque respondit mihi tunc statim non praemeditata argutissime. Verum praeter consilia primorum regni se respondere ad legationem nequaquam velle. Exspectare me jussit sua Mtas., ut captato maturo omnium de ea legatione consilio, melius et prudentius respondere possit Mtas. sua, ut si ego sane viderim postea nihil neque additum neque diminutum in responso publico eorum, quae privatim mecum dixerat Mtas. sua sacratissima. Per octo integros dies de responso mihi dando deliberatum est, octavo itaque die ad Mtem. suam publice vocatus sum. His itaque vel his similibus verbis et in eam sententiam ad legationem meam respondere mihi dignata est Mtas. sua serenissima.

Declaravit porro sermum. regem Poloniae, quicquid laboris in negotio hujusce concordiae subiverit, sincero et bono zelo, quo erga sermam. Mtem. duceretur, fecisse, nihil equidem dubitat sermus. dominus rex Ferdinandus, sermum. regem Poloniae in omnibus aperte et ingenue cum Mte. sua agere, tum ex summae necessitudinis jure, tum pro vetusto foedere, quod inter Mtates. suas et earum regna intercessit.

Ceterum

Ceterum non videt, quae pericula ingruant, nisi concordia ista subsequatur; quamvis enim arma Turci Joannes de Zapolya adversus Ungariam convertit, Turcum tamen non adeo in potestate habere neque ejus dicto perinde obsequentem esse, ut eum divertere possit; neque verendum esse, ut, cum Turcus Ungariam invaderet, ex alia parte Joannes infesto agmine irrumpat, nisi ex provinciis sermi. regis Poloniae copiis et stipendio adjutus. Quod sermum. regem Poloniae tanquam catholicum principem et Majestatis suae consanguineum charissimum nequaquam passurum, Majestas sua certissime sibi persuadet, hoc uno periculo excepto, quod Joannes, qui artes suas ingenti cura et sollicitudine continuare non destitit, virus, quod nunc remote vibrat, receptus in gratiam facilius effunderet. Cognoscit itaque Mtas. sua, consultius esse et minoris longe periculi, inimicitias Joannis experiri, quam insidias, apertum odium, quam simulatam obedientiam.

Ubi autem sermus. rex Poloniae Majestati suae significat Turci adventum majori quam unquam antea apparatu non vastandi regni Ungariae gratia, sed ut occupet et sibi vindicet, cujus potentiam nequaquam negligendam admonet, respondit sermus. rex Ferdinandus, quod postquam in haec regna sua [1]) ex Ungaria concessit, nihil ea sollicitudine, nihil eo studio et diligentia curavit, quam ut ex omnibus regnis suis et provinciis atque ex Imperio ea auxilia comparet, quibus tanti hostis impetum excipere possit, sic ut Dei Optimi Maximi ope freta Mtas. sua optimam spem habet defendendi regna sua.

Et sermus. rex Poloniae pro comperto habeat, sermam. Mtem., cum rerum gerendarum magnitudo ita poposcerit, pro defensione regni Ungariae non labori, non quieti, non personae demum suae parsuram, neque commissuram, ut a claritudine majorum in aliquo degenerasse judicari possit, qui catholicam religionem christianique nominis regna multis saeculis non tantum moderati ac fortissime tutati sunt, verum etiam gloriose protulerunt auxeruntque.

Quantum autem ad intestina christianorum bella attinet, vel inprimis Mtis. suae regnorumque ejus interesset, ut illa primo quoque tempore tollerentur. In quo negotio Mtas. sua non parum sollicitudinis et curae jam diu adhibuit, unde bonam partem ad indutias faciendas induxit. De reliquis etiam nihil intermissura est Mtas. sua, sed omni conatu annixura, ut ad concordiam reducat.

Ubi autem Joannes de Zapolya nondum se debellatum sentit, quatenus in Ungaria debellari potuit, sermus. rex Ferdinandus satis debellatum fugatumque existimat ad Poloniae intima penetrasse, quo Joannes ipse delapsus est. Jam ad sermum. regem Poloniae pertinere, ut aut in eum animadvertat, aut dedat, aut finibus suis expellat tanquam reipublicae christianae perniciem et Turci confoederatum: hoc foedus inter Majestatis suas sancitum, hoc regali verbo firmatum, quod permagnum regibus sacramentum est, exposcit, haud dubie hoc exigit.

Ubi autem Joannes jactat, se multos fautores in Ungaria habere, non inficiatur Mtas. sua, nonnullos, sed perpaucos et eos, qui praedae et crudelitatis acti metu etiam noctes ipsas sollicitas et inquietas ducunt, qui si exercitu, si cetero omni apparatu bellico, si munitionibus salvis, Joannem in Ungaria conservare et manu tenere non potuerunt, amissis omnibus illis, pulsum exulemque minus poterint restituere introducereque, de quibus tamen Mtas. sua rex Ferdinandus brevi debitum finem faciet.

Proinde serma. Majestas Mtem. regni Poloniae, consanguineum suum charissimum, rogat requiritque: velit tandem Majestas sua juxta literas obligatorias ita sese huic negotio accomodare

[1]) W kod. Sap.: in haec Bohemiae et Germaniae regna sua.

dare, ita omnem occasionem amputare, ut in posterum de literis et obligatione Mtis. suae conqueri non possit.

Ubi autem sermus. rex Poloniae protestatur, se tentasse omnia sedulo et diligenter, quaecunque ad hujusmodi concordiam conficiendam pertinuerunt et in se nihil defuisse, quasi in Mtem. regis Ferdinandi, quicquid cecidisset, rejicere velit: at sermus. rex Ferdinandus non modo nullam praestitit occasionem, ut status publicus et tranquillitas christiana labefactaretur, verum si unquam alias, nunc potissimum de universa publica re christiana et catholicis principibus praeclare merita est, cum Ungariam ejus tyrannide liberavit, qui societatem et amicitiam Turci perniciosissime sibi conciliaverat, ut scilicet tributum pecuniarum et animarum, quotiescunque Turco in regnae christianitatis irrumpere libuisset, non modo illi liberum transitum daret, sed commeatu etiam juvaret.

Consideret itaque sermus. rex Poloniae, quantum ei ex illa sua veteri et clarissima existimatione decedet apud omnes principes et christiani nominis status, si pergat hujuscemodi hominem perditae ambitionis, belli civilis seminarium, patriae calamitatem et ad evertendam christianitatis pacem genitum in regno suo fovere, ubi otium, victus, splendor et frequens salutantium turba atque Turcorum Tartarorumque vicinitas ipsum ad explorationes aliosque perniciosos quoscunque tractatus et ad omnes genus injuriarum magis magisque exasperabunt, quae illi extra Poloniam nullibi suppeterent.

Quam ob rem protestatur sermus. rex Ferdinandus, si bella, si rapinae, si denique damna aliqua per Joannem emerserint, non Mtem. ejus, quae Joanni omnem adversae machinationis materiam ademerat, sed sermum. regem Poloniae occasionem illi subministraturum, qui illum tanquam publicum hostem reipublicae christianae et Turci amicum in regno suo fovet et favore ac benevolentia ipsum amplectitur.

Intellectis articulis sermi. regis Poloniae pro parte Joannis de Zapolya porrectis sermus. Ferdinandus, rex Ungariae et Bohemiae, ex adverso respondet, quod sermus. rex Poloniae non modo ceteris omnibus melius noverit, qualia et quam efficacia jura sermus. rex Ferdinandus habuerit ad successionem regni Ungariae et jure contractuum et jure successionis sermae. conjugis suae et jure legitimae electionis, sed juxta literas suas obligatorias sermus. rex Poloniae tenetur etiam assistere sermo. regi Ferdinando et jura suae Majestatis manutenere.

Item: sermus. rex Ungariae et Bohemiae non quaerit locupletiorem testem ipso Joanne de Zapolya, si modo vera velit fateri, quam Mtas. sua statim cognito sermi. felicis memoriae regis Ludovici interitu nihil omnino praetermiserit, quae ad ipsum Joannem de Zapolya admonendum dehortandumque arbitrata fuerit pertinere: ne scilicet se in gubernamen regni Ungariae quovis modo ingereret, neque apertissima Mtis. suae jura aliquatenus violaret, ille tamen caeca cupidine et temeritate in Mtis. suae et totius prosapiae ejus injuriam Ungariam sibi vendicare voluerit.

Praeterea licet non fuerit sermo. regi Ferdinando visum condecens et honestum cum Joanne judicium intrare tanquam cum subdito suo, verum pro uberiori declaratione et clariori ostentione jurium Majestatis suae, quae luce ipsa meridiana clariora ad regnum Ungariae Majestati suae competebant, amicabiliter judicium et cognitionem sermi. regis Poloniae anno superiori in conventu Olomucensi Mtas. sua sponte subiverit.

Praeterea non sermum. regem Ferdinandum ulla in parte priorem jura Joannis, hoc est patrimonia sua privata invasisse, sed Joannes prior regni Ungariae coronam violato jurejurando suo tyrannice sibi ipsi usurpaverit et gubernamen regni Ungariae contra jura Mtis. suae contraque frequentes admonitiones violenter invaserit. Neque videre Mtem. suam

suam, qua via Joannes Ungariam defendere potuerit, praesertim post regem amissum, post acceptam insignem militiae cladem, post adempta regni munimenta, post majorem Ungariae partem ferro et igne vastatam, cum tamen ille, salvis his omnibus, nihil unquam praeclari adversus Turcas gessisset, tantum abest, ut Ungariam defendere potuerit, nisi per tractatus Jeronimi Laski, qui quales quamque homine ingenuo et adeo christiano indignae sunt, sermum. regem Poloniae Mtas. sua bene intelligere non dubitat, cum praesertim Jeronimus in regno Poloniae ex prosapia satis insigni oriundus etiam nunc sermi. regis Poloniae servitor atque officialis existat. Hujus enim opera Joannes de Zapolya tributi annui nomine centum milia aureorum, ac decimo quoque anno decimam hominum utriusque sexus ac pro castris Sirmiensibus trecenta milia aureorum Turco pendere promisit, ac quotienscunque voluerit, liberum transitum ad quaecunque regna Christianitatis.

Ceterum miratur sermus. rex Ferdinandus, quantopere Joannes ipse sibi non constet, sed id quoque ut ubique semper pellem mutat, nam in praecedenti articulo paratos tractatus et pro majori parte conclusos cum Turco habuisse dicit, ut regnum Ungariae defenderet et amissas Ungariae munitiones recuperaret, hic autem ab initio se Turcum ad nutum habere potuisse ponit, sed abstinuisse se a tali foederum genere. Insuper Majestas sua respondet, quod Joannes literas ad praefectos Turci manu Majestatis ejus signatas ostendere nullo modo poterit, nisi dolose et fraudulenter fictas, sicut anno superiori idem in Transsilvania fecit, usus opera cujusdam Mathiae, literati.

Ceterum an omnes actiones Joannis christianae sint, praescripta cum Turco foedera clarissime ostendunt, de illis itaque disputare superfluum videtur, principe quidem dignae non fuerunt, cum neque solus in principatu, sed privatis opibus natus sit, neque principatum aliquem per ostium adierit aut rite et legitime auspicatus sit, tributi vero annui nomine, quae quantaque Turco promiserit, superius abunde declaratum fuit.

Ceterum non esse conveniens Majestati suae concordiam cum Joanne inire, tanquam cum eo, qui etiam, salvis adhuc opibus suis privatis, statim post interitum felicis memoriae regis Ludovici Mtis. suae subditus et feudalis factus fuerit, fraudulenter et perniciose non solum rebellaverit, sed Majestatis suae solium invaserit, neque Majestas sua ex venia hujusmodi, si Joannem in gratiam reciperet, aliud sibi polliceri posset, quam sermi. bonae memoriae Wladislaus et Ludovicus, reges, affines et praedecessores Mtis. suae, quorum alterum regem Wladislaum, Ludovici regis patrem, Joannes perpetuis anxietatibus et curis confecit, alterum vero Ludovicum ipsum regem, generosum principem, in acie pugnam fortiter capessentem nefarie destituit, non sine gravissima procerum et omnium regni statuum clade, regnum vero Ungariae ad has calamitates, ad hanc summam rerum omnium penuriam perduxit, adeo ut populus omnis, nisi provinciae Mtis. suae hereditariae annonam illis suppeditarent, fame periclitarentur. Unde sermus. rex Poloniae sibi imprimis et christianis principibus ac toti reipublicae christianae recte consuluerit, si talem tantumque christianae quietis turbinem aut Mti. ejus dedat, aut finibus suis quam primum ejiciendum curet, ne sceleris hujusce nefandissimi impunitate allecti proceres legitimas principum successiones per ambitionem sibi deinceps vendicare audeant.

Ceterum non dubium esse, sermum. regem Poloniae — quo ad personam suam — se erga Mtem. regiam Ungariae et Boëmie fraterne et amice et officiose exhibere potuisse, neque secus unquam cogitasse aut in animo suo habuisse, re ipsa tamen literis a sermo. dno. Poloniae rege praedicto scriptis studia contraria saepius adaperta fuisse, sicut non solum liquet ex tormentis bellicis tam Serenitatis suae quam quorundam regni sui subditorum apud Joannem, comitem Scepusiensem, repertis armorunque et insigniorium suorum discerniculo

niculo notatis, verum etiam ex militibus Polonis, qui eidem Joanni accurrerunt signa ipsius deinde secuti, non equidem gregariis et collectitiis, sed genere nobilibus possessionatis, item regis ac regni Poloniae 'officialibus, nomine et existimatione claris. Hoc vero amicitiae munus esse non postremum idque si fiat, haudquaquam laedi viciniam, si hostis vel adversarius amici minime foveatur ab altero, immo ne recipiatur quidem aut ad se commigrare sinatur. His ergo non sine ratione ad scribendum ejuscemodi literas, de quibus hic fit mentio, sermum. regem Ferdinandum motum, juste argui non posse, literas vero non eo nomine, quasi levem quandam ac calvam occasionem Majestas regia praedicta contra sermum. dominum regem Poloniae vel quaerere vel arripere conata fuerit, sed in hoc potissimum exaratas fuisse, quo idem sermus. rex Ferdinandus juxta oblationem promissionemque suam alio meliorique modo et ordine his occurreret utque provideret negogotiumque cordi magis acciperet, denique simultates et alia id genus incommoda praecaverentur et interciperentur.

Quod autem sermus. dominus rex Poloniae Rinconis facta ignoraverit antea, cum ille longissimo intervallo a sua curia sejunctus esset, arbitratur Majestas regia serenissimum dnum. regem Poloniae hoc idem, si diligens inquisitio facta fuisset, facile rescire potuisse, et licet Rincon ille nihil tunc contra Majestatem regiam Ungariae attentaturus erat, persuasum sibi tamen habebat eadem Majestas, hunc scilicet, qui Mtis. caesareae et suae non solum, ut hostis, verum uti proditor est censendus quique nihil non attentare audeat, quod in apertum Mtum. suarum honorisque et sublimitatis earundem damnum et offendiculum cedere possit, a sermo. dno. rege praefato non receptum oportuisse, quem etsi omnino in regno suo agere pati vellet, hoc praecipue cavere debebat, ut quiete et pacifice contineretur, ne quid mali aut sinistri vel contra regem Ferdinandum vel suos quoque modo faceret vel tractaret. Quod autem praefatus Rincon asserit, postquam apud sermum. dominum regem Poloniae oratoris munere fungeretur, ita semper interclusum se fuisse et esse, ut redire tuto ad regem suum hactenus non potuerit nec possit: cogitat Majestas regia praefata, Rinconem, si modo animum redeundi habuisset aut in regno Poloniae manere permissus non esset, facili negotio vel ut minimum, qua ingressus est Poloniam via, se domum recipere potuisse.

Cumque sermus. dnus. rex astruat non videri officium christiano rege dignum, confugientem ad se Joannem, affinem et vicinum suum, in tanto ejus casu et calamitate ex regno suo expellere, hoc sermum. regem Ferdinandum concedere oportet, quem si sermus. rex Poloniae recipere et fovere volebat, sic fieri debebat, ut nec Mtas. regia Ferdinandi, nec subditi regni sui Ungariae deinceps, ut praemissum est, damnum et injuriam pati cogerentur nec quidquam amplius adversi contra eosdem fieret aut tractaretur. Quod tanto magis sibi Majestas regia de sermo. dno. rege Poloniae pollicebatur, quanto sunt arctiori vinculo fraternitatis amorisque et necessitudinis mutuae juncti, ac quod unioni hereditariae foederibusque et tractatibus, qui cum utroque regno intercesserunt, plane consentaneum fuisset.

Ceterum quamvis Joannes antedictus ad Turcos non fugerit, nihilominus per receptionem sui et mansionem in regno Poloniae continuatam cum incolis ejusdem omnia facere et machinari potuit, quae non minus, quam si apud eosdem Turcos fuisset, agere et moliri potuisset, sicut etiam fecit, nihilque in eo, quoad posset, neglexit, quod non tantum in regiae Mtis. antedictae, sed etiam totius christianitatis praejudicium enorme vergere posse credebat. Idque fere magis et commodius illi e regno Poloniae successit, quam si ad Turcos ivisset. Intellecto enim, quod Joannes ipse a rege Poloniae patrocinium sentiret

inibique

inibique foveretur, facilius illi fidem Turcae habuerunt, ut ad opem petenti ferendam citius et minori negotio sunt adducti, quam forte, si se ad eos recepisset, factum non esset, hujusque solius tanquam profugi conatus parum vel nihil efficaciae habuissent.

Et quia ego petii, ut quando idem sermus. rex amicitiae et conjunctionis mutuae violandae nullam praebuerit causam, Majestas regia saepe dicta in literis suis deinceps aequam rationem dignitatis et amplitudinis sermi. dni. regis Poloniae habere velit, eidem Majestati regiae incognitum quippe est, qua in re sermus. dnus. rex Poloniae per literas Mtis. suae regiae impetitus esse possit, cum eidem semper uti fratri et sororio, jure et patri dilectissimo scripserit, sed quod per easdem se practicis et sinistris actionibus Joannis antedicti nonnihil gravatam ostendit, non alia ratione, quam fraternitatis et bonae viciniae subditorumque tranquillitatis optimisque quibusque respectibus factum esse. Quamvis enim Mtas. sua nihil horum penitus ascribat sermo. domino regi Poloniae, utcunque tamen illud in regno Poloniae factum esse dignoscitur, his tamen non attentis Mtas. regia praenominata sibi nihil nisi optima de sermo. dno. rege Poloniae tanquam fratre et sororio suo charissimo pollicita est idque nunc etiam persuadet ac in posterum quoque persuasissimum habebit, uti ea, quae nihil aliud in animo suo cogitavit, quam ut bonae semper viciniae subditorumque regni utriusque quieti magnopere consuleret atque studeret, ea spe ducta, ut sermus. dnus. rex Poloniae adhuc etiam bonum ordinem modumque sit facturus, quo per Joannem praefatum complicesque ejusdem e regno suo Poloniae vel contra Mtem. regiam vel contra regni sui Ungariae incolas qualitercunque nihil amplius mali committi vel admitti debeat.

Hoc est ad omnes legationis meae articulos responsum mihi per sermum. regem Ferdinandum datum; sed quia, quotiescunque mentio fuit sermi. dni. Joannis, Ungariae regis, in responso mihi dato nulla unquam dignitate aut nomen aut titulus suae Majestatis sacrae erat observatus aut nominatus, coactus sum ego quoque ita ex ordine describere et observare omnia, sicut dicta audivi, ne vel addere vel diminuere velim eorum, quae dicta sunt. Nolim itaque, ne quis tam impudentem orationem imperitiae et negligentiae meae cum turpitudine mihi tribuat postea, quippe qui sane intelligo, qua veneratione me suam Mtem. et nominare et observare oporteat. Credo ego quidem, non parum ad offensum et laesum sermi. regis Ferdinandi animum addidisse responsum acrius sacratissimi domini Joannis regis, quod ego subticuissem libens, si metas praescriptae legis transgredi fuissem ausus. Existimat enim, hoc sibi fuisse significatum propterea,[1]) ut hoc pacto his indignis conditionibus et practicis cum Turco Ungariae periculo sermus. rex Ferdinandus apud suos exosus forte fieret; utcunque tamen est, et si ego sane videam, exacerbatum esse nimis sermum. regem Ferdinandum erga nationem nostram, necessitudinis tamen et amicitiae maximam habet rationem. Cujus si ratio non fuisset habita, certo certius ad apertam hostilitatem ventum fuisset. Dici non potest, quam indignissimo animo ferat Majestas sua ea, quae per incolas regni Poloniae sibi fieri existimat, ita tamen ego existimo, me privatis colloquiis et persuasionibus justis apud Mtem. suam effecisse, quod minus molesto est animo et quod mitius omnia apud se reputat, quae ante acta sunt, nisi forte denuo praeter necessitudinis officium aliquid fiat postea per nostros, quod minus velit Majestas sua. Non desunt, qui ad aperta arma Mtem. suam inducunt contra nos, sunt tamen, qui aliud sentiunt et praecipue rmus. dominus episcopus Tridentinus, nationi Poloniae affectus nimis, qui omni studio ad pacem, concordiam et tranquillitatem omnia instruit aequissime.

Reliquum est, ut ineptissima ista servitia mea, quae omni fide et integritate praestiti, humiliter

[1]) W kod. Sap.: ea intentione.

militer commendem Mti. suae sermae., ipse vero, qui iniquitate fortunae a curis aulicis explosus sum, ad intermissum tot annis aratrum infelix redeam. Valeant Dtiones. vrae. ad multos atque felices annos. Datum Pragae fer. tertia post festum Sancti Petri et Pauli. Anno domini 1528.[1])

Kod. Sap. XVIII, nr. 171.

303. Sigismundus primus, rex Poloniae, Alberto, duci in Prussia.

Ills. princeps, nepos noster charissime. Accepimus binas literas vestrae Illtis.; alteris declarat, quae molimina fiunt in Germania adversus has terras, alteris repetit postulata sua de matrimonio fratris cum reliqua duce Masoviae. Optime facit vra Illtas., quod et pervestigat hujusmodi apparatus, qui fiunt adversus nos tam in Germania quam etiam in Livonia et nobis, quae accepit, communicat, rogamusque illam, ut et deinceps, quicquid intellexerit, nobis significare non gravetur, ut nos quoque rebus nostris prospiciamus. De matrimonio, quod vra. Illtas. optat, integrum nobis non est quicquam certi respondere absque consiliariis nostris absentibus, his praesertim, ad quos hoc negotium magis pertinet. Verum, quando ad regnum feliciter revertemur, quantum erit in nobis, libenter Illti. vestrae et domui Brandenburgensi commodare et gratificari tum in hac re quam etiam in aliis curabimus. Feliciter valeat vestra Illtas. Datum.[2])

Kod. bibl. Ks. Czartor. nr. 249 (list oryginalny).

304. Mathias Drzewicki, epus. Wladislaviensis, Mauritio Ferber, epo. Warmiensi.

Rme in Chro. pater et dne. amice et frater in Chro. carissime et semper observande. Salutem in dno. et optatam cum sui recommendatione felicitatem. Non aegre ferat vra. rev. D., quod remissior ad eandem in scribendo factus sum. Moror enim hic in loco ferme solitario, ad quem argumenta scribendi raro deferuntur. Sum tamen vrae r. D. pleno affectu totus omneque felix et faustum eidem ex corde faveo. Et ago eidem gratias ingentes, quod justitiae meae et ecclesiae meae nimium offensae rationem habuerit et justam una cum rmo. dno. Culmensi sententiam in facto quotae solvendae decimarum tulerit contra Nowenses. Deus imprimis erit retributor, qui justitiam diligit et odit iniquitatem et ego solito amore merebor. Ne tamen silentii diuturni arguar, vrae. r. D. nunc scribendum putavi. Et mitto eidem typis impressam materiam vernacula lingua Germana, quae dabit indicium vrae. r. D., quare et quomodo discordia inter principes Germaniae orta fuerit. Cognosci enim datur, quod non ubique res, immo verius lex procacium linguarum luteranam sentiens haeresim cessaverit et propterea magno studio custodiendum est, ne recidiva subrepat. Sed scripsit mihi rmus. d. Posnaniensis, quod a certis auctoribus intellexerit eam obortam controversiam inter principes ecclesiasticos et saeculares opera regis Ferdinandi sermi. sopitam esse et in tranquillum positam, quod Deo sit in laudem et gloriam. De Turco auditur, quod arma sumit et fremens instruit contra sermum. regem Ferdinandum, sed adhuc exercitus non admovit. Sunt sermi. regis Ferdinandi illic oratores apud Turcum, sed adhuc incertum est, si obtinuerit indutias, brevi autem sciemus et inde

[1]) D. 30. 6. 1528. — [2]) Data listu tego niepewna.

inde conjectura sciemus, quid ulterius sequitur. Italia consuetis bellis vastatur, tamen nihil aliud certius inde dicitur, nisi quod Sanctissimus dnus. nr. in statu suo quietius vivit. Vra. rma. D. dignata est mihi scribere de officiali meo Jacobo Lange, quomodo eduntur de eo querelae. Rme. dne., jam non ignorat vra. rma. D., quod eum ex Gdano removimus et superintendit tantummodo administrandis bonis et proventibus meis sine injuria sineque cujuspiam molestia, idem enim et alius quiscunque faceret, quia ego solus sine ministro facere non possum. Animadvertat ergo vra. rma. D., justene an non sint ejuscemodi querelae; cessarent enim querelae, si ego in jacturam meam et ecclesiae meae cessarem ab exigendis proventibus. Ideoque vra. D. rma. non sit ejusdem opinionis erga ipsum, quae de ipso spargitur. Me. autem diligat vra. r. D. et inter suos connumeret. Et feliciter valeat. Ex Vladislavia, ultima Junii 1528.

Mathias, Dei gratia eps. Vladislaviensis.

Rmo. in Chro. pri. et dno. Mauritio, Dei gratia epo. Varmiensi, dno. amico et fratri in Chro. carissimo et observando.

305. Fragmentum epistolae Tomicii ad Christoforum Szidlovicium.

Kod. Karnk. X, 159.

Magnopere autem miror, non esse mihi perscriptum a Mgcia. vra., quo pacto instruere decreverit vel jam instruxerit cum aliis dominis consiliariis dominum Opaleniczki, postquam, ut scribit, ea jam serenissimo regi Ferdinando exposuit, quae a me in priore instructione acceperat. Ea enim ignorans ego Mti. regiae, quid scribam, nunc prorsus nescio, cum tamen a me illius Mtem. exspectare certo credo. Quod ad dominum castellanum Lublinensem attinet, mihi certe non videtur esse opus, ut regiae Mtis. adhuc sententiam exspectet de indutiis ultra decennium prorogandis. Quinimmo videretur pernecessiarum, ut quam primum fuerit reversus ille nuntius, qui domini Laski literas suae Mti. tulit, ille iter suum arriperet, et de his indutiis Magnificentia vestra consultatione habita cum vestris dominis consiliariis, qui isthic sunt, eum instrueret, quidquid ex commodo Reipublicae petendum visum fuerit; tam longa enim mora nociva mihi videtur.

306. Sigismundus primus, rex Poloniae, Georgio, duci Saxoniae.

Teki Górskiego, nr. 3537 (współczesny, staranny odpis).
Kod. Karnk. X, 185.
Kod. Sap. VII, 180.

Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Litwaniae, Russiae totiusque Prussiae et Masoviae etc. dominus et heres, illustrissimo principi domino Georgio, duci Saxoniae, comiti provinciali Doringiae et marchioni Missnae, affini nostro charissimo, salutem et felicium successuum continua incrementa.

Illustrissime princeps, affinis noster charissime. Ea, quae nobis vestra illustrissima Dominatio per magnificum Joannem Schumbergk fraterne et amice significavit, haec continebant:

Accepisse se inprimis significavit vra. ill. Dtio., quomodo sermus. rex Joannes apud nonnullos subditos nostros in regno et dominiis nostris se contineat vel maneat, a quibus ad indecens propositum contra sermum. regem Ferdinandum confirmari deberet.

Quodque

Quodque etiam ipsi subditi nostri ad ea se intromittunt, quae sunt adversaria sermo. regi Ferdinando, cujus Majestati hostilitatem ac bellum indixisse non sunt etiam veriti, prout Hieronimus Laski fecit.

Quae res, praesertim factum ipsius Hieronimi Laski, nisi per nos fuerit provisum, et ubi illud ultra progredi sineremus, posset inter nos et sermum. regem Ferdinandum odium et inimicitiam excitare, ex qua postea sequi posset christiani sanguinis effusio.

Proinde rogat vra. ill. Dtio., ut rebus hujusmodi occurramus et, ne fierent, provideamus ipsumque Hieronimum ab instituto et proposito suo revocemus et contineamus.

Adjunxit deinde vra. ill. Dtio., quod ubi aliqua simultas vel negotia confusa inter nos et sermum. dnum. Ferdinandum regem intercesserint, vellemus id patefacere vestrae ill. Dtioni., quae promittit operam et studium suum, ut omnia ad concordiam et bonam amicitiam reduci possint.

Cupit praeterea vra. ill. Dtio, ut illi significaremus modum aliquem, per quem isti principes invicem dissidentes ad concordiam induci possent, offert quoque curam et sollicitudinem suam, per quam efficere contenderet, ut sermus. rex Ferdinandus ad decentes conditiones pacis et concordiae flecteretur, ne sub occasione hac discordiae eorum Turcus quod reliquum est occupet.

Et ista fuerunt, quae ante alia nobis a vra. ill. Dtione. per oratorem et literas significata sunt, ad quae etiam nos articulatim vrae. ill. Dtioni. ita et ut res est respondere voluimus.

Quia vero ea omnia ex puro ejus erga nos amore et sincero animo, prout ipsa scribit et nos omnino credimus, manarunt et processerunt: agimus et habemus illi gratias maximas, referreque etiam per omnem occasionem omni amicabili officio promittimus.

Sermum. vero regem Joannem, regem scilicet unctum et christianum, vicinum et affinem nostrum, variis casibus et gravibus periculis agitatum ad extremumque jam bello et discordia suorum e regno pulsum, ad regnum nostrum confugientem, ut officium erat christiani principis, suscepimus, quo respublica christiana et singuli confines vicinique populi paci et quieti suae plurimum queant consulere. Neque enim libero et christiano principe dignum opus videretur, vicinum et affinem principem, in tanto ejus casu et calamitate ad nos confugientem, excludere. Qui si ad Turcos vel aliorsum se contulisset, capere forte consilia potuisset, vel etiam coactus fuisset, quibus et Ungariae regnum et multae aliae christianorum provinciae ac respublica christiana in perniciem deveniret. Atque ita credimus melius contigisse tam sermo. regi Ferdinando quam universae christianitati, quod et sermus. rex Joannes ad nos potius, quam aliorsum, se contulerit, quodque etiam nos illi receptum in dominiis nostris non negaverimus.

Subditi autem nostri ab antiquo gaudent ea libertate, qua donati sunt dudum ab antecessoribus nostris, ut cum nos illorum opera et servitute non indigemus, possint libere ad cujuscunque principis stipendia proficisci, modo ille princeps non sit hostis vel adversarius noster. Quorum tamen petitionibus juribusque et privilegiis non obstantibus, vetuimus nos olim et statim ab initio et publicis edictis, ne ullus ex eisdem subditis nostris abiret in externa stipendia. Quae res non mediocriter turbaverat animos subditorum nostrorum, non tam praesentium, quam futurorum eventuum contemplatione et prospectu; sed nos nihil moverunt clamores et preces eorum, tantum enim apud nos valuit necessitudo et amicitia sermi. regis Ferdinandi.

Post eum vero casum, ad quem devenit sermus. rex Joannes, non multi ab hinc sunt dies, quod novis item et multo severioribus mandatis edictisque prohibuimus, ne quispiam ex nostris subditis abire praesumat ad externas provincias in militiam dedimusque officialibus

bus et arcium nostrarum praefectis negotium, ut mandata nostra diligenter in executionem deducere curarent. Quae licet sciamus contra privilegia subditorum nostrorum nos facere ipsisque subditis nostris, qui, ut alii quoque omnes ingenui homines, libertatibus frui cupiunt, dura imponere et praecipere videamur: derogavimus tamen hac vice eorum antiquo juri, ne quid fieret, quod vel in minimo offendere posset mutuum nostrum amorem cum sermo. rege Ferdinando.

Queritur quidem de nobis et ipse sermus. rex Joannes, qui istis edictis nostris reputat sibi a nobis apertam inimictiam declaratam, cum potius, si utriusque istius principis amicitiam illaesam voluissemus, non alterius commoditates sequi et complecti debeamus, haec autem edicta nostra intelligi non possint de sermo. rege Ferdinando, qui cum habeat sufficientiam gentium, non opus habet nostris subditis, sibi vero eorum usum adimere est inimicitiam atque etiam hostilitatem ostendere et exhibere, idque in sermi. regis Ferdinandi et commodum et non mediocre auxilium; non enim multum interesse, an quis famelico homini usum panis escaeque quomodolibet adimeret, vel eum ferro necaret. Sed neque his neque aliis multis induci potuimus, ut relaxaremus ipsa edicta nostra.

Hieronimus Laski, qui oraculi Lauretani visendi libertate apud nos impetrata, Gallias primum atque iterum ad imperatorem Turcorum sine scientia et voluntate nostra concesserat, atque inde rediens ex Transalpina literis suis bellum indixit sermo. regi Ferdinando et ejus subditis, quod factum ipsius, ut alia quoque, quae interim in hac sua peregrinatione gessit, non probavimus et neque placere ullo modo possunt nobis haec ipsius acta. Cum quo nos, si aliquando ad dominia nostra redierit, ita, ut meretur, agemus, et interim etiam non praetermittemus id quoque, quod justi et christiani principis officii esse cognoverimus, neque committemus, quod christiano rege dignum et dominiis tam nostris quam vicinis utile sit, a nobis desiderari.

Revocare tamen ipsum Hieronimum ab instituto et proposito suo quomodo possemus, non videmus, cum ubi gentium sit, quidve agat, nunc incertum habeamus, neque facile ad eum perferri posset, si quid interim de eo hic decerneremus; exspectabimus tamen tempus et opportunitatem, quae nec procul abesse potest.

Cum sermo. principe domino Ferdinando rege hactenus nobis optime conveniebat, uti credimus, neque ulla simultas aut odii vel minima scintilla nobis cum ejus Majestate intercessit, ut enim ab initio colere et amare coepimus ejus Mtem., ita neque cessavimus unquam et neque ulla persuasione adduci possumus, ut Majestas quoque sua aliquid tale contra nos in animo gerere debeat, quod non sit ex omni parte amicum; cum praesertim nos nihil ad hanc diem reliquimus intentatum, quo potuissemus votis et desideriis ac fraterno amori Majestatis suae regiae quam cumulatissime respondere. Si quid tamen vra. ill. Dtio. persensit vel subodoravit, quod vel modice, juste tamen laedere deberet ex parte nostra Majestatem suam, id nobis declarare pro suo erga nos amore velit. Apud nos quidem omnia sunt integra et sincera erga Mtem. illius, et si non idem nobis a sua Majestate redditur, mirum et dolendum nobis esset; sed id neque sperare neque promittere nobis possumus.

De concordiae modis et conditionibus inter istos principes vix est, quod ei significare possimus, quia enim sic se habent humana consilia in rebus humanis, quae sunt incertissimae, sicut se habent vela in mari, ut quemadmodum haec ad flatum ventorum, ita illa ad rationem eventuum extendi et accomodari solent et cum sermus. rex Ferdinandus adhuc ab initio rebus integris nullam aliam conditionem suscipere voluerit, nisi ut sibi regno Ungariae cederetur, quid nunc victor et rerum omnium potitus faciet? Iste

item

item, qui licet sit tot periculis et adversitatibus perculsus, flecti tamen adhuc non potest et videtur se potius sic in exilio aut quocunque alio discrimine mori malle, quam se regio titulo, quo semel insignitus est, exuere et vitam cum dedecore et ignominia obtinere. Sed hoc forte tempus moderabit. Neque nos interea cessabimus agere, quod coepimus, nihilque praetermittemus, quod ad perficiendam inter eosdem principes concordiam, quam etiam summe optamus, opportunum et utile cognoverimus, et dum res ad portum tendere coeperit, non negligemus significare vrae. illustrissimae Dtioni., ut sciat, quid opus sit facto. Ubi tamen vra. illma. Dtio. sciret vel excogitare posset, quo pacto quove modo res haec posset ad concordiam perduci, velit nobis ea communia facere; nihil morae fiet in cura et sollicitudine nostra, quin essemus facturi omnia, quae fuerint possibilia pro pacandis animis ipsorum principum et pro quiete Ungariae regni plus satis afflicti.

Quod vero attinet negotium occlusionis itineris in Slesiam, de quo etiam egit nobiscum idem orator vrae. Illtis., ut videlicet ipsam prohibitionem intercessionis vrae. Illtis. gratia deponeremus: causas tamen, propter quas coacti fuimus occludere et prohibere iter in Slesiam, non ignorat forte vra. Illtas., nempe ob cussionem monetae Swidnicensis, quae etiamnunc, quod indignissimum est, cum titulo serenissimi olim domini Ludovici, Ungariae et Bohemiae regis, ad instar monetae regni nostri et in collusionem subditorum nostrorum data opera cuditur in maximum regni nostri et subditorum nostrorum damnum et detrimentum; deinde etiam ac imprimis propter Lutheranismum et alias haereses, quae in eadem provincia vigere dicuntur. Quae cum sint Deo execrabiles et religioni christianae contrariae ac infestae, cavere et providere voluimus, ne — ut est hominum natura in malum prona — subditi quoque nostri hoc toxico venenentur. Quod malum quam perniciosum sit, et quam profunde alias egit radices, testes sunt multae jam nobiles provinciae.

Et proinde illustrissima Dominatio vestra boni consulere velit, quod ex rationibus istis in praesens votis et desideriis vrae. Illtis. satisfacere non possumus.

Et haec sic, ut se in veritate habent, vestrae illustrissimae Dominationi significare voluimus cupimusque, ut ipsa nos suo solito amore complectens non sinat sibi per quoscunque aliter, quam a nobis acceperit, persuadere; quae tamen omnia illius sincero erga nos amori et optimae prudentiae discutienda permittimus. Cui cum universa ejus domo et prosapia omnia fausta et felicia precamur.

Archiwum Wiedeńskie, (list orygin. z własnoręcznym podpisem).

307. Lucas de Gorca, castell. Posnaniensis, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Serenissime princeps et domine, domine colendissime. Praemissa servitiorum meorum commendatione. Orator vestrae Majestatis d. Joachimus de Malzaun ad serenissimum et clementissimum dominum regem meum in ducatum Lituaniae per Cracoviam recta proficiscens illicque me non inveniens misit huc Posnaniam ad me literas vestrae Majestatis, quibus mihi significavit, quod nonnulla negotia illam et subditos regni ejus Hungariae concernentia mihi communicare et patefacere deberet, postulatque Majestas vestra, ut in his ipsis suis et regni sui Hungariae negotiis praesentibus et futuris operam et diligentiam meam apud Majestatem serenissimi domini reges mei impendere non praetermitterem. Ego tametsi non eum locum vel auctoritatem apud ipsum serenissimum dominum regem meum

meum obtineam, ut vestrae Majestati aliquo illic usui et commoditati esse queam, praesertim cum publico provinciali magistratu mihi commisso in his partibus Majoris Poloniae, dominiis vestrae Majestatis Slesiae adjacentibus, adeo continue sim detentus et a regia sua Majestate magno etiam intervallo ita semotus, ut praeterquam ad comitia generalia regni mihi ejus Majestatem adire commode non sit integrum, tamen utcunque sit, vestra Majestas id sibi de me persuadere et polliceri dignetur, non secus, quam de aliquo sibi addictissimo suo servitore, si per quamcunque occasionem et quacunque parte intellexero studium et operam meam illi conducibilem acceptamque fieri posse, illam ubique me sedulo ac prompta voluntate esse praestiturum, ita ut mea singularis erga eandem vestram Majestatem propensio ac observantia et illius erga me favor et gratia postulare videtur, cupioque eam mihi omnino evenire opportunitatem, qua animum et desiderium meum non verbis solum, sed etiam factis et re ipsa declarare vestrae Majestati possem, qui omnem curam, cogitationem et sollicitudinem meam vel in hoc potissimum in mea hic praefectura exerceo et ita me gero, ut officium, quod reipublicae et utrique Majestati a me debetur, in procuranda pace et tranquillitate inter earum subditos sincere exhibeo, quod utique pro conservanda et propaganda illarum Serenitatum conjunctione et mutuo amore non parum momenti habere duco, et quantum in me fuerit, navabo etiam operam, ut Majestas serenissimi domini mei votis omnibus vestrae Majestatis, uti par est, satis faciat. Commendo me iterum et meam servitutem vestrae Majestati, quam dominus Deus in omni felicitate et amplitudine ex ejus animi sententia in sua gratia semper conservet. Ex Posnania, die prima Julii anno domini MDXXVIII.

Serenissimae Majestatis vestrae humilis servitor
Lucas comes et. c. Po. et capitaneus scripsit.

Na włożonej karcie dopisek następujący:
Pro serenissima regina Poloniae etc.
Commendetur serenissimo domino regi Hungariae et Bohemiae etc. negotium s. Majestatis reginalis Poloniae, ut videlicet nuntii et literae suae Majestatis in Italiam euntes et redeuntes ab officialibus suae Serenitatis nullum impedimentum et obstaculum habeant et per omnia suae Serenitatis dominia liberum habeant transitum.

308. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Nicolao Bedlenski, scolastico et vicario Crac.

Teki Górskiego, nr. 3845 (minuta).
Kod. Karnk. X, 119.
Kod. Sap. VII, 116.

Venerabilis domine frater in Christo charissime. Allatae sunt ad nos literae Majestatis regiae, quibus Majestas sua exposuit nobis liberalitatem suam, qua nunc est usa in sublevandis civibus Cracoviensibus, quorum nuper aedes ac fortunae incendio sunt penitus absumptae, dans illis scilicet non paucorum annorum tum a sui tum etiam a publici census et tributi solutione immunitatem, ut tanto alacrius aedificia nova instaurare et fabricare valeant; verum quia sunt multa loca, in quibus, cum stabant aedificia, inscripti erant census sacerdotibus et clericis quibusdam in vim reemptionis, Majestas sua hortatur nos et postulat, ut contineremus omnes ejusmodi personas ab exactione ejusmodi census sibi debiti, donec aedificia reparentur et homines afflicti ad pristinas opes et solvendi facultatem redeant. Nos cum videremus id humanitati magnopere congruere esseque aequitati cuivis consentaneum, ut miserabiles personae et quae fortuita quadam non ulla sua culpa contracta calamitate in omnibus suis rebus et fortunis jacturam fecerunt, leventur tantisper pensionibus debitis, dum ad aliquem meliorem statum rerum et rei familiaris copiam

piam perveniant, hortamur vos et volumus, ut inquiri de his ubique obligationibus faciatis repertisque locis et personis, quae census ecclesiasticos solvunt, immunitates illis promittatis, clericis autem, quibus debentur pensiones, inhibeatis, ne quempiam ex iis incendium passis de pensione debita turbare vel molestari audeant ad certum tempus, quod vos, freti aequitate, arbitratu vestro[1]) moderari curetis auctoritate nostra. Praeterea exposuit Majestas sua, questos fuisse apud se praenominatos cives Cracovienses de praeposito Sancti Spiritus, quod is contra professionem suam et fundationis jura ad inhabitandum hospitale personas non modo non egentes, verum etiam fucultatibus et nummis affluentes suscipiat, inopes repellat et prohibeat. Hunc etiam volumus ad vos advocetis et privilegia aedium illarum sive fundationem sanctae et aliorum predecessorum nostrorum memoriae[2]) poni et ostendi vobis faciatis, quibus perspectis et cognitis imperetis illi pro jure et officio nostro, ne fundatorum voluntate abutatur neve recipiendis perverso ordine personis scriptum et formam privilegii eorundem fundatorum intervertat, facturi rem officio vestro dignam et nobis plurime gratam. Optime et felices valeatis nobisque coeptum bonae valetudinis cursum, uti soletis, faveatis et Deo pro nobis supplicari faciatis. Datum in Bodzanczyn 1528.

Kod. Karnk. X, 146.

309. P. Tomicki, epus. Cracovien., vicecancellarius, Alberto Popielski, decano Varssoviensi.

Venerabilis domine frater et amice in Christo charissime. Declararunt nobis et literae et nuntius vester, quem huc ad invisendum nos misistis, quanta cura et sollicitudine eratis perturbatus, cum varii et tristes de nostra salute isthuc ad vos afferebantur nuntii. Quod quidem cum nos sciamus, vos ex summo studio et observantia, qua nos semper estis prosecutus, facere, mirifice nobis gratum erat et jucundum officium hoc vestrum illudque vicissim vobis cupimus omni gratificatione nostra cumulate referre, in praesens tamen magnas vobis agimus ea de re gratias.

Nunc nos vim morbi et aegritudinis, quae nos graviter afficiebat, quoad reliqua corporis membra plane, Dei benignitate, superavimus, nisi quod in pedibus humor adhuc per defluxum residens reluctatur ad curam nobisque parum adhuc molestiae affert in incessu. Sed et id speramus brevi in integrum rediturum nosque plenam ambulandi potestatem esse accepturos. Bene et feliciter valeatis sitisque quam diutissime incolumis et felix et nostri semper, uti soletis, studiosus et diligens. Datum in vigilia Visitationis Sanctae Mariae. Anno domini 1528.[3])

Teki Górskiego nr. 2899 (minuta)[4])

310. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Joanni Baliński, cast. Gedanensi.

Generose dne. amice noster charissime. Gratissimae nobis fuerunt literae vestrae et nuntius, quem huc ad nos in praesens misistis, hic enim solus, si alia deessent, argumentum esse

[1]) W kodeksach: nostro. — [2]) Tak w minucie i kodeksach. Zdaje się być opuszczone imię fundatora, tak iż ustęp powyższy winienby brzmieć: fundationem sanctae memoriae... et aliorum praedecessorum nostrorum. — [3]) D. 1. 7. 1528. — [4]) Na marginesie minuty notatka Górskiego: non scribatur.

esse posset magni vestri in nos studii et benivolentiae singularis. Verum et in literis amplissime declarastis, quantae curae illi fuerimus nos et valetudo nostra, cum non minus se dicat doluisse de adversa valetudine nostra praeterita, quam nunc convalescentibus et restitutis nobis congratuletur. Quod sane officium vestrum uti est magnum et observantiae plenum, nos gratificatione et benivolentia solita vobis referre plurimum cupimus. Erat profecto aegritudo haec nostra admodum prolixa et molesta, sed quae facile et in oblivionem venire et verti nobis in gaudium posset, si hoc pacto, quo coepit instaurari reliquum corpus, pedes etiam, in quibus nonnihil ex tumore vitii adhuc subsedit, consummarent De quibus, uti se res habet, et hic nuntius vester, qui nos vidit, et Kijrowski, servitor noster, quem istuc jam pridem misimus, plane verbis potest vos edocere. Cui etiam dederamus literas nostras ad vos et ut vobis nomine nostro salutem diceret, commiseramus, et ipsum id hactenus fecisse nihil dubitamus. Nos vero ipsi nunc cupimus vos felicem esse et optime incolumem durante hoc etiam studio et benevolentia, quibus nos hactenus semper fuistis prosecutus. Dat. die Visitationis S. Mariae.[1])

311. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 1072 (minuta z poprawkami Tomickiego).[2])
Kod. Karnk. X, 184.
Kod. Sap. VII, nr. 179.

Sacra regia Majestas et domine domine clementissime. Post servitutis et orationum mearum humilem commendationem. Immortales ago et habeo Majestati vrae. sermae. gratias, quod literis suis pondere regio dignis et supramodum honorificis mihi in pristinum valetudinis statum restituto dignata fuerit gratulari, quodque medicis suis, quantisper illis uti vellem, mecum hic esse liberalissime admiserit. Quam quidem regiam pietatem et gratiam Mtis. vrae. sermae. ego quoad ejus fieri poterit diligentissimis studiis, officiis, omni denique meae servitutis genere, promereri perpetuo curabo sedulamque semper dabo operam, ut Majestatis vrae. sermae. haec pietas et summa in me collata beneficia grata illi quandoque et jucunda esse possint.

Nunc ego vim morbi et aegritudinis, quae me graviter afficiebat, quoad reliquum corpus plane superavi, nisi quod in pedibus tumor adhuc per defluxum residens reluctatur ad curam mihique parum adhuc molestiae affert in incessu, sed et id spero brevi in integrum rediturum meque plenam ambulandi potestatem esse accepturum.

Scio, serenissime rex, oratores a sermo. rege Ferdinando et illri. principe domino Georgio, duce Missnensi, missos ad Majestatem vram. sermam. nunc iter facere, quid tamen mandatorum afferant, cognoscere adhuc non potui. Scripsit etenim ad me dominus castellanus Cracoviensis illos nihil voluisse, quibus de rebus veniant, innuere, quamvis de hoc occulte ab illis fuerit percunctatus. Suspicor tamen ego, regis Joannis gratia oratorem regis Ferdinandi venire, ob quem receptum et rex Ferdinandus et alii multi principes et subditi sui fremunt et non obscuris vocibus Majestatem vram. et consiliarios ejus accusant. Eis ego oratoribus, cum isthuc venerint, nihil dubito Mtem. vram. pro summa sua sapientia et consilio ita esse satisfacturam, ut neque altera parte exacerbata neque regis Ferdinandi offensa voluntate regni Majestatis vrae. et nostrum omnium res in tuto esse possint collocatae. In quo summam semper ab omnibus laudem

[1]) D. 2. 7. 1528. — [2]) Na odwrotnej stronie zanotował Tomicki: Minutae literarum de manu Maczyeowski sabato post Visitationis Mariae in Bodzanczyn collectae, meo nomine scriptae.

dem et gloriam Majestas vestra serma. est habitura. Cui ego inter ceteros felicissimos quosque successus optimam valetudinem diligentissime precor, incolumibus etiam et diutissime sanis manentibus serma. conjuge sua et liberis, quorum omnium gratiae, inprimis tamen Majestati vestrae sermae. commendatam iterum esse servitutem meam vehementer desidero. Datum etc.[1])

Teki Górskiego, nr. 3845 (minuta).
Kod. Karnk. X, 117.
Kod. Sap. VII, 114.

312. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Bonae, reginae Poloniae.

Sacra Majestas et domina domina clementissima. Jam pluribus literis me hortari et admonere dignata est Majestas vestra, ut me Cracoviam de bono Reipublicae cum ceteris consulturus conferrem. Quod quidem ego etiam non monitus sponte mea libentissime et sine aliqua cunctatione jam pridem fecissem, nisi fuissem gravi, longa et molesta aegritudine impeditus, praesertim cum illic manens faciliore negotio omnia praesens praestitissem, quam hic fecerim hactenus, ubi per literas consilia mea petentibus dominis sum coactus exponere, quod aegro et languenti mihi magnam afferebat molestiam et laborem duplicatum. Nunc vero jam erexi me tandem et in portum optimae valetudinis Dei benignitate perveni; id solum restat, ut vires et pristinum robur recipiam. Quod quam primum fuero assecutus, assequi autem brevi me posse confido, Cracoviam, Deo juvante, proficiscar, ubi dabo operam diligentem, ut omnia fiant et gerantur, quae et ad splendorem et dignitatem Mtis. domini nostri et communem Reipublicae utilitatem maxime mihi videbuntur pertinere.[2])

Ad praebendam Sandecensem institui libenter notarium cancellariae Mtis. vrae. possessionemque et reliqua, quae ad totam ejus sacerdotioli apprehensionem attinent, illi dari, confici et custodiri jussi. Alia etiam, quae mihi mandare voluerit Mtas. vra. serma., omnia sum semper libenter et sedulo facturus. Cujus gratiae me et servitutem meam iterum atque iterum commendo eamque esse felicissimam et optime incolumem cum sermo. dno. nro. et illius suavissimis liberis vehementer desidero.

Kod. Karnk. X, 203.
Kod. Wojcz. nr. 207.

313. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Ludovico Aliphio, cancellario Bonae reginae.

Magnifice domine, amice charissime ac honorande. Plurimas ago et habeo Dominationi vestrae gratias, quod literis suis per hunc cubicularium ad me datis de optima valetudine regiae et reginalis Mtis. liberorumque suorum serenissimorum me fecerit certiorem quodque et valetudinem meam illis inviserit et nova ex Italia allata mihi copiose perscripserit. Quae omnia cum amicissimum ejus prae se ferant in me officium, mihi erant pergrata et jucunda et cui officio sane ego vicissim, quantum in me erit, cupio omnibus amicitiae officiis et quacunque gratificatione respondere. Ego hinc quid scribam Dominationi vrae., plane nihil habeo, apud regem siquidem Joannem omnia ita silent, ut intelligi non possit, quid vel nunc agat, vel in posterum meditetur, nisi quod rumores circumferuntur, illum spem firmam habere, affutura sibi propediem ex Germania non paucorum militum auxilia, quibus habitis tunc demum se in Pannoniam conferre vellet, in

[1]) Wedle powyższego przypisku: d. 3. 7. 1528. — [2]) Na tym ustępie urywa się list w kodeksie Karnkowskiego.

in quo quid sperem ego vel diffidam, incertum habeo et exitus exspecto, qui nos de omnibus facile edocebunt. Regis autem Ferdinandi quae mens sit in praesentia, istic sciri potest facilius, quo paulo ante ad regiam Mtem. orator est ab ipso missus, credo enim ego Dominationi vrae. non futurum incognitum, quas res venerit cum Majestate sua tractaturus.

Ceterum quod ad me attinet, velim sibi de me ita persuadeat Dominatio vra., quod sum semper ea, qua dudum, amicitia et fraterna benevolentia Dtionem. vram. et omnia ejus negotia prosecuturus, id enim et ab initio notitiae nostrae meum erat institutum, ut illi in omnibus semper praesto essem. Valeat optime Dtio. vra. sitque semper felicissima et mei commendandi apud sermos. principes nostros crebram habeat memoriam.

314. P. Tomicki, epus. Cracov., vicecancellarius, Joanni Chojenski, archidiac. Crac., secretario regio.

Kod. Wojcz. nr. 220.

Venerabilis dne. frater in Christo charissime. Tarde nimis absolvuntur cubicularii regis per dominos, qui Cracoviae morantur. Quare si tardius isthuc redeant, quam forte optaret regia Mtas. et publica necessitas exposceret, id non fit nostra culpa, nos enim nullum eorum ultra medium diem apud nos retinemus.

Constans fama habet, Turcos cum valida manu ad regnum Ungariae adventare aut jam advenisse, sermus. autem rex Joannes fertur distribuere pecuniam aulicis suis solvere debitam in Tharnow contractam atque ita se comparare et instruere, ut cito inde abire possit. De suppetiis vero Germanicis, in quibus ille non parum spei collocabat, hactenus nihil auditur.

Nondum rediit ex Praga dnus. Petrus Opalenski, quem autem animum habeat sermus. rex Ferdinandus ad concordiam et pacem cum adversario suo ineundam et regnum Ungariae a Turcis defendendum, ex illius oratore, qui istuc ad regiam Mtem. profectus est, plene cognoscetis.

Aegritudo nostra jam nos plane dimisit sumusque quoad cetera membra Dei benignitate plene restituti, nisi quod pedes adhuc ex descensu levi humorum laborant, sed et eos tamen in pristinum statum reduci speramus idque nunc damus operam. Vos autem optamus bene et feliciter valere. Datum in Kielcze.

315. Sigismundus primus, rex Poloniae, Mauritio, epo. Varmiensi.

Kod. bibl. Zam. (list oryginalny.)

Rde. in Chro. pater sincere nobis dilecte. Melius multo fuisset abrogare dudum vel in ipso conventu Marienburgensi monetam Swidnicensem, quae in perniciem subditorum nostrorum ad dominia nostra invecta est. Officinam monetariam parare et monetam dudum cudi mandavimus et ut res ipsa citius posset exordium habere, commisimus, ut omnes pecuniae ex cissa pro usu monetae novae convertantur, quia tamen res haec magnum exigit impendium, peropportune faceret Ptas. tua, si hoc argentum, de quo nobis scribit et pro quo pecunias novas esset receptura, statim jam ab initio ad officinam ipsam sub cautione officialium nostrorum daret et mox moneta cum excussa fuerit, pro

pro ipso argento acciperet. Ita enim negotium monetae posset cito incrementum sumere; ad conventum autem futurum vestrarum Stum. non habemus, quod nunc significare debeamus. Valeat feliciter Ptas. tua. Datum Vilnae die IV. Julii 1528.

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr 243 (list orygin).

316. Paulus Decentius, praepos. Omnium SS. Crac., Joanni Dantisco.

S. P. D. Gratissimae mihi tuae literae fuerunt, jucundissime simul ac doctissime Joannes, quas ex Toledo supra Tagum ad XXIIII Februarii ad me dedisti. Ex quibus intellexi, te recte valere. Sic enim orsus es amantissimam epistulam illam, ut antiqui solebant: Si vales, gaudeo, ego quidem valeo; nihil hac salutatione charius mihi fuit. Scito igitur, mi Joannes charissime, me salva incolumique valetudine in tua urbe Dantiscana esse, cujus decor et civium (de bonis loquor) humanitas quam mihi placeat, explicare non possum. Fuisti tu quidem mihi semper charissimus ob tuam singularem virtutem morumque dulcedinem, sed certe factus es mihi multo charior, quod in ea urbe natus sis, in qua humanitatis ipsius sedes et domicilium est; sunt enim in ea homines et inprimis necesarii thui umanitate ipsa humaniores. Quod autem omissis illis Reverentiis et Dom nationibus mecum familiarissime per literas agis, est hoc mihi supra quam dici potest gratissimum. Audi vicissim, ut ego respondeo tibi bonique consulas. Disciplicuerunt enim mihi semper illius modi compellationes Dominationum, Reverentiarum, Dignitatum et Magnificentiarum idque genus epitheta. Sequemini igitur, quantum licebit, nam assequi mihi arduum et perdifficile est, purum illum syncerum fraterne dicendi modum, quo veteres illi et nonnulli doctissimi viri, qui nunc florent, uti solent. Quod vero mei vel in Hispania non sis oblitus, nescio an tibi vel Spiritui Monitori in somnis gratias agam, sed nisi tu, qui est tuus in me syncerus amor, mei intra se recordaveris, ne in somnis quidem Paulus tuus appareret tibi. Hoc tamen certe scias, studium meum honori tuo nominisque amplitudini munquam defuturum. Neque illud ex memoria excedet, quod in abitu tuo a nobis fidei et integritati meae concredidisti. Quare, mi Joannes, certo tibi persuade, te unum esse, in quo ego colendo nec mihi quidem satis facere possum. Cupio enim majorem in modum tibi in his (fortuna suffragante) servire, quae singularis tua virtus, nulli ingrata eruditio et longissima durissimaque servitus merentur. De fortunarum mearum auctione nihil aliud scias, quam quod idem dives sum, quam te praesente fuerim. Quidquid tamen meum est, id totum et proprium tuum erit. Vale, mi dilectissime Joannes frater desiderabilis. Ex civitate Gedanensi eo momento, quo literae mihi tuae redditae sunt, quibus respondeo et qua hora frater tuus B. navim ad te profecturus ascendebat Die 5 Julii 1528.

Tuus

Paulus Decentius, praepositus omnium Sanctorum Cracov., regius et illustris domini cancellarii secretarius.

Mgco. dno. Joanni Dantisco, consiliario et oratori regio, fratri carissimo et observandissimo.
Dat. Ged. 5 Julii. Red. Granatae 14 Novembr.

317. Laurentius Miedzileski, epus. Camenecensis, Mauritio Ferber, epo. Varmiensi.

Kod. b ibl. Ks. Czartor. nr. 1596 (list orygin.)

Quod tantisper, rme. dne., dne. amice et fr. non minus chare quam honorande, nullas dederim ad r. D. vram. literas, causa est, quia proxime praeterita aestate e Cracovia discesseram a curia regiae Majestatis tum ob saevientem pestem tum per eandem regiam Mtem. et rmum. d. archiepum. Gnesnen. in Lithuaniam et Samogithiam missus ad visitandas dioceses illas, praesertim vero Mednicensem, cujus episcopus Nicolaus Radzivil infinitis paene ac inauditis scandalis et publicis excessibus, postposito timore Dei et omni verecundia, licentiosissime debachabatur; sicque hoc munus visitationis implens exspectavi adventum dni. mei sermi. regis, in cujus hic adventu factus sum aeger pede sinistro tumore genu, ut ajunt, pedograe, in quem nondum convalui nec incedere possum; incipio tamen convalescere. Unde praesentium tabellarius, rmae. D. vrae. nuntius, ab eadem me lecto decumbentem officiose, amice et comiter salutans gratissimum se mihi praebuit nuntium, ut has recte perferret ad rmam. D. vram., quibus ei certa perstringerem nova.

Imprimis itaque certiorem facio r. D. v., quia hoc anno magna hic viguit caristia, signanter avenae et foeni.

Imperator Transthanaitanus, qui XXVI annis in Troki hic in Lithuania bene omnibus provisus libere sedebat libereque et non vinctus omnia negotia sibi placita exercebat, anno praeterito mox post Pascha erat magnis thesauris repletus ad ipsius ordam remissus, suis id constanter petentibus; pervenit illuc feliciter, quamquam frequens fuerit posita in campis custodia contra eum ab imperatore Precopense, nostro et illius hoste perpetuo, ubi perveniens ab omnibus suis imperator salutatus est susceptus. Tres ordas suae ditioni bello subjecit misitque huc ad regiam Mtem. centum equites ceu oratores nuntians fortunam suam secundam et promittens debellare Prekopensem, qui furtivis excursionibus longe et late regnum nostrum depopulatus est; iidem oratores nondum sunt expediti. Valachorum autem seu Moldawiensium oratores, qui pro confoederatione cum dominis Lithuanis venerant, jam sunt hinc expediti.

Turcarum Imperator omnem potentiam exercituum suorum validissime instructam converterat ad occupandam totam Pannoniam, verum cum jam fuisset in profectione in confiniis Ungariae, summis adhortatus est supplicationibus per suos sacerdotes, ut a bello praesenti anno cessaret, sed domi in pace quiesceret propter signa et prodigia in terris suis de mense Januario facta.

Etenim cum imperator Turcarum propter despoliationem bonorum unius baschae jussisset superiori Abrambassae omnes et singulos christianos Constantinopoli degentes more gladio occidere, ipsomet imperatore mare in Neathuliam transfretante, ex tunc cum primum occisi erant, terrae motus factus est magnus, sic quod Constantinopoli omnia delubra machometica attrita funditus corruerunt salvis ecclesiis christianorum, praeterea oppidum trecentarum domorum uno miliari a Constantinopoli distans a terra absumptum est, sic quod nulla domus amplius illic apparet praeter fumum. Quo miraculo attonitus Abrahymbassa retraxit pedem a profectione in Andrinopolim, quo accinctus erat ad excidendos alios christianos quoscumque illic repererit juxta edictum caesaris, quod tamen praedictis prodigiis cognitis caesar revocavit. Et haec eum ab invasione Hungariae, quam suae ditioni animo destinaverat subigere, retraxerunt, quoniam phitones et auruspices prohibuerunt eum.

Dominus

Dominus palatinus Siradiensis Jeronimus Laski, amicus meus, qui voluit esse capitaneus Marienburgensis, mirabilia peragit, nam Turcas absque consensu et scitu dni. nostri regis serenissimi contra christianos animavit et eduxit, regi Bohemiae Ferdinando inimicitias denuntiavit et alia id generis multa, propter quod nunc veniunt huc oratores regis Ferdinandi. Quid inde futurum sit, si vivemus, cernemus.

Ex Italia hodie a Baro ad sermam. reginam, dnam. nostram clementissimam, allatae sunt literae cum certis novitatibus his, quod rex christianissimus Galliarum toto regno Neapolitano potitus est excepta Neapoli, quam et exercitum caesarianum in ea inclusum in obsidione tenet. Classis tandem 20 aprilis Hispanica congrediens cum classe confoederatorum duas eorum galeas potissimas disrupit et submersit. Tertio autem die classis confoederatorum unitis et recuperatis viribus totam classem caesarianam expugnavit, omnes milites trucidavit cum capitaneis exercitus. Complures autem viros captivavit de ducibus belli; XIII autem milia peditum lanceariorum et duo milia equitum gravis armaturae vi et ferro parantes sibi iter ex Germania pro parte caesaris penetrarunt per clausuras et stricta loca ad Italiam proficiscentes usque Napuliam.

Nunc papa reddit se modo neutralem actualiter; misit rex Christianissimus ad eum oratores, ut se declararet pro confoederatoribus, sed potius fertur declinare ad partes caesarianas, quam confoederatorum.

Venetiis ingens pestis, quoniam tempore quadragesimali et forte ob famem XXI milia hominum interierunt. Praeterea morbus inauditus invasit Italiam, ita quod tantis et inauditis affligitur calamitatibus.

Bene valeat rma. D. vra. et quicquid est, me sciat totum immo deditissimum sibi esse perpetuo. Dat. Vilnae. f. quinta mensis Julii 1528.

V. rmae. D. deditissimus fr. bonus Laurentius Miedzileski,
eadem gratia epus. Camenecensis.

Rmo. in Chro. patri et dno. dno. Mauritio, Dei gratia epo. Varmiensi, amico fautorique charissimo ac honorando.

Teki Górskiego nr. 3845 (minuta).
Kod. Karnk. X, 118.[1])
Kod. Sap. VII, 115.

318. P. Tomicius, eps. Crac., vicecancellarius, Christ. Szidlovicio, castell. Crac., cancellario.

Mgce. dne. et amice honorandissime. Scripsi Mgciae. vrae. per illum a pedibus nuntium, qui nuper ad me erat missus, redditas mihi integre literas, quas et meo Pieniążek et Komorniczki, regiae Mtis. cubicularios, illa ad me ferendas tradiderat, ceterum et illud scripsi et expostulavi cum Mgcia. vra., quod subdito et venditori nostro Biskupicensi gravis injuria illata fuerit a negotiorum gestore Mgciae. vrae. Sczmieloviensi. Quod tamen attinet ad illatam homini meo injuriam, perhumaniter mihi vra. Mgcia., uti in omnibus solet, respondet, dans mihi scilicet in eo delinquente omnem vindicandi potestatem simulque concedens mihi, ut, cum ad me venerit, arbitratu meo poenas ex ipso sumam. Quod equidem vrae. Mgciae. officium aequum et liberale in me judico eique, quantum in me est, paribus vicissim officiis, dum facto opus erit, respondere curabo, verum tamen conditionem eam vindicandi non suscipio, quippe quod non licere mihi puto cum servitore Mgciae. vrae. ipsi mihi jus dicere, qui etiam, si id usus vel honestas admitteret, propterea facile recusarem, quod in meis quoque servitoribus errati obnoxiis non soleam rectam

[1]) W kod. Karnk. braknie pierwszej połowy listu tego — do słów: et prospiciatur.

rectam tenere puniendi rationem. Quare cuperem ego, ut Mgcia. vra. utriusque partis re cognita et perspecta subditum suum pro merito puniret ut et mihi de indignitate et subditi mei contumeliis satisfiat et ceteris hominibus illo divertentibus in posterum tutum sit et prospiciatur.

De eo autem, quod me Cracoviam advocat Mgcia. vra., plurimas quoque illi habeo gratias, intelligo enim hoc a summo in me amore et benevolentia illius proficisci, quod me secum una esse cuperet; hoc tamen ego, quando adhuc illi polliceri certo debeam, plane ignoro; nam tametsi sim ego jam quoad reliquas corporis partes pristinae valetudini restitutus, pedes tamen adhuc mihi impediunt profectionem, quibus nutantibus et claudicantibus nolo Mgciam. vram. convenire. Statui tamen jam progredi et pedetentim accedere et appropinquare, statui, inquam, in Kielcze migrare et illic mutato coelo experiri salubritatem alterius aëris. Inde, favente Deo, in animo est Cracoviam, deinde ad visendam Mgciam. vram. proficisci. Cui nunc, uti semper soleo, me ex animo et studia mea commendo cupioque illam cum suis suavissimis uxore et liberis esse quam diutissime sanam et incolumem ac felicem.

319. P. Tomicius, eps. Crac., vicecancellarius, Joanni Karnkowski, epo. Vladislaviensi, Christophero et Nicolao Szydloviciis.

Kod. Karnk. X, 156.
Kod. Sap. VII, 156.

Reverendissime et magnifici domini, dni. et amici honorandissimi. Heri sub noctem rediit hic nuntius ex Lithuania et attulit omnibus nobis Mtis. regiae literas, quibus illius Mtas. declarat: non placere sibi factum domini Laski, qui injussus arbitratu suo Reipublicae negotium cum Turcis egit. Suspicatur etiam et metuit Mtas. sua, ne haec illius vana cura et inanis tractatio obesse et aliquam difficultatem afferre possit petitionibus et postulatis, quae sit illic facturus orator suae Mtis. Quare mandat illius Mtas., ut dominum castellanum Lublinensem nos quam primum de hac re faciamus certoriem illique, ut jam sine omni mora ad obeundam sibi demandatam provinciam proficiscatur, demus in mandatis. Ad quem ego, Mtis. suae voluntati mature cupiens obsequi, misi extemplo meum proprium ea de re nuntium. Restat, ut Dominationes vestrae quoque illum, quod attinet ad indutias decennales vel ulteriores petendas, tempori faciant certiorem, quod, rogo, faciant cito, ne illi sit causa diutius hic terendi tempus et moram negotiis Reipublicae periculosam faciendi. Nunc quod ad me attinet, stat mihi prior sententia, quam Dominationibus vris. perscripsi, tametsi non minus mihi, quam cuivis possit, dulcis et optata haec res admodum videtur, quae diuturnitatem pacis et quietis publicae in se complectatur; serviendum tamen foederibus vicini regni habendamque prae oculis et metuendam christianorum olim principum indignationem et liberius accusationem duxi. Vestrae tamen Dominationes, collatis pluribus sententiis, constituent, quod magis ad Reipublicae utilitatem et commodum arbitrabuntur pertinere, ego enim illarum judicio et sententiae in hac re facile acquiescam. Commendo me et studium meum fraterno amori et benivolentiae Dominationum vestrarum, quas felicissimas et bene incolumes esse vehementer desidero. Datum.

Kod. Wojcz. nr. 159.

320. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Joanni de Tanczyn, castell. Lublinensi.

Mgce. dne., amice mihi honorandissime. Heri rediit ad me nuntius ille, qui literas a dno. Laski scriptas ad regiam Mtem. tulerat, attulitque mihi una cum dnis. consiliariis a Mte. sua literas, quibus id datur omnibus nobis in mandatis, ut Dtionem. vram. quam primum ad profectionem celerius faciendam hortaremur declaremusque eidem Dtioni. vrae., hanc esse Mtis. suae voluntatem, ne cunctetur amplius quidquam, sed moveat se loco protinus et feliciter discedat. De indutiis petendis praescribent tempus hi dni. consiliarii, qui Cracoviae commorantur, et de sua sententia et voluntate Dtionem. vram. non multo post facient certiorem, si hactenus non fecerunt. Cum autem ad imperatorem Turcorum Dtio. vra. perveniet, dabit operam diligentem, ne quid praeter mandatum regiae Mtis. et instructionis datae formam agat, dissimulans ea se scire et affirmans etiam Mti. regiae fuisse tum incognita, cum proficisceretur, quae dnus. Laski illic injussus communi nomine egerat et pepigerat. Displicet enim magnopere Mti. regiae ista hominis audacia et impudens curiositas, prout id ex exemplo literarum Mtis. suae, quod jam praesentibus mitto, D. vra. cognoscet. Rogo autem Mgciam. vram., ut mihi tapetum illic elegans et elaboratum idque amplum et oblongum emi faciat, ad quod illi triginta aureos per praesentem puerum mitto. Operam vero istam mea illi vicissim benevolenti et amica gratitudine curabo semper referre. Status meae valetudinis Dei benignitate jam est melior, natura enim fortificata expulit reliquas morbi ad pedes, qui tametsi propterea intumuerunt, spero tamen, quod ex hac molestia brevi ero levatus plenamque et perfectam recipiam sanitatem. Optime valeat et sit felix D. vra. ad nosque rebus ex sententia confectis redeat sospes et bene incolumis. Dat.

Teki Górskiego, nr. 1042 (minuta z poprawkami Tomickiego).[1])
Kod. Wojcz. nr. 270.
Kod. Sap. VII. fol. 492.

321. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Sacra regia Mtas. et dne., dne. clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Proficiscitur istuc ad Mtem. vram. generosus dnus. Achatius Czema, servus et praefectus Mtis. vrae. sermae., expositurus illi curas, molestias et sollicitudines suas, quas ex invidia malevolorum hominum ob praefecturam Schlochoviensem graves assidue patitur et cum summo dolore perfert. Oppugnatur enim quotidie iniquis, nefariis et inauditis illorum criminationibus, quas profecto salva dignitate et honore suo non putat se diutius perpeti et sustinere posse, nisi auctoritate Mtis. vrae. sermae. sublevetur. Quam quidem Mtem. vestram et ille veniens suppliciter exorare decrevit et ego nunc ejus causa illi supplico, adesse sibi simul et consilio et auxilio Mtas. vra. dignetur, auctoritateque sua improborum aemulorum et obtrectatorum avertat et depellat ab illo criminationes, ut is homo quietus et qui in illa provincia Mti. vrae. sermae. ob virtutem et militaris disciplinae experientiam tum denique fidem probatam est pernecessarius, possit aliquando vacuus injuria et infamiae jaculis devitatis jucundam et securam transigere vitam. Verum ille praesens Mti. vrae. coram exponet negotium suum prolixius et magis dilucide suggeretque simul rationem et modum, quo sibi Mtas. vra. ferre debeat auxilium

[1]) Tomicki zanotował na boku minuty: Lubowiczki.

lium. Ego tantummodo illius querelae summam attigi, quia non putabam fore operae pretium illo proficiscente aliud quam commendationem meis inserere literis, quam iterum repeto et Mtem. vram. sermam. enixe rogo, causam ipsius dni. Czemae ita suscipere et tractare dignetur, ut et illius meritorum et mearum precum ratio a Mte. vra. habita esse videatur.

Ceterum, serme. rex, scripseram alias ad Mtem. vram. illi cum plerisque aliis consiliariis supplicans, ut Joannem Nyempcz, civem et subditum suum Gedanensem, vinculis solvere et carcere liberare dignaretur, quem durum et acerbum nimium multo jam tempore sustinet, in quo tamen hactenus Mtas. vra. precibus meis est reluctata ,et reliquorum omnium petita silentio praeteriit. Nunc denuo ego multorum compulsus precibus et partim vincti calamitate, partim etiam miserabilis ejus uxoris et liberorum orbitate et summa egestate permotus repetendam duxi Mti. vrae. ejus hominis causam. Et equidem majoribus quam possum precibus supplico iterum Mti. vrae. sermae., revocare ad misericordiam animum dignetur et nostras omniumque ex illa provincia Mtis. vrae. consiliariorum idem petentium preces nolit aversari; jubeat jam tandem Mtas. vra. solvi hominem aspero hoc et acerbo carceris genere sitientibusque et prope jam luctu et parentis desiderio, fame denique ipsa pereuntibus liberis parentem, qui victum subministret, restituere dignetur, non liberans illum quidem prorsus et delictum relinquens ejus impunitum, sed poenam illi aliquo pacto moderans, ut ille ob facinus et temeritatem suam ita patiatur et tamen id liberis et uxori, qui culpa sunt vacui, non afferat detrimentum. Quam quidem moderationem tametsi Mtem. vram. pro summa sua sapientia sciam melius tenere, quam ceteri vel reperire vel cogitare possent, tamen quia et haec, quam dni. consiliarii illius provinciae Prussiae communi consensu proponunt, non caret aequa, convenienti et modesta ratione, mihi quoque apta et idonea videtur ad eamque Mtis. vrae. animum acclinari vehementer optarem, ut scilicet sons iste Joannes Nyempcz liberatus praesenti et aspero carcere relegetur vel deportetur in aliquem alium locum vel civitatem Mtis. vrae. a civitate Gedanensi distantem, vadibus sponsoribusque cum cautione datis de praestandis omnibus, quae sibi circumscribere Mtas. vra. dignabitur, uti est, ne in civitatem suam Gedanensem unquam revertatur, neve aliorsum ad habitandum ex loco, in quem erit deportatus, concedat, et alia id genus, quae talibus injungi et praefiniri solent. Ubi cum ille erit, liberos et uxorem a miseria et calamitate utique liberabit, Mti. tamen vrae. nihilominus vindicta et punitione alligabitur eritque obnoxius, cui mea sententia nihil interest, hac vel illo supplicio afficiatur is, quem vita semel donare Mtas. vra. dignata est, dummodo illo prorsus non careat, et certe non carebit, si ita Mtas. vra., ut ego peto, facere dignabitur. Nam si intelligerem ea commutatione supplicii aliquid auctoritati et dignitati Mtis. vrae. detrahi, certe non peterem. Nunc quia aliter sentio, impensius peto, et si impetro, Mti. vrae. sermae. sum semper immortales gratias pro ea clementia acturus.

Praetera Joannes Meller, civis Gedanensis, in senatum nuper cooptatus et ad munia civitatis obeunda praepositus, quia ob juvenilem adhuc aetatem et parvam admodum in rebus experientiam diffidit se oneribus et consultationi publicae satis facere illaque pro dignitate et magnitudine sua sustinere et administrare posse, petit a Mte. vra. immunitatem et ut ab his excusari liberque esse adhuc hoc aetatis tempore possit, pro quo eliberando etiam ego Mti. vrae. supplico. Est siquidem magnopere aequa et decens postulatio, ut ad civitatum obeunda munera et gubernacula sustinenda natu majores deligantur, minores inviti non adigantur. Quae omnia cum ex sermone dni. Czemae latius et enucleatius intelliget Mtas vra., perpendere poterit, me nihil, nisi quod est aequitate et pietate illius dignum

dignum, petere. Ceterum quod et sua clementia et auctoritate et meis precibus dignum arbitrabitur, statuet et concedet Mtas. vra. serma., nam quodcunque illi videbitur, ego sum aequissimo animo accepturus. Valeat quam optime Mtas. vra. serma. et sit semper cum liberis suis et serma. conjuge felicissima. Cui me iterum atque iterum et servitutem meam humiliter commendo.

Teki Górskiego, nr. 3263 (minuta).

322. P. Tomicius, epus. Cracovien., vicecancellarius, Joanni Choienski, archidiacono Crac., secretario regio.

Venerabilis domine, frater in Christo charissime. Proficiscitur isthuc ad regiam Mtem. generosus dnus. Achatius Czema, qui inter alia negotia, quae cum sua Mte. est acturus, supplicabit nomine multorum consiliariorum terrarum Prussiae Mti. suae, ut miser ille Joannes Nyempcz, civis Gedanensis, tandem liberetur. Huic rogamus adsitis diligenti opera et auxilio vestro. Jampridem enim hoc negotium curatur a nobis et, ut finem accipiat, operae pretium videtur multos adhiberi intercessores. Scripsimus autem et Mti. reginali,[1]) ut sua auctoritate adjuvaret preces nostras. Videbitis, quid in ea re Mti. regiae scripsimus, et ad illud vos, cum nostro nomine apud Mtem. suam agetis, accomodabitis. Agatis tamen diligenter, rogamus, et optime valeatis. Datum etc.

Teki Górskiego, nr. 1045 (minuta z poprawkami Tomickiego).[2])
Kod. Wojcz. nr. 273.
Kod. Sap. VII, f. 494 v.

323. Petrus Tomicki, episcopus Cracoviensis, Joanni Nyempcz, civi Gedanensi.

Famate domine, amice noster dilecte.

Gravissimo et molesto semper tulimus animo casum hunc vestrum, in quem vos imprudentem adversa fortuna conjecit, et dedimus equidem diligentem operam cum multis aliis regiae Majestatis consiliariis, ut vos in pristinam libertatem vindicare potuissemus, sed hactenus frustra egimus repugnante fortuna et principis animo indurato. Nunc iterum diligenter et copiose scripsimus ad suam Majestatem et serenissimam dominam reginam, et speramus omnino nos voti fieri compotes, siquidem in Lituaniam ad suam Majestatem dominus Czema amicus noster proficiscitur, qui curabit diligenter negotium ad effectum perducere nostris precibus adhibitis. Vos interim boni animi esse, et quod praeter spem et voluntatem accidit, aequo animo ad tempus ferre cupimus, namque et id in meliorem fortunam juvante Deo, uti cetera solent, commutabitur. Bene valete, melius sperate, nostrique sitis memores. Datum.

Famato domino Joanni Nyempcz, civi Gedanensi, amico nostro dilecto.

Teki Górskiego, nr. 1044 (minuta z poprawkami Tomickiego).[3])
Kod. Wojcz. nr. 272.

324. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Georgio de Baysen, palat. Marienburg. et capit. Gnevensi.

Mgce. dne, amice charissime ac honorande. Tametsi alias et coram et per literas diligenter cum regia Mte. egimus de miseri illius Joannis Nyempcz liberatione, tamen et nunc

[1]) Cfr. nr. 196. — [2]) W minucie zanotował Tomicki na boku: Gorski junior. Inną ręką dopisek: Nicolai Gorski 1528. — [3]) Tomicki zanotował na boku minuty: Lubowiczki.

nunc ad postulata Dtionis. vrae. iteravimus preces nostras magno quidem studio et oratione prolixa, adjuncta etiam petitioni nostrae Mtis. reginalis auctoritate. Neque diffidimus Mtem. suam regiam tandem precibus nostris et reliquorum, qui id contendunt, locum daturam, hac scilicet commutandi supplicii ratione inita, quam et Dtio. vra. scripsit et nos suggessimus illius Mti. — Et sane quod id fit tardius, quam nos vellemus, boni consulendum est; est siquidem princeps noster eo ingenio eaque natura praeditus, qui in suppliciis inferendis alicui difficulter adducitur, quae tamen si intulerit, non facile neque cito remittere solet.

Nos per multum tempus gravi aegritudine affecti lecto decubuimus, nunc tamen jam rursus Dei benignitate liberati, nisi quod pauxillum tumor pedum nobis est molestus, bona et optata fruimur valetudine. Qua etiam semper frui Dtionem. vram. et esse felicem vehementer optamus ejusque amicitiae et amori nos ex animo commendamus. Datum in Kyelcze, feria quarta infra octavam Visitationis.[1])

325. Joannes Zambocki, aulicus, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Kod. Wojcz. nr. 114.

Rme. dne. domine clementissime. Est mihi Cracoviae amiculus quidam, Andreas Trzecieski nomine, quem ego ob ingenium et modestiam, tum propter summum erga doctrinas studium summa benevolentia complector, cujus etiam olim apud rmam. Dtionem. vram. mentionem fecisse memini. Is ipse tametsi non aliud moliatur, quam ut studia sua, quibus immergitur, quiete continuare posset neminique, quod constat, molestus est, tamen propter peregrinationem ejus in Germaniam — quam anno superiore ad pernoscendas duntaxat linguas susceperat — nescio in quam suspicionem venit; nunc a nonnullis turbatur. Dnus. commissarius a me hic coram de eodem negotio certior factus. Rmam. D. vram. rogo humillime, dignetur eum pro summa sua et excellenti virtute et clementia, qua studiosis afficitur, authoritate et potestate sua protegere eumque et studia ejus commendata habere; nam si eum talem esse scirem, qui gratia et protectione rmae. D. vrae. esset indignus, quidvis potius agerem, quam eum eidem rmae. Dtioni. vrae. defensandum obtenderem. Commendo igitur iterum atque iterum rmae. D. vrae. — Datum.

326. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Joanni Zambocki, aulico regio.

Teki Górskiego, nr. 1011 (minuta z poprawkami Tomickiego.)
Kod. Sap. VII, 119.
Kod. Wojcz. nr. 115.

Generose domine, amice noster dilecte. Tempore, quo ignorabamus adhuc, quid de te esset, mirabamur vehementer et aegerrimo tulimus animo, te nullas ad nos, aliis plura scribentibus, dare literas, cum tamen tibi verba vel oratoria non deessent, aliis etiam ista nostratia vix suppeditant; nunc vero cum et ex aliorum sermone et ex tuis literis, te ab aula abfuisse et ob id nobis nihil scripsisse, intelleximus, ignovimus merito silentio tuo et excusationem, quam adscripsisti, admisimus non inviti. At cum jam isthuc es reversus, gratissimum nobis feceris, si etiam ad officium redieris tuum nobisque de omnibus, quae istic aguntur, saepius scripseris.

Satis perspeximus, quo animo quave diligentia commendas nobis Andream Trzecieski, eumque, si is esset, quem tu praedicas, sua simulque et tua causa prosequeremur gratia nostra

[1]) D. 8. 7. 1528.

nostra; verum nos multa diversa de moribus et ingenio illius audivimus. Est enim nobis non incerto et vario rumore perlatum, sed multorum sermonibus confirmatum, illum perverse admodum de fide nostra sentire et studia industriamque suam ad Lutheri sectam dogmataque ejus contulisse. Praeterea in corona et circulis nobilium saepius conatum esse oratione sua et pluribus argumentis fidei nostrae fundamenta subvertere, a quibus etiam plurimis et ditioribus dicitur propterea sumptibus adjutus et ad Lutherum addiscendae ejus haereticae disciplinae gratia missus. Quae res cum sit primum contra pietatem religionis nostrae, deinde etiam contra regiae Mtis. sententiam et edicta, non possumus certe non iniquo animo ea de illo audire, quin etiam, ut sit plenum et illustre officium nostrum, decrevimus: ea ita sint necne, inquiri jubere et pro merito deinde audaciam adolescentis et improbam novandarum rerum cupiditatem digna animadversione reprimere et coërcere.

De literis tuis, quia scimus te solere esse, ne non reddantur, sollicitum, ita accipe: ternas nos scil. hactenus a te habuisse., quarum unas attulit nobis Morawiecz noster, alteras pater commissarius et provincialis fratrum conventualium S. Francisci reddidit, tertias vero obtulerunt nunc fratres Gnojenses, Mtis. regiae aulici.

Aegritudo nostra jam nos plane dimisit, nisi quod pauxillum tumoris in pedibus ex defluxu restat, quod tamen brevi, uti cetera, in integrum nobis speramus Dei benignitate restituetur et hoc sane nos curamus nunc cum medicis diligenter; te etiam vellemus curare valetudinem tuam, ut ad nos salvus, salvis etiam et incolumibus sermis. principibus nostris, redire possis. Vale felix et nos studiis et officiis tuis, quod facis, prosequare.

Teki Górskiego, nr. 962 (list oryginalny). Kod. Karnk. X, 134. Kod. Sap. VII, 131.

327. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Reverendissime in Christo pater et domine mi colendissime. Quanta laetitia me afficiat restaurata valetudo vestrae Dominationis rmae., dici profecto non potest proboque vehementer ejus institutum de abdicandis curis et laboribus publicis per id omne tempus, donec pristinas vires corporis recuperet, nihilque mihi consultius videtur, quam non properare ad Cracoviam, non ob eam solam causam, sed etiam ob istas rerum humanarum confusiones, quibus consulendis quodammodo ratio deficere videtur, fierique solet, quicquid praeter rationem sinistri accidit, id totum vulgo consultoribus imputatur.

Mitto vero hunc servitorem meum partim ad invisendam vram. rmam. Dtionem., partim etiam ad deferendam sermo. Joanni regi fascem literarum, quem ejus et Franciae oratores ad me ex Gdano miserunt, in quo scribunt inclusa esse nonnulla, pro quibus, ut credo, ibi pecuniam acquirere volebant, sed non potuerunt. Si tam diu post diffidationes dni. palatini Siradiensis insanissimas et non nobis solum, sed ipsi etiam regi Joanni perniciosas, nihil apparet suppetiarum a Turco et Germania, ut audio, conquievit, actum omnino de ipso rege Joanne videtur.

Cum haec scriberem, accurrit ad me cubicularius regius cum literis consulentibus dnos. consiliarios super gestis dni. palatini Siradiensis et sermo. rege Joanne. De dno. palatino Siradiensi facile mihi videtur consilium, nam et causae sunt justissimae animadversionis et ipsemet docet, quid Majestas sua illi facere deberet, cum se alterius regis consiliarium nominat. Sed vereor, quod Majestas sua more suo nihil faciet, itaque videretur hoc

hoc saltem consultum, ut illi Mtas. sua actionem secum in conventu generali indiceret; illic enim Mtas. sua audiret, quid quisque pro dignitate Mtis. suae et Reipublicae diceret. Interim vero responderi posset honestissime sermo. regi Ferdinando; quod Mtas. sua facinus hoc punire decrevit modo debito, nam et ille cum his, quos Viennae capite plecti fecit, judicialiter processit. Interim etiam tota haec alea in hanc vel in illam partem vertetur. De sermo. rege Joanne consulere, quid potissimum opus facto sit, difficilius mihi videtur consilium, tamen et in hac re inveniri poterunt justae responsiones et media, si locus rationi dabitur.

Misit mihi dnus. Choienski carmina quaedam sparsa in aula adversus epigramma meum de cymba in ignominiam D. vestrae reverendissimae, et scribit mihi, se olfecisse, nata illa in aula dni. archiepiscopi. Facilis est recantatio, quod et materia sit multo amplissima retaliandi et carmina ipsa satis inepta. Haec mea cura esto; si quid postea querentur, erit honesta excusatio provocatis.[1]) Commendo me bonae gratiae vestrae reverendissimae Dominationis, quam dominus Deus in dies firmiorem vegetioremque conservet. Datum in Ploczko, die nona Julii. Anno M. D. XXVIII.[2])

328. P. Tomicki, epus. vicecancellarius,

Teki Górskiego, nr. 963[3]) (minuta).

. . . . . [4])

Reverendissime in Christo pater et dne. amice charissime et honorande. Amor et amicitia D. vestrae rmae. fuerunt quidem illa mihi semper ipsa per se chara et jucunda, sed tamen ea diligentia, quam in scribendo et me salutando D. vestra adhibet et praestat, auget mihi et adjicit ad cumulum benevolentiam et gratitudinen singularem. Cui equidem ego si par esse in referenda gratia non potero, dabo tamen operam diligentem, ut sim quam proximus: custodio hoc primum et quoad ejus fieri possit praestito, ne gratitudo mea et paterna benevolentia unquam in me desiderari possit.

Novarum rerum nihil in praesentia hic habetur. Regis Joannis enim res et consilia omnia quiescunt et silent. Rumor etiam, qui erat de copiis ex Germania sibi affuturis concitatus, subsedit et prope jam evanuit. Restat solummodo ea spes, quam in Turcorum subsidiis jam pridem positam eum habere scimus, de qua ego, nisi exitus videro, judicare propemodum nihil audeo. De rege autem Ferdinando Dtio. vestra plura istic cognoscere potest, quam ego hinc scribere possem. Est quidem ab ipso nuper istuc orator ad regiam Mtem. missus, qui omnia proculdubio, quae rex suus agit vel molitur, explanabit Mti. regiae, et D. vestra eorum omnium et auditor erit et particeps.

Aegritudo illa mea diuturna et gravis jam me prorsus deseruit, egoque sum quoad cetera membra plane restitutus, nisi quod pedes adhuc ex descensu leni humorum laborant. Sed et eos tamen brevi in pristinum suum statum reduci spero, ad quae nunc do operam. Dtionem. autem vestram cupio felicem esse et optime incolumem.

Datum in Kyelcze, sabato ante Margarethae.[5])

[1]) Epigram Krzyckiego na herb Tomickiego Łodzia, jako też inne wiersze odnoszące się do wspomnianego wyżej sporu poetyckiego zob. w Andreae Cricii carmina, edidit Casimirus Morawski, Crac. 1888 str. 155—159. — [2]) W kod. Karnk. mylna data: nona Junii; w kod. Sap. nie masz wcale daty. — [3]) Na minucie napisał Górski: non scribatur, dlatego listu tego nie mają kodeksy. — [4]) W minucie nie wymieniona osoba, do której list pisany. Z intytulacyi widać, że pisany był do biskupa, a z treści listu, że biskup ten bawił wówczas przy królu w Wilnie. — [5]) D. 11. 7. 1528. Datę tę zapisał też Górski na brzegu minuty.

Teki Górskiego, nr. 2891 (minuta z poprawkami Tomickiego.) [1])

329. P. Tomicki, epus. vicecancellarius, Christ. Szydłowiecki, cast. Crac., cancellario.

Mgce. dne., dne. et amice honorandissime. Heri veniens huc ad me Gyersdorff reddidit mihi Mgciae. vestrae literas novarum rerum copiosas. Quod quia magni et amantissimi est officii, magnopere mihi fuit gratum et jucundum, ob idque Mgciae. vrae. plurimas ago et habeo gratias. Quod vero me hortatur et persuadet mihi Mgcia. vra., ut Cracoviam venirem, est quidem hoc mihi acceptissimum, quod me secum esse cupiat, et facerem id certo non invitus, verum pedes mei tumentes me cogunt adhuc in solitudine vivere. Nam si claudus istuc me conferrem, quo usu Mgciae. vrae esse possem, non intelligo, cum et domi me continere necesse esset, et eos, qui me convenirent, non sine molestia ambulandi excipere et deducere oporteret. Quare videtur mihi commodius esse, ut me a celebritate et frequentia hominum aliquantisper adhuc abstineam. Nam cum pedes remittent tumorem et reducentur ad pristinam firmitatem, continuo me hinc recipiam et ad Mgciam. vram. advolabo. Illa modo sit interim felicissima et valeat optime cum suis omnibus incolumissime et me diligat. Datum etc. Kielcziis.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny). [2])

330. Christoph. Szydłowiecki, castell. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Sacra et serenissima Majestas et domine domine clementissime.

Non possum nunc apertius de his, de quibus scribendum foret, scribere, fuerunt enim ea, quae nunc hic aguntur, prius per me serenissimo et clementissimo domino meo, regi Poloniae, significanda, ut inde tanquam a fonte acciperent fundamentum et auctoritatem. Haec tamen pauca in hac causa duxi perstringenda vestrae sacrae Majestati, quod mens ac voluntas adversarii vestrae Majestatis eo videtur conversa, ut sit optima spes de concordia, quam ego vestrae sacrae Majestati licet vix audeo suadere ineundam, rebus ejus Deo propitio tam prospere fluentibus, sed tamen humillime supplico et pro mea erga Majestatem vestram fide ac devotione et ingenii parvitate etiam consulo, ut Majestas vestra deposito illo invicto et vincere solito animo suo regio non dedignetur eam ipsam concordiam non aspernare ob causas utique multas, quas longum esset commemorare. Sunt pro hac re nunc apud me reverendissimi domini frater Franciscus, comes de Frangepanibus, archiepiscopus Colocensis praefatus, et Stephanus Brodericus, episcopus Sirmiensis, alias cancellarius serenissimi domini Ludovici regis, divae memoriae, hic istius concordiae autores, quae quidem cum ita se habeant, consultissimum videtur, et ego pacis et tranquillitatis percupidus oro et obsecro, ut sacrosancta Majestas vestra pro quiete illius miseri regni Hungariae in tantum afflicti et desolati dignetur interim, dum ista tractantur, ab armis cessare, ne major in dies sanguinis christiani effusio et major regni desolatio sequeretur.

Commendo rursus mea servitia Sanctitati vestrae, quam optime et felicissime valere desidero. Datum ut in literis.

Haec

[1]) Na brzegu minuty zanotował Górski: non scribatur, dlatego listu tego nie mają kodeksy. — [2]) Jestto właściwie tylko dodatek do listu, który się nie przechował. Na dokumencie tym jest uwaga: ad 11. Julii 1528.

Haec, quae scribo de concordia, cupio et supplico apud Majestatem vestram esse secretissima et cum nemine communicare, nisi cum solo domino Tridentino, et hanc scedam, ubi per vestram Majestatem perlecta fuerit, minutim lacerare.[1])
Ejusdem vestrae sacratissimae Majestatis humilis servitor
Cristoforus de S. castellanus et c. Cracoviensis ac r. P. cancellarius manu sua.

331. Joannes de Lasko, archiepiscopus Gnesnensis, Sigismundo primo, regi Poloniae.[2])

Teki Górskiego, nr. 965 (odpis współczesny). Kod. Karnk. X, 168. Kod. Sap. VII, 197.

Serenissime princeps et domine, domine gratiosissime. Post commendationem servitiorum meorum. Redditae mihi fuerunt heri literae Mtis. vrae., quibus significat, sermum. principem et dominum, dominum Ferdinandum, Ungariae etc. regem, anno superiore ac nunc iterum literis suis ad Mtem. vestram scripsisse adversus magnificum dominum Hieronimum Laski, palatinum Siradiensem, nepotem meum, quod ille ex Gallia nuper rediens oratorem se Mtis. vestrae nominaverit eoque nomine salvus transierit per dominia suae Mtis., alioqui haudquaquam transiturus, nisi sic fecisset, quodque gentes infidelium contra illius Mtem. non concitaverit solum, verum etiam ipse belli dux bellum indixerit illius Mti. idque literis propriis, quarum exemplum Mtas. vestra mihi transmittere est dignata relinquens interim mihi perpendendum: num Majestati vrae. liceat aut quam liceat ad talia connivere. Seremissime rex, hic non est animus nec tempus fortassis nunc fuerit vel excusandi nepotem meum vel causam ipsius tuendi, quandoquidem et ille, me inconsulto, nunc agit, quicquid agit et extra causam dicta videri possent omnia, praesertim cum et ille consilii sui rationem sit, opinor, redditurus Mti. vrae., postquam redierit; tamen, si illum recte novi, quem sane nosse debeo, nimirum quem ab infantia alendum fovendumque susceperam, non arbitror illum quicquam apud Turcam egisse sub nomine Mtis. vrae., sed quicquid egit, id suo ipsius nomine egisse potius in gratiam Mtis. vestrae, simul ut et Mti. vrae. domino suo per eam occasionem gratificaretur et consuleret, quantum in illo tunc erat, tranquillitati regni Mtis. vrae., quo sane nomine haud scio, veniane dignior esse debeat an vero indignatione, ne dicam gratia Mtis. vrae. Neque item adduci possum, ut credam, illum oratorem se Mtis. vrae. sic videlicet nominasse, quemadmodum serenissimus rex Ferdinandus tum nominis forte, tum causae odio passus est sibi facile persuaderi, quin potius res ipsa indicat eum sola celeritate et industria dominia illius Mtis. transiisse, quibus certe artibus haudquaquam illum uti oportuisset, si per nomen oratorium Mtis. vrae. iter illi tam fuisset liberum, quam videri vult sermus. dominus rex Ferdinandus; neque etiam illius Mtas. disposuisset eos, quibus id negotii datum erat, ut nepotem meum quomodolibet potuissent euntem ac redeuntem detinerent, quod manifestum est. Sicque, serme. rex, ego utpote qui nondum scio, an haec jam certa apud se habeat Mtas. vra. de nepote meo, quae sermus. dominus Ferdinandus rex, tum forte causae, quam suscepit, tum etiam nominis sui odio persuasus, Mti. vrae. significavit, ita facile judicare non possum, sitne ad hoc Mti. vrae. connivendum necne, quandoquidem haud scio, an aequum sit ad quantumvis principis magni delationem, sic praesertim infensam, reum quempiam causa non aliunde cognita peragere. Quod vero ad bellum regiae illi Majestati indictum concitatosque

[1]) Zdanie to napisał Szydłowiecki własnoręcznie a na stronie adresowej dopisał: hanc scedam dignetur sacra Majestas vestra sola perlegere. — [2]) W Tekach uwaga Górskiego: Regi Jo. de Lasko, archiep. Gnesn., in defensionem sui nepotis, palat. Sirad., dans consilia. — Confusum chaos.

tosque Turcas et alias id genus gentes attinet, ego nunquam probavi nec probare hactenus possum hoc illius consilium, quod sane, me autore, nunquam fuisset aggressus, nisi forte aliquod inde commodum et Mti. vrae. et dominiis Mtis. vestrae esset proventurum, sed arbitror illum nescivisse, quod ea res tantum esset negotii vrae. Mti. exhibitura, quantum literae vrae. Mtis. prae se ferunt, quam nepos meus non ita multum talibus moveri debuisse forte existimavit utpote neutralem, alioquin nunquam id ausurus aggredi meo judicio, quin et nunc quoque, si literis saltem illum Mtas. vestra admonere dignaretur, non dubito, quin sit omnia — si modo possit — facturus, quaecunque illi Mtas. vra. juberet, quamquam ille haud dubie novit haec — quae in rem Mtis. vrae. impertravit — utiliora tum fuisse futura cum vrae. Mti., tum etiam dominiis ejusdem. Faceret autem Mtas. vra. rem se, hoc est clemente ac vere christiano principe, dignam, si illum ad se literis suis revocaret, siquidem ea res sic offendit Mtem. vram., nisi forte aliud sit sensura Mtas. vra., visis ac diligenter perpensis persuasionibus meis praesentibus introclusis malitque illum potius, quam quemcunque alium rursus ad Turcam mittere ad effectum promovendi apud illum imperatorem medii per me his introclusis literis propositi vrae. Mti. Quae omnia Mtas. vestra regia sua prudentia moderari et expendere dignabitur. Me tamen, utcunque res habitura sit, nunquam certe hujus mei consilii poenitebit quodque sic responderim Mti. vrae., quam utinam sanam ac elicem cito ad nos reducem videamus. Datum in Skwyrniewicze die undecima mensis Julii. Anno domini M. D. XXVIII.[1])

Sacra Majestas. Ad hoc, ut omni ex parte sibi suisque dominiis et reipublicae christianae prospiceret pro sermis. regibus et regno Ungariae consulendo, scit Mtas. vra. sciendumque esset, quo in statu aut in spe constituantur connubiorum consilia Piotrkoviae in consiliis secretioribus proposita.

Sciendum etiam esset, an Summus Pontifex, Franciae, Angliae etc. reges potentatusque terrarum Latinarum et praesertim sermus. rex Ferdinandus et Imperium seu saltem principes Germaniae aliis factionibus et conflictationibus, quibus plus voluptuose quam necessitate domi forisque occupantur, relicto[1]) zelo reipublicae christianae sic regno Ungariae dominari proponat, ut contra Turcarum imperatorem, non contra Mtem. vram. in Polonia per Prussianam et in Lithuania per Moscovitanam occasiones bella non solum inferant, sed etiam constanter sustineant.

Item sciendum, ut Pontifice caesareque nostro, ipso quoque Ferdinando et principibus Germaniae pro agendo bello contra Turcas et defendendo regno Ungariae in unanimitate constantibus, an Franciae, Angliae reges et potentatus Latini cessabunt ab inferendis eis martialibus impedimentis, ut hoc facerent etiam zelo ipso reipublicae christianae.

Item sciendum: esto quod omnia procederet ad votum et pro voto Ferdinandi: an Turcae victi delebuntur perpetuo, qui receptacula amplissima habent, videlicet Siriam et Scitiam, in quibus eos Ferdinandus aggredi haud posset.

Item sciendum: quod sciri non potest, sed per nos Polonos perpendi debeat, an Turcae ab Ungaria et Graecia pulsi animadvertere non poterint in auxiliatores Ferdinandi, quod per Scitiam facere commode poterunt, sicuti Bathi faciebat, et istud nobis Polonis plus, quam aliis, est non solum metuendum, sed tempestive prospiciendum.

Item sciendum: Mte. vra. se contra Turcam declarante pro parte Ferdinandi regis, quibus conditionibus realibus non fictis Majestas vra. regnum et dominia ejus tutabitur a Turcis, Tartaris

[1]) Przy następującym memoryale dopisał Górski w kod. Karnk.: Adsis Spiritus alme, da hoc confusum chaos intelligere. — [2]) W Tekach: relicto, w kodeksach poprawniej: relictis.

Tartaris, Valachis, Germanis et aliis hostibus ac a Moscis, quos sicut Tartaros et Valachos Turcae contra Mtem. vestram concitare possunt, quod victi aut saltem irritati necessario facerent.

Item sciendum esset, in quibus spe et certitudine amicitiae et conjunctionis rex Ferdinandus Mtem. vram. firmaverit, si videlicet affinitati novae, per eum propositae, confidendum sit, plus quam illi, quae ex illma. virgine reginula, sermae. olim Barbarae reginae filia, speraretur, cujus per Bavariam ob respectum Ferdinandi voluimus inire modos, in quibus includi potuit per sermi. regis Joannis nomen defensio regni Ungariae et regni et dominiorum Mtis. vrae.

Item sciendum non ultimo putarem, si Mtas. vra. deserto eo, qui filiationem suam Mti. vestrae promittit, ac si Turcarum simpliciter non sub velamine quopiam postponat qualemcunque favorem sibique praeferre Ferdinandum, quomodo Majestas vra. se et sua a Turcis et Tartaris defensura erit.

Postremo sciendum, nedum censeam sed consulam, immo timeam, ne rex Ferdinandus cum assistentibus sibi fratre, caesare, principibusque et Imperio Germaniae sic tueri volent Mtem. vram., sicut olim Imperium Romanum, reges quoque christiani fratres nostros dominos Graeciae sunt tutati, quos tamen Graecos privatam defensionem non facientes, sed christianorum principum assistentiae et defensioni confidentes absorbuit potentia Turci.

Attendendum tum putarem, quantum obfuit felicitati ac saluti sermis. olim Vladislao fratri et Ladislao,[1]) nepoti Mtis. vrae., regni Ungariae regibus, quorum alter scilicet Wladislaus Sedis apostolicae auxiliis ac adhortationibus per brevia et legatos de latere promissis innixus, regnum Ungariae per Turcas truncatum filio reliquit, alter vero scilicet filius assistentiis patrui incertis et auxiliis affinis Ferdinandi, suis quoque viribus temere confidens infeliciter periit et regnum perdidit, uterque autem propter dignitatis regiae nomen conditiones pacis Turcarum respuit et alienae non suae sorti ac incertitudini desperate se commisit.

Circa quod sicut pro eisdem sermis. olim Wladislao et Ludovico regibus Ungariae attendendum putavi, attendendum eadem ratione erit, quomodo status periit Rhodianus; revera sic, sicuti perierunt ipsi sermi. dni. Ungariae reges. Namque Magister illius loci, Sedis apostolicae et christianorum principum confidens auxiliis, nullum cum Turco facere voluit pacis conditiones et periit statumque perdidit et forsan pro amisso illo statu alium a principibus christianis non est consecutus, sed misere vivit; sin autem similem aut meliorem statum est consecutus, penitus me latet.

Majestas vra. et officium ejus scit, aut si alii consiliarii praeter me sciant haec, quae ego nesciam et quae scienda putarem, si recte votis ac jussioni Mtis. consulendum foret.

Itaque cum nesciam haec, quae scienda existimavi, Mtas. vestra dignabitur boni consulere et in bonam partem accipere, quicquid parendo mandatis Mtis. vestrae in consilii et deliberationis meae descriptione scribam.

Optimum, nedum bonum esset consilium, adhibere assistentias et auxilia Ferdinandi regis defensioni dominiorum Mtis. vestrae, quam defensionem Mtas. vestra, hoc regnum Poloniae et dominium Lithuaniae nedum facit, sed etiam sustinet non solum hoc felicis regni Majestatis vestrae tempore, sed etiam ab aevo ejus praedecessores reges Poloniae et Magni duces Lithuaniae sustinere consueverunt.

Praedecessoribus Majestatis vestrae si quae auxilia a principibus christianis et specialiter a Germaniae dominis erant unquam praestita, mihi omnino non constat, sed tanquam recentia

[1]) Widoczna pomyłka zam. Ludovico.

recentia habentur testimonia, quantum nocuere Almani ubique per astutias Sigismundi imperatoris, in Prussia autem per inimicitias principum et totius Imperii, sacra quoque Majestas vestra in bello Prutenico experta suo felici tempore, quantum faveat felicitati Mtis. vestrae et regni ejus integritati conservandae natio Germanica, quid quoque in Moscovia nectant, quia oratores caesarei et Ferdinandi seorsum absque Lithuanis semper consultant cum illis, exinde ego non credo fautorem indubitatum Majestati vrae. Ferdinandum futurum.

Ideo ego censebo non damnandum dominum Hieronimum, nepotem meum, pro ipsius hac tempestate claris operibus, quia observavit et observat sicut verus et fidelis senator Mtis. vrae. et dominiorum ejus, felicitatem futuram voluitque et vellet in persona serenissimi Joannis regis dominia Mtis. vrae. consistere in tutiori tranquillitate, quam assistentiae ac defensioni incertae ea committere, sicuti olim principes Graeci ac divi olim praedicti nostri reges Ungariae, Magister et milites Rhodiani se committebant.

Ferendum est, serenissime domine, in partem singularis felicitatis Mtis. vrae., quod per ejusdem nepotis mei ingenia fuerit conservatum regnum Majestatis vestrae hac aestate ab infestationibus Turcicis, Tartaricis et Valachicis, quae futura erant, prout sum memor, modernum Valachiae palatinum per dominum capitaneum Camenecensem Mti. vestrae in avisamentum significasse, quia Turcae facturi erant hac aestate incursionem quandam maximam non absque Tartaris et ipsis Valachis, qui jussioni Turcicae parent, in dominia Mtis. vrae.

Ferendum tum censebo ejus istas operas saltem in corde Mtis. vrae. et consiliariorum ejus, saltem eorum scilicet pro felicitate Mtis. vrae. recte sentientium, quia per sermi. Joannis regis constantem licet insufficientem defensionem omnia, quae supra scienda scripsi, sub tempore deduci poterint ad bonam frugem Majestatis vestrae.

Distinetur tamen forsan Majestas vra., ut non videat, quid sit amplexura vel cui parti plus adhaesura, tribus partibus invicem inimice seu hostiliter inter se agentibus pro uno tempore pro uno quoque regno et Mtis. vrae. qualibet earum amicitiam potius investigantibus quam exigentibus, quod dictum investigationis ex parte Turcarum dici recte potest, quia superbus et imperiosus dominator aperte non requirit, sed per nepotem meum innuit hoc, quod libenter videret, quod aliae partes nedum exigant sed tanquam obsecrantur.

Ideo ego suaderem nequaquam alicui parti aperte adhaerendum propter futuros eventus, qui ex suprascriptis ac ex his, quae infra scribo, colligi possunt, sed potius medium aliquod per Mtem. vram. cogitandum et propemodum partibus omnibus tribus, ut Majestas vra. boni christiani principis officium, quod Ferdinandus requirit, exsequi videatur ac ut eadem Mtas. vra. se suaque dominia nunc et in futurum tutius conservaret, sicut est et apud omnes homines habetur, nedum prudens, sed prudentissima pro sua felicitate faceret, sicut domini Dei gratia adjuta arbitraretur et sciret; charitas enim incipit a se ipso.

Quod quidem invenire medium in qualibet negotiatione dificillimum fuerit, praesertim ut inter partes dissidentes unus, cujus tanquam etiam interesset, absque sua jactura et partium ingratudine istud faceret.

Ego revera non ausim hanc mihi arrogare felicitatem aut praesumptionem, ut dispositive deliberationes meas medii illius scriberem, sed potius meas dicendo seu scribendo Mti. vestrae et aliis prudentioribus deferrem, prout defero, sed ne videar in negotiis istis maximis, quae Mtas. vra. dignata est ad me et suos consiliarios alios deferre, nihil fecisse, scribam id, quod libens viderem.

Majestas vestra observando amicitiam partium ipsarum hic tanquam non Turco aut Joanni, regi, gratificando, sed sermo. regi Ferdinando, non relaxaret prohibitionem Pyotrkowiae promulgatam

promulgatam ad subditos: ut non irent ad servitium Joannis regis contra Ferdinandum, per quam non relaxationem gratificaretur Ferdinando, ad quem mitteret aut scriberet vel ipsius oratori aut literis, si sunt apud Mtem. vram., responderet, quia sicut in conventione generali responsum erat, sic vra. Mtas. neutri partium auxilia praestitura esset, sed pro boni christiani principis officio, quod officium Ferdinandus proponit, Mtas. vra. specialiter suaderet, id quod infra scribo, sive per dominum Petrum Opaleński, si nondum habuit expeditionem a rege Ferdinando, quem credo retentum illic esse usque ad reditum a Mte. vra. oratoris sui, sive per literas, ut suprascripsi, istud faceret.

Suadendum foret regi Ferdinando, ut in spem compositionis seu concordiae per Mtem. vram. aut per mutuos oratores faciendam rex Ferdinandus hac aestate non confligat cum Turcis, sed quod castra conservet, muniat gentibus et rebus fulciat; ad futuram quoque aestatem gentes et vires conservare ac cumulare curaret, supersederet etiam ab oppugnatione locorum, si quae sunt aut restant inexpugnata, Joanni regi subjecta, immo sicut Joannes rex necesse haberet, concederet loca Joanni regi, in quibus se contineret suspensis actionibus bellicis.

Suadendum etiam esset regi Ferdinando, ut ad Turcam mittat cum eo inter alia effectu: quia cum intellexit Turcam ipsum expeditionem facturum in Ungariam in favorem Joannis regis, istum favorem rex Ferdinandus ab imperatore Turcarum vellet assequi et pro eo assequendo per oratores pace constituta consulere, ideoque peteret indutias concedi et expeditionem Turcae suspendere; ut solus ipse Ferdinandus in eis tantummodo locis consisteret regni Ungariae, ad quae est per regnicolas partis suae introductus, sed cum imperator in favorem Joannis regis expeditionem facturus esset, aut faciat, vellet Ferdinandus pace inter se et imperatorem constituta etiam de Joannis regis provisione interim habenda consulere, quando enim pax stabilis inter imperatorem et Ferdinandum tractabitur, tunc etiam stabilius provisio Joanni regi constituetur. Haec, quoad partem Ferdinandi sint dicta, cujus Mti. vestra Mtas. insuper immo simul tunc suaderet, ut interim cum fratre caesare de pace nedum in Latinis terris, sed etiam cum regibus Franciae et Angliae ac in ipso imperio seu in Germania omnimodo consultum esset zelo reipublicae christianae. Sic rex Ferdinandus et caesar, pace sub nomine reipublicae christianae constituta, facilius se et regnum Ungariae contra Turcas et Joannem regem, si secum non esset concordatum, defenderent his mediis. Sic conservaret Majestas vra. sibi et dominiis suis Ferdinandi amicitiam, cui se offerret, quia si suae et caesareae Majestatibus gratum esset, vestra Mtas. se offerret ad mittendum sub una Ferdinandi sententia ad eandem caesaream Mtem., Summum pontificem, Franciae et Angliae reges ac ad potentatus terrarum Latinarum.

Item: offerre potest Mtas. vra., se missurum ad Turcum pro suspendenda ejus belli prosecutione etiam in spem concordiae inter eum ac inter principes christianos aut saltem occasione regni Ungariae inter regem Ferdinandum faciendae, idque Mtas. vra. per se faceret tanquam motu proprio, sed cum assensu Ferdinandi et ob honorem christianorum principum, quod quidem non aeque honeste fieri posset et cum illorum honestate, si illorum oratores oratori Mtis. vrae. adessent, sed Mtas. vra. per se eis scientibus istud, ut dixi, faceret.

Gratificando autem Joanni regi Mtas. vra., per secretos praecipuos consiliarios secrete illi regi significaret, quia licet palam non licet Mti. vrae. relaxationem facere, tamen secrete fierit ista relaxatio, sic ut magistri comitivarum sive ductores gentium promittant servituris Joanni regi Polonis pro indemnitate, sic Joannes rex propriis pecuniis, si eas habet

gentes,

gentes haberet a Mte. vra. Qui Joannes rex una cum rothmagistris seu ductoribus gentium indemnitatem istam gentibus inscriberet, ipsi quoque rothmagistri comitivis et conniventia occulta Mtis. vrae. et praedictorum praecipuorum secretorum consiliariorum inscriberent, publica vero prohibitio, si Ferdinandini vellent, fieret etiam in praesentia oratoris Ferdinandi, redituri ad Ferdinandum.

Insuper Joanni regi diceretur, quia cum coronam illam sacram materialem servare non potuit aut neglexit et sibi constanter fideles Ungaros non invenit, quod notum cunctis est, credere non debeat promissionibus eorum occultis, quia satis superque praescripserunt sua in ejus Mtem. infidelitate, adeo ut etiam illis nunquam confisurus esset et absque tyrannide nequaquam apud eos tuto regnaturus, prout etiam absque perpetua ignominia cum christianorum principum gratia de manibus Turci regnando non posset vitam suam in illo regno bene conservare.

Ideo Majestas vra. tam ad Turcum quam ad Ferdinandum operas suas facit et factura est, ut eorum expeditiones suspendantur ob spem concordiae, utque ipse Joannes rex ex parte Ferdinandi et pace et locis, ut dixi, provisus esset.

Imperatoris autem Turcarum ut Mtas. vestra amicitiam conservaret, ut apud illum videretur plus illi, quam Ferdinando deferre, utque imperator intelligat, Mtem. vram. tanquam illi, non Ferdinando, sed Joanni, regi, faventem, sic faciendum existimarem, aut sicut aliter Mti. vestrae videbitur faciendum.

Mea enim esset haec deliberatio: quoniam forsan dominus Hieronimus, nepos meus, credit, quodsi minimum auxilium Mtas. vestra Joanni regi contra Ferdinandum faceret, vellet imperator Turcarum cum Mta. vra. pacem constituere integram etc., sed quia tale auxilium non solum Joanni regi, sed tanquam Turco in persona Joannis regis esset faciendum, utrumque illud vestra Mte. christiano principe indignum:

Ideo ad propositum imperatoris Turcarum, ut non esset contra Mtem. vram. incensus, cogitabam sic faciendum, meo judicio nedum licite, sed etiam honeste, pro parte regis Joannis quoque non inutile, quia habet Mtas. vra. apud eundem caesarem oratorem suum, et forsan nondum de regno egressus est, qui sive egressus est, sive non, per eundem oratorem Mtas. vestra imperatori ageret gratias, quia regnum Ungariae favere vellet affini Mtis. vrae. Joanni regi, cui Joanni etiam Mtas. vra. talia facit auxilia, qualia potest, imprimis enim, licet Mtas. vra. non potest personaliter sibi adesse propter negotia dominiorum suorum maxima, quae habet in locis a regno Poloniae remotissimis, tamen mandavit eum in regno Poloniae conservari. Insuper quoniam Mtas. vestra contra alias partes dominiorum suorum impendia faciendo, licet Joanni regi non impendat, tamen per istam in regno Poloniae securam mansionem sibi auxiliatur, unde ipse Joannes rex gentes habere potest de regno Poloniae sibi fideliores, quam Ungaros.

Per eundem etiam oratorem Mtas. vra. imperatori Turcarum innotesceret, quia cum imperator faveat hoc regnum Joanni regi, ideo Mtas. vra. cooperatur apud Ferdinandum, quod et ipse non faceret impedimentum in ea re, sed suspensum esset bellum inter eos, prout Mtas. vra credit suspendendum, ut sic rex Joannes per favorem imperatoris absque effusione sanguinis humani regnaret in illo regno, quam sanguinis humani effusionem vitando et imprimis ne ex imperatore amico vra. Mtas. faceret sibi inimicum ipsum imperatorem, noluit Mtas. vra. se intromittere ad assecutionem regni Ungariae post mortem nepotis sui, quia dubitavit, an sibi illud imperator favere voluisset, sed cum favere dignatur Joanni regi, vra. Mtas. libenter istud videt et ob eam rem cooperatur suspendere conatus Ferdinandi contra regem Joannem.

Serenissime

Serenissime et gratiosissime domine. Haec, quae ego scripsi, oro, ut Mtas. vra. dignetur non solum perpendere, sed cum aliorum audiet sententias, mearum etiam istarum meditationum rationem habere dignetur, siquidem ista tempestive dicantur; nam si negligenter sunt proposita aut consulta, non Mtis. vrae. neque consiliariorum Mtis. vrae., mea et aliorum culpa erit, sed Ferdinandi regis, qui plus imperiose et comminative suas ammonitiones et Pyotrkowiae et postremo faciebat, quia suae et caesaris fratris felicitati imperiique Germanici auxiliis confidebat. Ceterum an etiam nunc caesareae Mti. in illis suis actionibus contra potentatus Italiae ac Franciae et Angliae reges feliciter succedat, an item Germani principes, immo regnicolae Bohemiae velint contra Joannem regem realiter adjuvare, non omnino est certum, immo contrarium communiter dicitur. Verum tamen est, quia omnes et ego desideratissimi sumus, ut Turcae de Byzantio essent pulsi, sed si etiam toto dominio Graeciae destituti essent, Asia est ipsorum nidus et naturale solum Scitiae conjunctum generique Scytico genus Turcicum connatum, transfugiturum nequaquam crederem Turcam in Syriam, ubi Minoris Aegipti magni Soldani potitus est imperio: sed sicut leporinae sunt consuetudines, quia perfugiunt ad loca nativa, sic Turcae Asiana et Scythiae repeterent loca seque fratribus originariis conjungerent Scytis, quorum viribus, sicuti Bathi fecerat, levi negotio penetrare possent ad dominia christiana ulturi suam e Byzantio propulsationem, quam nedum in auctore belli, sed etiam in auxiliatoribus vindicare conarentur. Primus autem illis obex Mtas. vra. esset et dominia sua, quae illos minime tardarent. Ergo nollem ego istud videre, ut Mtas. vra. alienae felicitati plus quam suae faveret, seu ne ob felicitatem Ferdinandi regis se et dominia sua periculo subjiceret, sicut neque istud suadeam amore Joannis regis faciendum, ne contingat — quod Deus avertat — eam regno et dominiis suis exui et tandem, quod amarius, quam mors esset, victum inter epulas mercatorum misere sumere, sicut id genus infelicitatis et miseriae conficit et absumit Dacum regem et Magistrum ac milites Rhodianos. Sed per proposita media consulendum est felicitati et paci privatae Mtis. vrae. ascisereque dignaretur sibi in exemplum Venetianum consilium, quia, si omnibus pereundum est, illi nollent esse primi, sed saltem ultimo perituri, qui quoniam sunt prudentissimi, uti exitu rerum doceri potest. Propteren Mtas. vra. alieno saltem consilio se gubernet, sacram dexteram suam utrique parti porrigat, sed sibi ipsi plus quam aliis consulat. Nam nisi sola ipsa pro se et nobis subditis suis consulet, per Ferdinandum regem, immo Summum Pontificem, imperatorem et reges alios aegre, immo nulliter. Nam post interitum nostrum consultum esset, sicut olim per eorum praedecessores necessitati Graecorum erat consultum, quorum ille infelix interitus praebeat consilium nobis, ut ex aliorum casu nobis consulamus et non imprudenter fecisse videamur.

332. Responsum a Sigismundo, rege Poloniae, datum Joachimo Maltzan,

oratori Ferdinandi, regis Ungariae et Bohemiae.

Vilnae XI. Julii 1528.

Teki Górskiego, nr. 964 (współczesny, staranny odpis).
Kod. Karnk. X, 176.
Kod. Sap. VII, 171.

Quae vestra Mgcia. pridie nomine sermi. principis domini Ferdinandi, Ungariae et Bohemiae etc. regis coram exposuit, haec continere videbantur:

Commemoravit inprimis vestra mgca. Dtio., quod post inita satis arctae amicitiae foedera inter sermum. principem vestrum et Majestatem regiam per nuntios hinc inde missos et

per

per literas invicem scriptas, pro desiderio et ad postulata sermi. regis vestri et a Majestate hac fuisse quidem promissum: incolas regni Poloniae et aliorum dominiorum ejus Majestatis ad stipendia et in subsidium adversarii sermi. regis vestri Mtem. regiam hanc non permissuram, factum tamen esse, nescitur quo facto, ut contra tot repetitas a Mte. regia promissiones aliqui ex subditis Majestatis suae et in Ungaria nuper adversus eandem Mtem. sermi. regis vestri militaverint et ab hoc instituto suo non omnino etiam nunc desistere videantur.

Quandoquidem, ut adjunxit vestra Magnificentia, adversarius sermi. regis vestri in regno Poloniae nunc existens delectum facere et exercitum colligere ex subditis Mtis. suae ad invadendum denuo regnum Ungariae non vanis rumoribus et authoribus dicatur.

Hortataque est vestra Magnificentia et rogavit nomine sermi. principis sui Mtem. regiam, ut — quod mutua necessitudo et semel inita amicitia bonaque vicinitas atque sanctissima inter Mtes. earum et haec regna confecta foedera exigere videntur — a tantis ausibus et ab inferenda ulla hostilitate et injuria regnis et dominiis sermi. regis vestri subditos suos Majestas regia contineat, neque externas gentes in auxilium vel stipendium ejusdem adversarii proficisci volentes per regnum et dominia sua transire permittat vel illis transitum praebeat.

Declaravit deinde vestra Dominatio, quod ubi aliqua hostilitas aut damnum aliquod ex regno et dominiis Mtis. suae sermo. regi vestro aut ejus subditis per adversarium cum ipsis gentibus datum illatumve fuerit, cogeretur tunc Majestas sermi. regis vestri per gentes et exercitus suos illud repetere, licet illius Majestas non speret neque sibi promittit, Mtem. regiam aliquid tale adversus se admissuram.

Et haec fuerunt, quae oratio vrae. Dtionis. copiosis et ornatis verbis concepta continere videbatur. Ad quae sacra Mtas. regia vestrae mgcae. Dtioni. ita respondere mandavit.

Rem non novam et jam in universo ferme orbe decantatam aut deploratam potius esse, quot portenta, quantae blasphemiae in ecclesia Dei in religione nostra christiana hoc saeculo nostro exortae sint, quot perjuria, sacrilegia, motus, seditiones et mortalitates inde secutae, quibus ut occurrere et providere potuissent, prout ex debito tenentur et debent christiani principes atque imprimis ipsa caesarea et catholica Majestas, severioribus edictis prohibuerunt, ne quispiam istis haereticis aut, ut ipsi existimant, novis evangelistis adhaerere eorumve dogmata complecti et suscipere auderet. Sed quantum per infelicitatem temporum obsecutum sit tam sanctissimo christianorum principum instituto, nemo non videt et vel vicinae provinciae argumento esse possunt.

Cum itaque in re tanta tanta sit hominum audacia et contumacia, non debet merito movere sermum. regem Ferdinandum, si contra edicta Mtis. regiae aliqui et hi quidem non magni momenti ex subditis Mtis. suae aere alieno conducti in Ungaria militaverint, quandoquidem Bohemos, Moravos et Slesitas apud eundem principem et adversarium sermi. regis vestri tunc et nunc etiam forte militare non sit incognitum.

Regnum vero Poloniae ubique patet nec montibus vel saltibus aut fluminibus saeptum est, ut ceteris regionibus et terris natura concessit.

Usu venit etiam id aliis quoque fere omnibus nationibus et praecipue Germaniae, quae vel injuriis lacessita vel pinguiori stipendio objecto etiam contra principes suos plerumque militare consuevit.

Neque credit Mtas. regia, caesarea Majestate, Germaniae dominio, annuente tot Germanorum peditum copias sermo. Francorum regi et olim semper et hoc praesertim tempore contra se militare, ita ut in media quoque Italia Germani de Germanis plerumque triumphos et victorias reportare soleant.

Quod

Quod cum ita sit, non arbitratur Majestas sua, sermum. dominum Ferdinandum regem habere secum nunc expostulandi locum, cum praesertim quicquid Majestas sua vel per oratores vel per literas suae Majestati significavit vel pollicita est, id usque in diem hanc sancte et religiose observavit et observare in animo habet; nec adduci potest, ut suspicetur sermum. regem Ferdinandum ullam unquam occasionem illi praebiturum, quominus eadem omnia etiam usque ad ultimum spiritum sit observatura.

Adversarium sermi. regis vestri in regno Poloniae delectum conscribere exercitumque de subditis Majestatis regiae colligere et incursionem parare incredibile videtur, quandoquidem Mtas. regia hanc subditorum suorum libertatem novis constrinxit mandatis officialibusque suis severe mandavit, ne deinceps ullum ex subditis suae Mtis. sinant abire in externa stipendia, dabitque insuper operam, ut ex dominiis ejus nihil fiat indignum bono amore bonaque communium dominiorum conjunctione et diuturna concordia.

Externas vero gentes, si quae venturae essent in auxilium eidem principi adversario sermi. regis vestri, facile ipse sermus. rex Ferdinandus a transitu arcere poterit, quum dominia ejus Mtis. et Imperii interjacent, quae etiam hujusmodi gentes et populi transire necesse haberent; dabit tamen operam Majestas regia, ut in hoc quoque, si quid acciderit, se per omnia amicum bonum et sincerum sermo. regi Ferdinando, quantum possibile erit, demonstrare posset.

Atque ideo non erat forte necessaria de convertendis in locum inferendae injuriae sermi. regis vestri exercitibus tam acris asperaque significatio, non enim ignorat Mtas. regia sermum. regem Ferdinandum esse et prudentem et potentem regem suosque ab inferendis injuriis tutari et scire et posse, sed se quoque ut ab inferendis ullis injuriis semper immunem fuisse, ita neque belli vel minimam occasionem ulli unquam mortalium praebuisse, suas tamen et subditorum suorum injurias non sine gloria et profectu cum Dei praesidio egregie semper tutatam esse atque etiam conscientia recte factorum suorum Mtas. sua freta nihil dubitat, Deum Optimum Maximum, qui semper justas ejus causas hactenus tutatus est, etiam in hac quoque parte sibi non defuturum.

Non potest tamen Majestas regia sibi quidpiam polliceri a serenissimo domino Ferdinando rege, quod ab eo amore et ab isto suo perpetuo benivolentiae officio et instituto alienum confoederatisque regnis perniciosum esse debeat, quandoquidem Mtas. sua nihil reliquit intentatum et neglectum, quo potuisset et promissis suis et mutuae benevolentiae ac fraterno amori sermi. regis Ferdinandi cumulate respondere.

333. Responsum a Sigismundo primo, rege Poloniae, Sigismundo de Herberstein, oratori regis Ferdinandi.

Teki Górskiego, nr. 1056 (odpis współczesny.)
Kod. Karnk. X, 173.
Kod. Sap. VII, 169.

Vilnae datum.

Sacra Majestas regia, magnifice domine, tristi ac dolentissimo animo audivit calamitates et discrimina, quae vestra Dominatio pro fide et virtute sua prudenter ab hostium Turcarum potentia et saevitia universo orbi christiano imminere recensuit et quae tamen adeo verbis explicari nequeunt, ut non multo magis res ipsa semet ostendat et declaret. Videt enim Mtas. sua hostem potentissimum tanquam procellam inevitabilem impendere, videt in re christiana tumultus, seditionum ac dissidiorum plena omnia, et proinde maximum et praesentissimum imminere periculum.

Quod

Quod enim spectaculum jucundius exhiberi poterat Turcis aut si qui sunt alii, qui pejus volunt nomini christiano, quam tres longe florentissimos totius Europae monarchas exitialibus dissidiis et bellis inter sese committi. Vix enim prudenti persuaderi possit, quemquam esse tam truculentum Turcam, qui plus malorum imprecetur christianis, quam ipsi vicissim infligant sibi, qui tamdiu summa rei christianae pernicie non minus foedis quam feralibus bellis inter ipsos conflictantur, neque tamen quisquam interim exoritur pacificator, qui tam impios rerum motus auctoritate sua componat, cum non desint qui instigent quique oleum, quod ajunt, adjiciant camino.

Utcunque tamen res se in orbe christiano habeat, Mtas. regia rogat et obtestatur quam maxime potest sermum. regem vestrum, ut eo animo sit, quem ratio hujus difficillimi temporis exposcit, utque reductis in unum subditorum animis ac ordine et delectu in regnis et dominiis suis facto curet sibi et statui suo subditorumque suorum saluti non deesse.

Sperat enim Mtas. sua, quod ubi Mtas. illius cum subditis suis ad hoc cura et studio incumbere voluerit, uti se et sua tueatur, omnia recte successura et neque divinum favorem neque externa subsidia illi defutura.

Nam quod ad regiam Mtem. Poloniae attinet, ea et propter debitum ac amorem suum et quod res communis agitur, non solum viribus et facultatibus suis, quibus posset, sed sanguine suo proprio sermum. principem vestrum nunquam destituere vellet in tali praesertim proposito, in tanto rei christianae periculo, si Mti. suae per inita nuper pacis cum Turca foedera quidpiam tale attentare esset integrum.

Cum enim Mtas. sua, quae assidue sustinet eam molem humeris suis, satis superque experta esset et novisset tam ipsius Turci quam aliorum infidelium sibi vicinorum potentiam et conatum, neque ullus est, qui libentius videret ordinem aliquem a Christianis statui, quo tantis hostibus resisti possit, quam ipsa Mtas. regia, quae assidue hoc saxum volvit, commonebat saepius Mtas. sua principes christianos de periculis his impendentibus ac de calamitatibus jam illatis, quae longe ante praeviderat, hortabaturque, ut tam Mti. suae, quam sibi ipsis, non deessent. Hactenus tamen neque sibi datae sunt ullae unquam suppetiae neque ordo aliquis institutus ad hanc impendentem procellam reprimendam; Mtas. tamen sua hactenus, ut potuit, arcebat a dominiis suis eam tempestatem, exspectans non sine magno suo discrimine, ut si quando christiani principes inita mutua pace et charitate imminenti periculo se ponerent obicem. Sed dum bellum bello perpetuo inter ipsos principes gigni videret ac de ipsa principum concordia et de futura illa aliquamdiu exspectata contra Turcas expeditione hoc turbulento tempore desperaret, satius duxit indutiis et foederibus pacem sibi suisque parare, quam contra tantam potentiam non sine periculo suorum dominiorum et christianae reipublicae armis decertare. Et proinde cum ad fidem et hosti servandam divinae et humanae leges astringant, nequit Mtas. regia sermo. regi Ferdinando nunc, ut maxime vellet, contra Turcam, cum quo pepigit foedus, ullas suppetias ferre, quod Mtas. sermi. regis Ferdinandi boni consulere et ita, ut se res habet, accipere et Mtem. regiam hoc tempore apud se excusatam habere velit.

Quod reliquum est: optat Mtas. sua regia, ut sermus. rex Ferdinandus et optima valetudine et felicissimis quibusque successibus semper fruatur, cujus Serenitati dicet Mgcia. vra. nomine Mtis. suae regiae plurimam salutem eamque illius Serenitatis mutuo amori commendabit.

334. Sigismundus primus, rex Poloniae, Christofero Szidlovicio, castell. Crac., cancellario.

Teki Górskiego, nr. 966 (list orygin. z adresem i pieczątką, ale bez podpisu króla).
Kod. Karnk. X, 177.

Spectabilis et magnifice, sincere nobis dilecte. Quomodo sint per nos absoluti oratores isti, qui redeunt ad suos principes, intelliget abunde vra. Sinceritas ex aliis literis nostris. De negotio autem Mazovitico nullo indicio nobis declaratum est ab eis, si quid ad illud praetendat sermus. rex Ferdinandus.

De nuntiis quoque, si qui fuerunt clanculum in ducatu illo, nihil intelleximus, quod si quid fuit, diu latere non potest et sciemus forte, qui fuerunt tales ex subditis nostris, qui auderent talia absque scientia et voluntate nostra tractare vel agere. Earum vero, quae aliis a nobis scribuntur, rmum. dnum. episcopum Cracoviensem participem faciat Sinceritas vestra. Et feliciter valeat. Datum Vilnae in die Sanctae Margarethae. Anno domini M. D. XXVIII.[1])

335. P. Tomicki, epus. vicecancellarius, Christ. Szydłowiecki, cast. Crac., cancellario.

Teki Górskiego, nr. 2897 (minuta z poprawkami Tomickiego).[2])

Mge. dne., dne. et amice honorandissime. Jam gratia Dei ego in portum optimae meae valetudinis pervenire incipio, restat solummodo, ut me ex tam longa et molestissima periclitatione reficiam et confirmem, quod ita me commodissime facturum existimo, si Dtiones. vestrae, quae istic plures estis, haec reipublicae onera, quae intercidunt, ipsae subire et obire dignarentur, me illis tantopere non onerantes.

Mitto Mgciae. vrae. copiam literarum, quas mihi a dno. Broderico, Sirmiensi epo., allatas nunc d. Tarlo misit. Ex quibus fortasse erit utile, quae ad regem Joannem attinent et alia id generis cognoscere. Me autem solito amori et fraternae benevolentiae Mgciae. vestrae commendo. Quam cum omnibus suis felicissimam esse et optime incolumem ex corde desidero. Datum.

336. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Steph. Broderico, epo. Sirmiensi.

Teki Górskiego, nr. 2986 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 206.
Kod. Wojcz. nr. 210.

Reverendissime in Christo pater et domine amice charissime et honorandissime. Grave admodum et molestum mihi est, quod tam diu nihil de sermo. dno. rege Joanne ac etiam de Dtionibus. vestris, ejus consiliariis, audiverim. Multum est enim, quod nullas a Dtione. vra. accepi literas, alius autem mihi nemo haec perscribit et ego in solitudine hic manens et a celebritate omni remotus raro aliquid de his, quae alicubi aguntur, intelligere soleo. Quare plurimum rogo Dtionem. vram. reverendissimam, perscribat mihi rerum omnium statum praesentem et conditionem et in quo sit maxima spes salutis et omnium Dtionum. vrarum. in patriam reditus, quem quidem ego toto pectore et animo sermo. regi inprimis, cui velim meam servitutem dicat et commendet, deinde etiam Dtionibus. vestris faveo et omnibus votis precor. Dtionem. autem vram. absentem memoria et cogitatione hic complector semper et rogo illam plurimum rmo. domino Colocensi et dno. cancellario me commendare velit ipsaque valeat felicissime et me diligat.

[1]) D. 13. 7. 1528. — [2]) Na minucie napisał Górski: non scribatur, dlatego listu tego nie mają kodeksy.

Teki Górskiego, nr. 967 (minuta z poprawkami Tomickiego).[1])
Kod. Karnk. X, 205.
Kod. Sap. VII, 205.

337. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Mathiae Drzevicio, epo. Wladislaviensi.

Reverendissime in Christo pater et domine frater, amice charissime ac honorande. Magnas ago et habeo gratias vrae. Dtioni. reverendae, quod et nuntio et literis suis me inviserit apertissimeque mihi suum animum et benevolentiam declaraverit, cum scribat non minoris molestiae sibi adversam valetudinem meam fuisse, quam nunc fuerit gaudii et laetitiae recuperata sanitas. Quae quidem res cum mihi sit, uti et debet, mirifice grata et jucunda, cogito sedulo, ut parem officii gratiam ex amicitia fraternaque benevolentia mea Dominatio vra. reverendissima quandoque et similem in re dissimili gratitundinem capere et cognoscere possit. Et sane valetudinis meae longe diversa, quam fuerit, nunc est ratio. Nam ex periculosissima longaque et molesta aegritudine redii nunc in pristinum valetudinis meae statum, nihilomagis valenti et firmo corpore manente, praeterquam quod in pedibus vestigia quaedam morbi sunt relicta, tument enim modice adhuc mihi ex defluxu humorum pedes neque adeo tamen, ut incessum impediant, sed et id, prout et reliqua, spero propediem mihi in integrum rediturum.

Nova hic apud me nulla sunt, quae Dtionem. vram. hactenus ignorare putem. Nam quod ad domini Laski acta attinet, nihil dubito Mtem. regiam Dtioni. vrae. rmae. suis literis pariter atque nobis omnibus exposuisse. De rege autem Joanne vulgata sane sunt omnia, illum scilicet omnem spem et exspectationem suam in Turcorum auxiliis positam habere, quae ne eum fallat, ipse viderit. Sed tamen multi indubie nuntiant Turcorum jam validam manum in Ungaria esse, praeterea quod magnam spem habet, affutura sibi quaedam Germanorum subsidia. Scripsit mihi nuper dominus castellanus Posnaniensis, non omnino id esse vanum; affirmat enim illum, simul atque nummos miserit, non contemnendum Germanorum exercitum colligere posse. Nummos autem ille summa nunc comparat diligentia inter amicos, sed et argenti praeterea magnam copiam sibi, ajunt, paulo ante esse ex Ungaria advectam.

Arcem tamen Tranczinensem, quae certissima fama est, nuper amisit per deditionem fortasse coactam ex aquae et reliqui commeatus penuria; sed tamen alii dicunt, Pannonii cujusdam, praefecti ejusdem arcis, occulta proditione.

Samuelem Maczieyowski cum ob ejus virtutem et eruditionem tum etiam ob hanc commendationem Dtionis. vrae. reverendissimae charum et commendatum habere volo.

Dominationem autem vram. reverendam felicissimam esse et optime incolumem cum omnibus suis vehementer desidero. Cujus fraternae benevolentiae me ex animo commendo. Datum in Kielcze, die quindecima Julii. Anno domini 1528.

Kod. Karnk. X, 204.
Kod. Sap. VII, 204.

338. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Lucae Gorka, castell. Posnan., capit. Maj. Poloniae generali.

Magnifice domine, domine et frater honorande. Gratissimae mihi fuerunt literae Mgciae. vrae., quibus me non invisit modo, sed magnopere etiam ob recuperatam valetudinem mihi gratulatur, cui gratulationi quam ad praesens possum ego referre gratitudinem, praesto libenter et verbis ago Mgciae. vrae. gratias immmortales. Ceterum quod adscripsit Magnificentia vra. fuisse isthic nonnullos, qui ex infortuniis meis laetabantur, mirifice

[1]) W rogu minuty zanotował Tomicki: Gorski senior.

rifice miror, quod inter provinciales meos et quibus ego nunquam obfui, ejusmodi iniqui reperiantur, ut vitam quoque mihi invideant, cum alii omnes et ejus regni incolae et exteri homines, qui me vel fama ipsa tantummodo norunt, aegritudinem meam molestissimam sibi fuisse clarissimis testimoniis ubique declararunt. Valeant tamen, quicumque mihi male cupiunt. Ego enim mihi ipsi sum conscius satis, quid merito meo a quopiam mihi tribui debeat, qui hoc semper ago et cogito, ut ab omni infamia et decore vitam meam praestem innocentem. Et equidem valetudo mea quantum ad reliqua membra optima est et fere, quae dudum erat, sed pedes adhuc ex defluxu mihi tument et modicam molestiam afferunt, spero tamen et hos propediem in pristinum statum redituros.

Rex Joannes quid nunc cogitet quidve agat, sum plane nescius, quippe qui in solitudine vivo solitarius et pauca de his rebus soleo audire, verum hoc, quod vulgo jam in ore est, puto minime falsum esse, Turcorum scilicet exercitum, ductore domino Laski et Imbraym Basscha, jam in Ungariam pervenisse, in quo maximam spem et exspectationem recuperandi regni rex ipse Joannes semper ponebat.

De Germanorum copiis, si isthic iter facere conarentur ad ferendum eidem regi Joanni subsidium, scripserat ad me dominus Choienski, regiam Mtem. Mgciae. vrae. dedisse in mandatis, ut omnino eo itinere illos prohiberet, quod tamen an facere posset vra. Mgcia., ego dubito, cum illos valida manu credendum est descensuros esse. Sed ego tamen non opinor isto itinere illos uti debere, cum hoc Augustinus, qui est homo probus et verax, Magnificentiae vrae. ita retulit.

Arx Tranczinensis a quibusdam, qui erant collocati in illius praesidiis, est prodita, uti jam est communis et constans fama, de quo etiam Mgciam. vram., priusquam haec leget, spero et literis et nuntiis, fama denique ipsa fieri certiorem. Cujus me amori et fraternae benevolentiae ex animo commendo felicemque esse et optime incolumem cum suis omnibus vehementer desidero. Datum.

339. Solimanus, Turcorum imperator, Joanni, regi Ungariae.

Teki Górskiego nr. 3387 (odpis współczesny). Kod. Karnk. X, 196. Kod. Sap. VII, nr. 188.

Promittit Ungaris fidis gratiam, rebellibus minatur excisionem.[1])

Ego, qui sum caesar caesarum et dominus dominantium, Albi maris et Nigri maris et Romaniae et Natholiae et Caramaniae et ultra mare Georgianiae et Asaniae et Sami et Halepi et Aegipti et Hierosolimae et Sepulchri Dei et omnium terrarum Arabiae et multarum aliarum terrarum, quas pater sua framea acquisivit et penetravit, qui fuit Zultanus, filius Bajazeti, imperator Zelimus et qui sum ego filius Zelimi, Sultanus Solimanus Syach. Tua itaque Serenitas, qui es Joannes, rex Ungariae, sciat hoc tempore, cum literae meae pervenerint ad manus tuas, ut illud fiat, sicut fuit hucusque, terram, quae fuit sub manu tua, ego ita protegam, ut meam propriam. Mandavi ob hoc, ut quicunque hucusque ad te redierunt, ut qui se tibi dediderunt et cujus terrae gentes ac coloni tecum sentiunt, quod notifices eis omnimodo et significes, ne terreantur et ne timeant et maneant sicut hucusque manserunt, quod nemo impediet eis puerum aut puellam aut res aut substantiam et a meis bassis et zandziacis et a meis mancipiis et ab aliis meis exercitibus nemo eis pro uno denario damnum faciet, et in hac terra sive sint arces sive barones sive alii domini et proceres, omnibus ex parte tua significes, ut quicunque se tibi dederint et tecum senserint, ut maneant

[1]) Dopisek Górskiego w kod. Karnkowskiego.

neant in pace et sic ego eos agnoscam, sicut meos proceres. Illi autem, qui se nunc tibi non dederint, si dominus Deus misericors annuerit: ecce movi me cum omnibus terris meis, si nolunt se dedere et sub manu tua esse, et pueros et uxores et parvos et magnos ponam sub gladio et terram conteram et domos comburam, ut sint fabula ceteris hominibus. Postea hoc meum mandatum per omnes terras quo longius poteritis notificetis. Et hoc ita fiat. Datum quinta decima die mensis Julii, Zemplyni. Anno nostri prophetae noningentesimo tricesimo quinto.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny, cały własnoręczny).

340. Joannes, comes in Tarnow, palat. Russiae, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Sacra et serenissima regia Majestas, domine et domine mihi clementissime.

Post humilem servitiorum meorum in gratiam vestrae sacrae regiae Majestatis commendationem. Intellexi ex quibusdam amicis meis, me in multis coram vestra sacra regia Majestate esse delatum, quod ea agere debeam, quibus vestrae regiae Majestatis indignationem erga me provocem, et quoniam nihil unquam citra justam occasionem per me actum est, volui his paucis coram vestra sacra regia Majestate agere, ut si quis aemulorum ultra haec, quae scribo, coram vestra sacra regia Majestate plura commentari meque insimulari voluerit, vestra sacra regia Majestas non sine injuria ea relata coram se credat. Quod attinet regem Joannem et quoniam pro mea cum sua Serenitate longa et diuturna familiaritate affectus suae Serenitati fuerim, cum id pro debito et jure amicitiae debeam, cum non solum amicis, verum et hostibus merito fides servanda est, arbitrabor non licere mihi nec cuiquam probo jus amicitiae quoquomodo violandum et transgrediendum, amicumque in necessitate fore deserendum. Cum itaque sua Serenitas huc in regnum se contulit, dedi receptum, cum ad me pro veteri jure amicitiae declinare voluit, in bonis meis suae Serenitati hospitalitatemque exhibui, cum id mutua observantia familiaritasque anteacta exposcebat. Sed quod quicquam aliud in gratiam suae Serenitatis per me actum gestumve foret, quo debeam mihi conciliare indignationem vestrae regiae Majestatis, et praesertim cum sciverim eo facto offendisse me animum sacrae regiae Majestatis, domini mei clementissimi, nemo unquam adversariorum quicquam in his ultra mihi objicere poterit, nam ut ea, quaecunque admiserim vel fecerim, nunquam negare velim, ita quoque nollem opera adversariorum mihi impingi, quorum mos est omnia in malam partem interpretari, ea, quae non commiserim. Non enim sum is, qui gratiam vestrae sacrae regiae Majestatis, tam magni regis, temere et citra ullam licitam occasionem offendere velim, cum potius in omnibus, ubi possem et liceret, vestrae sacrae regiae Majestati obsequiis meis in gratiam me commendare velim, quae licet pauca sunt, magnis tamen regibus et principibus etiam non magnae sortis homines et servitores etiam possunt aliquando usui esse. Itaque supplico vestrae sacrae regiae Majestati, dignetur pro sua summa sapientia huic excusationi meae, ita ut justa et vera est, potius quam aemulorum obtrectationi benignam fidem praebere, clementerque id apud se suscipere, quod ego vestrae sacrae regiae Majestati obsequiis meis, si id unquam commode praestare potero, promereri studebo. Cum his me atque servitia mea humillima in gratiam vestrae sacrae regiae Majestatis commendo, quam vestram sacram regiam Majestatem optime sanam et incolumem multos in annos valere cupio ac exopto. Datum Sandomiriae die 15 Julii anno domini MDXXVIII. Ejusdem vestrae sacrae regiae Majestatis humilis servitor Joannes, comes in Tarnow,

palatinus Russiae et capitaneus regni Poloniae, spt.

341. Christophorus Szydłowiecki, cast. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny z własnoręcznym podpisem.)

Sacra et serenissima Majestas et domine domine clementissime.

Post servitutis meae commendationem. Rogatus sum impense ab amicis magnifici domini Joannis de Tharnow, palatini Russiae, sciunt enim, quod Majestas vestra serenissima est mihi dominus clementissimus, intercederem ad sacram Majestatem vestram pro salvo conductu et libero ac securo transitu per regna, ducatus et dominia sacrae Majestatis vestrae filio ejusdem domini palatini Joanni nomine, qui peraegre proficiscitur Hyerosolimam visere sepulchrum domini et alia pia et sancta loca. Supplico sacrosanctae Majestati vestrae, dignetur hujusmodi salvum conductum et literas salvi passus praefato domini Joanni de Tharnow cum sua comitiva, equis, sarcinis et rebus eorum in manus hujus tabellarii benigniter concedere, ut praefatus dominus de Tharnow sub earum securitate eat, quo destinavit, et rursus redeat. Ego autem hanc gratiam volo perpetuo mereri sacrae Majestati vestrae, quam optime et felicissime valere et regnare desidero. Datum Cracoviae XVII Julii, anno domini MDXXVIII. Ejusdem sacrae Majestatis vestrae humilis servitor

Christophorus de S., castellanus et capitaneus Cracoviensis, r. P. cancellarius, m. p.

342. Christophorus Szydłowiecki, castell. Crac., cancell., Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny.)

Sacra et serenissima Majestas et domine, domine clementissime.

Post perpetuae servitutis meae commendationem. Scripsi in superioribus diebus ad magnificum dominum Petrum Oppalynski, castellanum Myedzirzecensem, serenissimi domini mei apud sacram Majestatem vestram oratorem, rogans, ageret ad eandem sacram Majestatem vestram, ut res quaedam et panni aurei et sericei ad serenissimam dominam reginam Poloniae, dominam meam clementissimam, pertinentes, ex Venetiis missae et Viennae interceptae et arestatae, tamdiu asservarentur, donec Majestati vestrae serenissimae pro ipsis rebus ipsa serenissima domina regina Poloniae literis scriberet. Dominus Petrus nondum huc venit, concessit enim recta domum suam ad Majorem Poloniam, nec scio, quam relationem mihi de hac re allaturus est. Et quia mora in ea re est periculosa, ideo supplico Majestatem vestram, dignetur committere Viennensibus vel illis officiariis, qui res hujusmodi interceperunt, quatinus eas tamdiu integras asservent et non distrahant, usque serenissima domina regina Poloniae in hoc negotio ad Majestatem vestram scribet. Ita enim doctus sum, quod illae res omnino pertinere debent ad Majestatem illius, sub cujuscunque titulo signatae sunt. Majestas vestra serenissima faciet ut rem aequam et justam, ita serenissimae dominae Poloniae longe gratissimam. Commendo me sacrae Majestati vestrae, quam optime felicissimeque valere et regnare cupio. Datum Cracoviae, die XVII mensis Julii anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

Ejusdem sacrae Majestatis vestrae humilis servitor Cristoforus de S. castellanus etc. Cracoviensis ac r. P. cancellarius, manu sua.

Post scriptas literas allatae sunt literae ex Italia serenissimae dominae reginae Poloniae, quibus annexae fuerunt istae literae sacrosanctae Majestati vestrae inscriptae. Mihi quidem

quidem non constat, quid in se habeant, nisi quod video eas pertinere ad sacram Majestatem vestram, et ideo eas cum his meis mitto, iterum atque iterum rogans, dignetur sacra Majestas vestra contemplatione serenissimae dominae reginae Poloniae committere officialibus Viennensibus, ut res predictae non distraherentur, priusquam literae a praedicta reginali Majestate ad sacram Majestatem vestram hac de re perlatae fuerint.

Teki Górskiego, nr. 971 (list oryginalny). Kod. Karnk. X, 193. Kod. Sap. VII, 181.

343. Franciscus de Frangepanibus et Stephanus Brodericus P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Reverendissime domine nobis honorandissime. Salutem nostri ac servitiorum nostrorum commendationem. Missus fuerat huc his diebus praeteritis a Mte. sermi. et clementissimi domini nostri alter nostrum, Sirmiensis, sicut ex literis ejus vra. rma. Dominatio intelligere potuit. Nunc sumus hic ambo pro illo eodem negotio, de quo tractandum erat cum vestra pariter rma. Dtione. et illustri et magnifico domino castellano Cracoviensi, cancellario etc., nomine ejusdem sermi. domini nostri. Non reperta autem hic vestra Dtione. rma., retulimus omnia domino castellano. Ille significavit ea ex voluntate sermi. regis nostri sermae. Mti. domini regis Poloniae. Summa eorum est: serenissimum regem nostrum primum voluntate Dei, in manu cujus corda omnium regum sunt, deinde nostro etiam amborum inductu flexisse animum ad pacem cum adversario suo, sermo. rege Ferdinando, ineundam talibus conditionibus, quas, si et rex Ferdinandus pluris aliquanto facere dignabitur salutem publicam, quam vel suas privatas cupiditates vel suorum consilia, fortasse ei non semper ea, quae christianae reipublicae salutaria sunt, suadentium, non recusaturum speramus. De quibus per literas apertius scribere non possumus; haec quoque, quae scribimus, secreta esse cupimus apud vestram rmam. Dtionem. Nam et domino castellano sub fide sunt commissa ob multas causas, propter quas sermo. regi nostro, si ante tempus in lucem prodirent, possent esse manifesto periculo. Id quod rex noster facit, non desperatione rerum suarum ductus facit, sed revera boni publici consideratione, quod statuit praeferre omnibus suis privatis commodis, dummodo adversarius ad ea, quae honesta sunt, induci possit. In quo vrae. reverendissimae Dominationis potissimum cum domino castellano opera, auctoritate et prudentia erit opus, neque agetur quicquam sine vra. rma. Dtione., in cujus virtute et singulari bonitate et sincero erga se amore rex noster plurimum confidit. Nova nulla habemus certa. Ea, quae circumferuntur, credimus vestrae reverendissimae Dominationi non esse ignota. Nos et servitia nostra in amorem et favorem vrae. rmae. Dtionis. unice commendamus. Quae optime valeat. Ex Cracovia 18 Julii 1528.

Vrae. rmae. Dtionis. deditissimi servitores

fr. Franciscus de Frangepan. Colocen.
S. Brodericus Sirmiensis.

Rmo. dno. dno. Petro, epo. Cracovien., vicecancellario regni Poloniae etc. dno. et fratri observandissimo.

344. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 968 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 169.
Kod. Sap. VII, 198.

Sacra regia Majestas et domine, domine clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Dnus. Petrus Opaleniczki, cast. Miedzirzecensis, orator Mtis. vestrae, simulatque et responsum accepit et est a sermo. rege Ferdinando absolutus et dimissus, misit ad me et suas et quas ab ipso rege ad Mtem. vram. scriptas acceperat literas, transmitti illas hinc ad Mtem. vram. quam primum cupiens. Quare ego per hunc cubicularium Steinkircher eas ipsas literas mitto Mti. vrae. sermae., ex quibus Mtas. vestra pariter perspicere et cognoscere poterit et quanti scilicet illius officium et amicitiam sermus. rex Ferdinandus fecerit ac faciat et quo animo nunc ad pacem et concordiam ineundam sit praeditus.

Nunc etiam, serme. rex, visum est mihi opportunum tempus Mti. vrae. ad ea respondere, quae per Borowski cubicularium ad me scribere dignata est, ut videlicet consulerem in medium deliberationemque meam ad ea accommodarem, de quibus et nunc per literas sermus. rex Ferdinandus cum Mte. vra. expostulat, domini Laski audaciam et hostilia facinora accusans et est fortasse adhuc acturus per oratorem suum proxime ad Mtem. vram. missum, ne regem Joannem in regno suo amplius esse et receptum hic habere permittat.

Et equidem quod attinet ad recepti regis Joannis excusationem, videtur mihi, ut Mtas. vra. serma. respondeat: quod eidem regi Joanni receptum in regno suo dederit duas ob causas, primum, quod non videbatur officium christiano rege dignum confugienti ad se vicino et affini suo et praesidium servandae vitae petenti non dare locum aut illum ex regno suo expellere, maxime cum id tuendi neutralis promissi officium non immutet neque offendat; deinde, quod hac occasione oblata sperat Mtas. vra., se id, quod hactenus non potuit, pro sermo. rege Ferdinando nunc commodius praestare posse, ut videlicet regno Ungariae pacifice et sublatis omnibus impedimentis potiri possit. Nam ubi adversarius ejus ad Turcas transfugisset, quanta hinc difficultas sermo. regi Ferdinando et toti reipublicae christianae pernicies sequi posset, neminem esse rationis compotem, qui non intelligat, et praesertim sub ea fide et constantia Ungarorum erga reges suos, quam cum alias semper, tum nunc potissimum abunde declararunt. Nunc Mtem. vestram commodandi causa primum sermo. domino regi Ferdinando, deinde toti reipublicae christianae hoc fecisse sub eo eventu: concessisse imprimis receptum domino Joanni regi in regno suo ea lege, uti se quiete contineret et publice nihil hostile in ipso regno Mtis. vrae. adversus sermum. regem Ferdinandum et regnum Ungariae moliretur.

Deinde curaturam esse Mtem. vram. modis omnibus de hac differentia et bello toti reipublicae christianae perniciosissimo exstinguendo idque quantum maxime fieri poterit cum dignitate et commodo ipsius sermi. domini regis Ferdinandi, siquidem id Mti. suae gratum et placitum fuerit; alioquin si illi hoc studium et officium fraternum Mtis. vrae. non perinde acceptum erit, tempus posterum docebit, rectene an perperam Mtas. vra. consultum voluerit in hoc eventu sermo. regi Ferdinando et regno Ungariae, cujus bonum statum communem semper reputavit.

Illud autem alterum in domini Laski audaciam consilium professio mea episcopalis abhorret et ne praecise et expresse in id consulam, vetat. Nimirum est res maximi momenti et capitalis causa ac de qua crimine laesae Mtis. inquiri juste debeat, digna profecto, ut uno et altero verbo absolvam, gravis animadversionis poena et supplicio. Namque quid

quid gravius committi potuit a subdito in dominum, a consiliario in regem et principem senatus totius, quam fraudata sententia literarum, quas publica fide ob iter tutum a Mte. vestra receperat, in amplissimorum regum provincias excurrere et Mtis. vestrae nomen et gloriam pro cupidis et temerariis gestis consiliisque suis apud omnes invulgatam et apud nonnullos etiam suspectam facere, vel hoc solo nomine et facinore, ut reliqua taceam, de quibus rex Ferdinandus queritur, quod scilicet et Turcos contra christianorum vota et optata ad regnum Ungariae depopulandum ductu et auspicio suo induxerit seu inducere contenderit et praeter jussum et voluntatem Mtis. vrae. nomine totius regni cum Turco indutias pepigerit conditionibus interjectis, quas suscipere piaculum et nefas privato alicui, ne dicam Mti. vrae. et regno duxerim. Sed ego, uti memini, ne ab officio episcopali discedam, modum ea vindicandi insinuare non possum nec mihi licet, verum id prudentiae et authoritati Mtis. vrae. committo et relinquo, hoc solo admonito, quod ad officium meum proxime attinet et accedit: non videri nempe mihi triplici ratione consultum, ut in eo rerum statu contra dominum Laski debeat Mtas. vra. nunc aliquid aggredi: primum, quod in eum absentem et non vocatum difficile foret Majestati vrae. jus dicere vel illi poenam irrogare: etenim patroni et defensores ejus prodirent subito multi, qui — ut alia omnia — defendere conarentur et haec fortasse prima fronte negarent illius esse, quae in literis inimicitias et hostilitatem obnuntiantibus suo nomine circumferantur. Deinde, quod ex regni constitutionibus non licet eum hinc Mti. vrae. in Lithuaniam judicandum vocare. Tertio, quod querendi occasionem et gravius cum Mte. vra. expostulandi rex Joannes arriperet, cum in illius servitorem et qui ejus negotia jam pridem gerit et exercet, animadvertere vellet Mtas. vra.

Verum cum redibit feliciter in regnum suum Mtas. vra. et conventum generalem cum consiliariis et subditis suis habebit, tunc demum mihi videtur opportuna fore occasio, ut Majestas vestra dominum Laski pro more et consuetudine vocari et ejus audaciam atque admissum exprobrari sibi faciat, vindicatura illud et authoritate sua et totius conventus decreto, si, de quo accusabitur, juste se non purgaverit. Est enim res perquam necessaria et ad dignitatem Mtis. vrae. sermae. tuendam et ad communem totius reipublicae statum conservandum, ut tacitum amplius et impunitum non ferant isti, qui contra voluntatem vrae. Mtis. in maximis reipublicae negotiis pro libidine sua audent aliquid tractare et conari statuere; namque hoc malum, quia ceteris idem antea audentibus impune fuit, ad alios nunc rediit et est malo publico traductum, idem et posthac futurum, si res haec silentio praetereatur. Interim autem Mtas. vra. sermo. regi Ferdinando honestissime respondere poterit, quod facinus hoc punire decrevit modo debito. Nam et illius Mtas. cum illis, quos in Nova civitate Austriae capite plecti fecit, judicialiter processit; interim etiam et negotium componi melius ad vindictam poterit et res fortasse regum dissidentium conquiescent vel componentur; vestra vero Mtas. hic in regno suorum freta consilio auditoque, quid quisque dicet pro dignitate Mtis. vrae. et reipublicae, ejus rei negotium mature tractabit et debita animadversione absolvet, ubi et ego, Deo bene juvante, ex officio meo et quantum per jura professionis mihi licebit, praesto ero et mandatis Mtis. vrae. parebo libenter, quae semper prae ceteris omnibus maximi duxi nuncque illa diligentissime colo et observo neque praetermitto ullum tempus, quo non optimam valetudinem Mti. vrae. implorem et exoptem omnibus votis et precationibus meis. Cui etiam nunc et servitutem meam iterum suppliciter commendo et felicissima omnia tempora faustumque ad nos reditum cum serma. conjuge et incolumibus illmis. liberis cupio et precor. Datum in Kielcze.[1])

[1]) Górski zanotował na brzegu minuty: 18 Julii 1528.

345. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Jo. Choienski, archidiac. Crac., secretario.

Teki Górskiego, nr. 970 (minuta z poprawkami Tomickiego.[1])
Kod. Karnk. X, 170.
Kod. Sap. VII, 199.

Venerabilis domine frater in Christo charissime. Cum is cubicularius Steinkircher incidisset in id tempus, quo literas regis Ferdinandi et responsa a domino Opaleniczki tunc quoque per illum ad nos allatas nos Mti. regiae transmittere deberemus, opportunum arbitrati sumus, per eum ipsum fasciculum hunc Mti. suae mittere et una respondere ad illa, quae paulo ante per literas, quas Borowski attulerat, illius Mtas. ad consultationem meam referre dignata est. Et vos quidem ex literis, quas ad Mtem. suam scribimus, cum de domini Laski facto tum de sermi. regis Joannis hospitio et receptu uberius sententiam nostram perspicietis; summa tamen haec est suasionis et consilii nostri ratio: quod non videatur nobis idoneum hoc tempus ad repetendam ex audacia domini Laski vindictam et poenam, cum Mtas. regia et ille simul diversis regionibus longissimeque inter se distantibus a regno absint, rexque Joannes sit hic in regno, cui contumelia videri magna posset, si in eum, qui servitio ejus est additus, propterea deberet a Mte. regia animadverti, quod rem et negotium suum curandum susciperet. Quod non posset etiam judicio nostro impietatis carere nota, si afflicto illi et cui a nemine hic civilitatis et hospitalitais officia exhibentur, etiam haec afflictio adjiciatur. Videtur autem nobis magis idoneum tempus exigendae poenae futurum et quo rex Joannes fortasse offendi non poterit, cum Mtas. regia huc redibit; in conventu enim publico adhibito omnium primorum regni consilio et consensu magis pro dignitate et authoritate sua vindictam et exposcere et statuere Mtas. sua poterit. Non dubitamus vero, futuros non paucos, qui gesta domini Laski vel commendabunt vel excusare et lenire contendent, erunt tamen alii multi, qui illum justa et severa animadversione puniendum censebunt audietque ibi in publico regni conventu Mtas. regia, quid quisque dicet pro dignitate Mtis. suae et reipublicae.

Facti eramus jam ante certiores literis domini Joannis Dantisci, a caesarea Mte. oratorem ad Majestatem regiam missum, de quo vobis antea scripsimus; is nunc jam dicitur Cracoviae esse, egregia — ut ferunt — indole juvenis, promptus et ad omnia sagax atque industrius, quid tamen afferat, hoc vos istic, cum ad vos venerit, intelligetis; nobis enim ea sunt hucusque prorsus incognita.

Ceterum fama est, Tartaros fluvium Borysthenem transiisse et jam in regnum irruptionem parare, pavorem esse in hominibus illic proxime adjacentibus de ea re excitatum, sed tamen certum eorum hostium institutum et quid meditentur, nobis est incognitum. Vos si quid certi de ea re isthic habetis, nobis perscribatis et optime valeatis sitisque incolumis et semper felix. Datum in Kielcze feria 6 ante Magdalenae.[2])

346. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Christ. Szidlovicio, cast. et capit. Crac., cancellario.

Teki Górskiego, nr. 969 (minuta z poprawkami Tomickiego.)
Kod. Karnk. X, 201.
Kod. Sap. VII, 200.

Magnifice domine ac domine amice honorandissime. Doctor Rawa, qui toto hoc tempore mecum fuit in curandaque aegritudine mea diligentem mihi operam praestitit, redit nunc jam a me dimissus Cracoviam propterea prior, quam ego, quod ad curationem domini Shyrschowski

[1]) Na minucie nazwisko sekretarza: Lubowiczki. — [2]) Na marginesie minuty zapisał Górski datę: 18 Julii; — feria 6 ante M. Magdalenam przypadała atoli na dzień 17 lipca.

Shyrschowski, canonici ecclesiae meae Cracoviensis, in extremis vitae laborantis et paene jam animam agentis, impense et sollicite est vocatus. Et equidem non mediocre officium et ipse et ego facturi nobis videbamur, si me quidem permittente et autore ille ad opem ferendam flagitanti amico et a quo plurimis beneficiis est ornatus libenter accurrat. Ego etiam subsequar cum Deo bene juvante, cum primum mihi pedes probe instaurabuntur, aut saltem magis, quam nunc sint, erunt firmiores, sed primum me Czesthochowam[1]) voti solvendi causa conferam.

Quod a me petit Magnificentia vra., ut illi exponam in ea re consilii mei rationem, in qua pariter a me et a Magnificentia vestra Majestas regia nuper per literas consilium et suasionem poposcit, id equidem salvo statu et professione mea episcopali, uti res postulat, aperire mihi non licet, hanc enim domini Laski facinoris culpam arduam, capitalem et periculi plenam video et esse censeo, de qua et criminale judicium institui et a saecularibus tantummodo hominibus convenit. Scripsi tamen Majestati regiae, ut quicquid de eo judicandum statuerit, in conventum regni futurum et ad frequentem procerum et consiliariorum suorum senatum differat. Non videtur enim mihi consultum sub eo rerum statu, uti nunc est, Mtem. suam aliquid contra illum incipere debere, cum et ille et Majestas sua absint una a regno rexque Joannes hic sit adhuc, cui grave hoc et indignum videri posset, quod vindicta vel poena aliqua exigeretur ab eo, quem ille nunc maximis suis negotiis praeposuit.

Cetera coram. Ad praesens optime valeat Magnificentia vestra et sit cum domina cunjuge et liberis suis quam diutissime incolumis et felix, cujus me fraternae benevolentiae et amori plurimum commendo. Datum in Kielcze, feria 3 proxima ante Magdalenae.[2])

Teki Górskiego, nr. 1070 (minuta Maciejowskiego z poprawkami Tomickiego).[3])
Kod. Karnk. X, 187.
Kod. Sap. VII, 195.

347. P. Tomicius, epus. Cracov., vicecancellarius, Francisco de Frangepanibus, archiepo. Colocensi, Stephano Broderico, epo. Sirmiensi.

Reverendissimi in Christo patres et amici honorandissimi. Intellexi ex literis Dominationum vestrarum, utramque illarum Cracoviae nuper fuisse et nomine sermi. domini Ungariae regis, domini sui, quaedam ad pacem et concordiam cum adversario ineundam necessaria cum magnifico domino castellano et capitaneo Cracoviensi communicasse et egisse, quae eadem et mihi, si istic adfuissem, erant communicaturae Dominationes vrae. rmae. Et equidem ego cum propterea, tum etiam quod nullo officio studia voluntatis et acclinationis meae hactenus serenissimo domino regi Joanni et Dtionibus. vris. declarare potuerim, mirifice doleo, me tantopere aegritudine impeditum et longiore locorum intervallo disjunctum a Mte. sua et D. vestris abfuisse, tum quia non mea culpa sit hoc admissum, puto ad voluntatem Dei potius et fatorum ordinationem referendum esse, quam negligentiae vel rusticitati meae attribuendum. Absenti etenim mihi, quod affirmare audeo deerat nunquam ea faciundi et praestandi animus, quae vel ad officium meum pertinerent, vel ex voluntate et sententia sermi. illius Majestatis et Dtionum. vrarum. essent.

Plane istis nunc literis Dtionum. vrarum. ego sum majorem in modum recreatus, quod ex illis

[1]) Kod. Sap.: Częstochowam. — [2]) Feria 3 ante Magdal. przypadała na 14 lipca. Pod minutą zapisał Tomicki: Non scribatur adhuc dies dat. utque in literis ad doctorem Borgk. Na brzegu minuty zanotował Górski datę: 18 Julii 1528. — [3]) Na minucie dopisał Tomicki: Gorski senior, co niezawodnie znaczyło, że Górski starszy miał ją przepisać.

illis perspexi ductu et consilio D. vrarum. sermum. regem et dominum illarum ad pacem et concordiam inclinare animum incipere. Namque ea res ad ingens totius reipublicae christianae commodum et utilitatem tum etiam Dominationum vrarum. et ejusdem serenissimi domini regis sui, simul et nostram omnium consolationem spectare videtur. Faxit Deus Omnipotens, ut quemadmodum coepit Majestas sua velle pacem, ita felicissime et cum bono publico eam perficiat et cum adversario suo redeat in gratiam. Quod autem mihi conditiones ex voluntate illius Majestatis propositas Dtiones. vrae. rmae. non perscripserunt, boni consulo, ut res secretior et magis celata esse possit, nec enim magni interest, me eas interim, quod venio Cracoviam, ignorare, cum praesertim sermae. regiae Majestati domini mei eas perscripserit dominus castellanus Cracoviensis. Ego enim quanto celerius me hinc absolvere potuero, tametsi tumentibus et vacillantibus nonnihil adhuc pedibus, Cracoviam me conferam libenter et illic omni opera, cura, diligentia, studio denique ac officiis meis agam et praestabo sedulo, quae et ad publicam utilitatem et sermi. regis Joannis dignitatem et splendorem arbitrabor pertinere. Dominationum vestrarum etiam consuetudine et familiaritate frequentata jacturam intermissi usus sartiam. Quarum me interea amori et benevolentiae fraternae ex animo commendo simulque rogo, ut me, officia servitutemque meam per occasionem sermo. domino regi suo commendent, ipsae vero sint felicissimae et optime incolumes et me diligant. Datum in Kyelcze.

348. Christ. Szydłowiecki, cast. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Archiwum Wiedeńskie, (list orygin. z własnoręcznym podpisem).

Sacra et serenissima regia Majestas et domine domine clementissime.

Post servitutis meae in gratiam sacrae Majestatis vestrae commendationem. Quando magnificus dominus Petrus Opalinski, castellanus Myedzirecensis, apud sacram Majestatem vestram oratorem ageret, scripseram, ut impetraret apud eandem serenissimam Majestatem vestram salvum conductum et perfectam securitatem generoso ac strenuo domino Mylosch, quondam praefecto in Skalicza, et quod obtineret idem dominus orator apud sacram Majestatem vestram, dignaretur eum in servitorem et aulicum suum suscipere. Scripseram hoc ipsum et reverendissimo domino Tridentino ac spectabili et magnifico domino Vilhelmo, magistro curiae supremo. Negotium in hunc usque diem non est expeditum, quia forsan orator serenissimi domini mei erat impeditus aliis negotiis arduis et majoris momenti. Quare iterum et iterum supplico sacratissimae Majestati vestrae, dignetur praefato domino Petro Mylosz clementer concedere salvum conductum hinc ad festum purificationis gloriosissimae virginis Mariae proximum ad regna et dominia ac in aulam et conspectum Majestatis vestrae sacratissimae cum sex vel quinque personis et equis veniendi, standi, morandi, negotia sua agendi et disponendi dispositisque vel indispositis rursus abeundi. Causa est, ob quam petit salvum conductum: occidit enim hominem casu et nolens, qui eum invaserat, de quo homicidio vellet se coram sacra Majestate vestra justificare tanquam coram domino suo gratiosissimo et hereditario, in cujus gratiam me et servitia mea iterum atque iterum sacratissimae Majestati vestrae commendo, quam dominus Deus omnipotens in multos annos felicem atque incolumem servare dignetur. Datum in arce Cracoviensi XX die mensis Julii, anno domini MDXXVIII.

Ejusdem sacratissimae Majestatis vestrae humilis servitor

Cristoforus de S. cast. et c. Crac.
ac r. P. cancellarius, manu sua.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny z własnor. podpisem).

349. Christ. Szydłowiecki, cast. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Sacra et serenissima Majestas et domine domine clementissime.

Post servitiorum commendationem. Est mihi cum magnifico domino Jacobo de Thornalia, alias thesaurario regni Hungariae, vetus amicitia cogorque jure et officio hujusmodi amicitiae rebus ipsius, quantum pro mea civili possum, prospicere, ne quid inter ista disturbia detrimenti accipiat. Spero ipsum vestrae etiam Majestati per amicos et propinquos suos, vestrae sacrae Majestati fideles, esse commendatum.

Supplico tamen et ego sacrae Majestati vestrae tanquam domino meo clementissimo, dignetur suis belli ductoribus committere, ne quid hostile contra eum aut in ejus bonis ac possessionibus attentent, sed suscipere eum dignetur vestra Majestas cum ejus bonis in suam protectionem, quod ego quoque omni genere servitiorum apud vestram Majestatem conabor promereri.

Potuit intellexisse sacra Majestas vestra, eum superiori tempore duxisse in uxorem illustrem et magnificam dominam Catharinam, comitem de Frangepanibus, sororem germanam reverendissimi domini archiepiscopi Colocensis, qui et ipse licet sit apud adversarium vestrae Majestatis, brevi tamen spero intellecturam Majestatem vestram, illum quoque non esse alienum ab optima vestrae Majestati serviendi voluntate. Sed de hoc ante tempus non possum apertius ad vestram sacram Majestatem scribere. Interim domini Jacobi negotia in gratiam ac tutelam vestrae sacrae Majestatis humiliter commendo et me quoque ipsum ac servitutem meam. Datum in arce Cracoviensi, die 21 Julii, anno domini 1528.

Ejusdem sacratissimae Majestatis vestrae humilis servitor

Cristoforus de S. cast. et c. Cracoviensis
ac. r. P. cancellarius, manu sua.

Teki Górskiego, nr. 787 (odpis Górskiego). Kod. Karnk. X, 44. Kod. Sap. VII, 168.

350. Clemens Papa Septimus Sigismundo primo, regi Poloniae.[1]

Charissime in Christo fili. Salutem et apostolicam benedictionem. Literas Mtis. tuae ex urbe Vilna XXIII Aprilis ad nos datas proximis diebus accepimus, quibus primo loco significat, alias suis literis nobis significasse, quanto dolore ex urbis Romae calamitate nostraque oppressione fuerit affecta, hactenus tamen nihil responsi a nobis accepisse; deinceps declarat, qualis suus fuerit ex rebus nostris labantibus atque afflictis moeror et perturbatio, et quae rursus, ubi nos tantum discrimen evasisse cognovit, ejus gratulatio. Postremo nos prudenter hortatur, ut duorum regum Ungariae dissidia et contentiones sedare et tollere conaremur, qui regnum illud olim florentissimum, sed nunc Turcorum rabie et devastatione magna in parte concussum et exinanitum, intestino bello funditus perdere nituntur.

Nullae certe literae a Mte. tua ad nos fuerunt perlatae, quae responso caruerint. Nulla enim scripta ab ea emanant, quae a nobis parvi momenti habeantur. Acerbissimum tamen illum casum, qui nos tantopere afflixit, idcirco explicare praetermisimus, ne aut animum Mtis.

[1]) W Tekach: Historia direptae Romae a caesarianis in anno 1527 in Majo. — W kod. Karnk.: De Roma direpta a caesarianis anno 1527.

Mtis. tuae angeremus querelis aut nostris cicatricibus saepius manus afferendo plaga iterum recrudesceret dolorque exasperaretur. Ad hoc accedit, quod a venerabili fratre nostro Laurentio, episcopo Praenestino, cardinali Sct. Quatuor nuncupato, cognovimus eam omnem hujus infaustissimi casus seriem totamque harum rerum faciem suis literis Mti. tuae jam pridem significasse. Quod vero eadem Majestas tua de tam truculento, tam saevo, tam horrido nostro totiusque Romanae ecclesiae infortunio adeo vehementer ingemuerit seduloque cum caesare aliisque principibus pro ereptione et incolumitate nostra elaboraverit, optimi procul dubio et religiosissimi regis munus explevit, cujus consilia studiaque omnia ad pietatem et divinum cultum semper referuntur. Nec mirum est Mtem. tuam, in qua nihil est nisi insigne et praeclarum ac omni ex parte perfectum, nostris cladibus indoluisse, quum nemo sit — (nisi forte christiani nominis hostis) — qui de tanta rei indignitate non doluerit, non pientissime religionis deploraverit aerumnas, non sese intolerabili dolore confecerit. Quum tamen gravem et peracerbam et irrecuperabilem cladem universa ecclesia susceperit, sine tamen culpa nostra, quum nos ab initio nostri pontificatus omnes curas, studia et vigilias eo contuleramus, ut omnes odiorum faces, quibus christiani principes mutuo exardescunt, penitus exstinguerentur, illaque aliquando elucesceret dies, quo pace in christiana republica conciliata adversus perniciosissimos fidei hostes concordibus animis vires armaque converterentur, in eosque omnis ea pestis redundaret, quam in christianum gregem assidue machinantur, quod frequentibus et literis et nuntiis etiam a latere nostro legatis ad caesarem, nec non Galliarum et Angliae reges missis perspicue ostendimus, futurum sperantes, ut dissidentium animi tandem flecterentur ad sanitatemque redirent, licet antiquo illo humani generis hoste insidiante lateque venenum ubique fundente, omnes nostri conatus fuerunt irriti et inanes. Superiori autem anno cum Carolo de La Noi, vicerege Neapolitano, cui a caesare plena ad hoc ipsum agendum demandata erat facultas, ea lege indutias novem mensium inivimus, ut ubique ab armis omnique hostili conatu supersederetur et interim de pace in universum constituenda agi posset a nobisque omnino confirmari, qui tunc maxime Deo placemus, quum omnes aeque diligimus nullumque pro injuria vicem reddimus: ecce repente nobis improvidis nihilque tale cogitantibus et penitus omni praesidio vacuis exercitus caesarianus urbem Romanam, sedem ipsam et domicilium apostolicum, hostiliter invasit, irrupit, diripuit ac in praedam vertit, et caede, sanguine, rapinis omnia replevit, ea patrando, quae nulla unquam barbaries, nulla gens tam aspera et efferata tentare est ausa, et quae omnem humani ingenii captum longe superarunt. Quae ideo silentio praeterimus, quod toti prope orbi sunt vulgatissima, tunc ne acerbiorem ex hac recordatione dolorem incendamus, quum omne vulnus eo magis exulceretur, quo attractatur saepius. Et licet Mtas. tua, de cujus clarissimis actionibus quo magis magisque in dies cogitamus, eo majori charitate adversus ipsam inflammamur, suis literis optet, ut haec tanta adversitas pariat in posterum nobis immortale decus et toti ecclesiae salutem ac incrementum: sciat tua Majestas ex hac adversa tempestate in tantam rerum difficultatem nos esse conjectos, ut de universo ecclesiae statu quandoque dubitare cogamur. Omnibus enim opibus ac facultatibus exuti spoliatique penitus sumus. Oppida, castella ac municipia, quae ecclesiasticae ditioni plenissimo jure subjiciuntur, partim caesariani exercitus diripuerunt, partim aliorum regum et potentatuum copiae violenter usurparunt Et nisi Deus, hujus mundi conditor ac gubernator, ad quem assiduas sine intermissione preces effundi mandavimus, benignissimos suos oculos in hoc converterit, ut reges christianos ad pacem et unionem reduxerit, videmus rempublicam christianam ab ultimo exitio non procul abfuturam. Idcirco assidue in luctu

et moerore

et moerore tabescimus, ne quid ob sortem nostram, qui, quaecunque secreto quodam et abdito Dei judicio fiunt, patientissimo animo toleramus, sed universae ecclesiae lapsum et praecipitium deploramus, nec temporis diuturnitas luctum hunc nostrum minuit, sed potius auget. Nam ceteri dolores mitigantur diuturnitate, hic et sensu praesentis miseriae et recordatione praeteriti status quotidie augetur.

Quod vero Mtas. tua suadet, nos operam nostram interponere, ut inter duos reges, qui de ditione regni Ungariae armis decertant, ratio aliqua concordiae ineatur, utinam ceteri principes eo, quo Mtas. tua, sua studia, opes, industriamque converterent, et si non sua sponte, saltem tuo exemplo monerentur, ne gladios in christianorum viscera, sed in truculentos fidei hostes vibrarent; melius certe et commodius, cum rebus christianis humanius ageretur. Nam omnia incommoda et aerumnas, quibus respublica christiana laborat, dissidia et simultates nostrorum principum invexerunt, a quibus Majestas tua longissime abest, quae nonnisi pro cultus divini propagatione et tranquillitate contra haereticos et scismaticos arma movet et pulcherrima militia se exercet. Itaque omnes conatus tui et secundi sunt et semper prosperi, et Deus ipse, qui curat omnia et dijudicat, comitatur te semper tuisque integerrimis cogitatis salutiferisque operibus delectatus te quotidie laetioribus rebus felicioribusque amplificat. Quapropter Majestas tua eodem felicitatis tenore cum his regibus, qui sunt ambo tibi affinitate devincti, alter consanguinitate, nostro et tuo nomine, qua polles singulari prudentia, agas, ut ad concordiam redeant, sin minus benevolentia ducti ac saltem communis hostis formidine, ne patiantur letiferum illud Turcorum virus latius serpere et tantam pestem perniciemque adversus christianam rempublicam diutius debacchari. Arbitramur autem divina opitulante gratia Mtem. tuam, qua est apud utrumque auctoritate et veneratione, facile ex eorum corde omnem simultatem, omnia odiorum irritamenta excussuram. Quae res non parum valebit ad tuas laudes in omnem posteritatem propagandas. Te autem — (ut vere et ex animo mentem nostram depromamus) — Deus hac tempestate generi humano exhibuit, quem ceteri omnes principes perinde atque expressum aliquod ac solidum totius bonitatis atque laudis simulacrum inspiciant atque imitentur.

Quod ad privata regni tui negotia attinet, ea quae a nobis optasti, pro nutu et voluntate tua concessimus, ut ex brevibus nostris et ex literis praefati regni tui protectoris plane cognoscere poteris, et deinceps quicquid pro gloria, dignitate atque ornamento rerum tuarum praestare poterimus, te ea pietate ac munificentia prosequemur, quas et tuae incredibiles sublimesque virtutes et nostra in te charitas ac benevolentia postulant. Datum Viterbii sub annulo Piscatoris, die vigesima secunda Julii. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny własnoręczny).
Teki Górskiego, nr. 1069 (minuta Maciejowskiego z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 180.
Kod. Sap. VII, 192.

351. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Sacra regia Majestas et domine, domine clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Cum magnificus dominus Joachimus de Maltzan in baronatu Grauppen et Toplicz, consiliarius et orator Majestatis vestrae serenissimae, habens ad me literas et mandata Majestatis vestrae, in magnum ducatum Lithuaniae ad Majestatem serenissimi domini mei proficisceretur Cracoviaeque, iter illac faciens, me non offendisset, literas quidem Majestatis vestrae et suas illinc ad me transmisit; mandata vero magnifico

magnifico domino castellano et capitaneo Cracoviensi verbis exposuit, quorum ille me postmodum diligenter fecit participem. Ex quibus sane omnibus hanc ego esse Majestatis vestrae serenissimae perspexi voluntatem, ut, quae a Majestate serenissimi domini mei nunc petit vel olim petitura esset Majestas vestra serenissima, cura, opera diligentiaque mea promoverem et quantum in me esset, Majestatem vestram serenissimam illorum facerem esse compotem. Et equidem ego, serenissime rex, tametsi pro eo, quod in omnibus studiis et officiis fraternis sponte sua inclinatam et propensam esse Majestatem domini mei adversum Majestatem vestram serenissimam semper noverim, nullis nunc quoque stimulis in eo putem egere, ne videlicet adversario Majestatis vestrae serenissimae consilio vel auxilio aliquo adesset, neve illum pateretur in regno suo delectum facere et milites scribere: ut tamen obsecutus magis videar Majestatis vestrae voluntati, agam cum eadem Majestate domini mei, uti mihi mandat Majestas vestra, daboque diligentem operam, ut et cetera omnia, quae ad augendam amplitudinem et dignitatem Majestatis vestrae serenissimae praestari possent, et ea quae nunc per oratorem postulat a Majestate sua, consequatur Majestas vestra serenissima, quamvis et jam esse ea consecutam Majestatem vestram, a nemine dubitari potest, cum neque auxilium neque consilium neque delectus faciundi facultatem ullam hic adversarius Majestatis vestrae hactenus habere potuerit. Ceterum supplico Majestati vestrae serenissimae, ut me clementia sua prosequi dignetur, neque dubitare velit, me in officiis et opera diligenti praestanda semper illi praesto futurum esse. Cui iterum atque iterum servitutem meam suppliciter commendo felicissimamque esse et optime incolumem vehementer desidero. Datum in oppido meo Kyelcze, die XXIII Julii anno domini MDXXVIII.

Ejusdem Majestatis vestrae serenissimae humilis servitor et capellanus

Petrus episcopus Cracoviensis
et vicecancellarius.

352. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Joachimo de Maltzan, consil. et oratori Ferdinandi regis.

Teki Górskiego, nr. 972 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 179.
Kod. Sap. VII, 193.

Magnifice domine et domine amice honorande. Accepi literas et Magnificentiae vestrae et sacrae regiae Mtis. sermi. principis domini Ferdinandi, Ungariae et Bohemiae regis etc. Simul etiam intellexi ea, quae mihi nomine illius Majestatis Mgcia. vra. communicare debuerat; nam omnia ea mgcus. dominus castellanus et capitaneus Cracoviensis, prout cum Magnificentia vra. constituerat, diligenter ad me transmisit. Ad quae quidem ego me sedulo ita comparabo, ut et sermo. dno. regi Ferdinando nihil in officio meo desiderandum relinquatur et mihi cumulatior illius Mtis. gratia et clementia comparari possit. Scripsi etiam ad Mtem. suam sermam. literas, deferens illi ad ea, quae mihi mandare dignata est, operam, officium, servitutemque meam, quas, rogo, nomine meo Mgcia. vra. reddat illius Mti. et meam servitutem et orationes verbis suae Mti. commendet. Ipsa vero Mgcia. vra. sit optime incolumis et semper felix. Datum in oppido meo Kielcze die XXIII Julii 1528.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny z pieczątką).

353. Mathias Drzewicki, epus. Wladislaviensis, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Sacratissime et invictissime rex, domine domine praestantissime et observandissime. Orationibus et promptitudine serviendi in gratiam vestrae sacrae Majestatis humiliter commendatis. Quam addictissimus semper sanctissimae domui et beatissimis progenitoribus vestrae s. Majestatis plures legationes nomine serenissimorum regum Poloniae etc., dominorum meorum clementissimorum, apud eos obeundo fuerim, Deo omnipotenti notum est et pluribus ecclesiasticis et saecularibus principibus ac etiam dignissimis aliis viris inclitae nationis Germaniae incognitum non est, qualem vero mandato serenissimi moderni regis mei me exhibuerim circa sacrae imperialis Majestatis electionem, principes, qui aderant, testentur, quo vero affectu vestrae sacrae Majestatis modernas et praesentes actiones prosequor, dignissimi viri oratores et ceteri fautores rerum vestrae Majestatis referant, ita ut sine stimulo adhibito tota devotione propensioneque in vestrae sacrae Majestatis desideria curro et praecipue quod ex certo sciam, serenissimum regem meum maximo et insuperabili amore prosequi vestram Majestatem et omnes res ejus. Quia autem vestra sacra Majestas benignitate sua per oratorem suum magnificum dominum Joachimum et per literas dignata est me cohortari, ut favore et obsequio non desim rebus suis praesentibus, tametsi praefatum dominum oratorem non viderim, longe ab eo loco, ad quem devenerat, sepositus, tamen magnificus et illustris dominus Cristofferus de Schidlowecz, Cracoviensis castellanus et capitaneus ac regni magnus cancellarius, vestrae sacrae Majestati integra sinceritate addictissimus, et literas vestrae sacrae Majestatis mihi misit et desiderium vestrae sacrae Mtis. sibi per oratorem vestrae Majestatis concreditum mihi insinuavit fideliter. Literae siquidem vestrae sacrae Majestatis mihi sunt gratissimae et meum animum ita firmarunt in rem vestrae Majestatis sacrae, ut de mea fide et observantia omnia sibi polliceri potest, ita ut quod opera et studio non potero, orationibus implebo, favens ex cordis intimo, ut tandem vestra s. Majestas in istac actione prosperetur et receptui canat ac demum adversus et istos Jesu hostes perfidissimos victoriosos triumphos ope Dei cum gloria sua perhenni edat, me vero semper sibi faventissimum experietur, licet nesciam addere quicpiam ad eum amorem et favorem, quem certissime scio serenissimum regem meum sincera voluntate gerere erga vestram s. Majestatem. Quam Deus omnipotens semper sospitem felicem et victoriosum faciat, cujus gratiae tota me humilitate commendo. Ex Volborz, 24 Julii 1528.

Vestrae sacratissimae Majestatis capellanus et servitor

Mathias Drevitius, episcopus Wladislaviensis.

Teki Górskiego, nr. 1071 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 181.
Kod. Sap. VII, 194.

354. P. Tomicki, eps. Crac., vicecancellarius, Christ. Szidlovicio, cast. Cracoviensi, cancellario.

Magnifice domine, domine et amice honorandissime. Tametsi audiatur adhuc nihil de reditu dni. Joachimi de Maltzan, oratoris serenissimi domini regis Ferdinandi, ego tamen in omnem eventum, ut in parato sit illi res mea, literas scripsi et ad sermum. dnum. regem Ferdinandum et ad oratorem ipsum, utrique respondens. Quas quidem literas mitto in manus Magnificentiae vestrae simulque illam rogo, ut, cum istuc venerit is ipse orator, illas

illas ei meo nomine det oretque illum, ut cum ita sors tulit, quod ego ipse videre illum et alloqui non potuerim, sermo. domino regi suo me et servitutem meam plurimum commendet.

Legi exempla literarum, quae per cubicularium regium Borowski misit ad me vestra Maficentia, cui ago et habeo magnas gratias, quod eorum, quae ad eam scribuntur et quae me scire licet, non gravetur me facere participem. Optime valeat Magnificentia vestra felixque sit quam diutissime et incolumis cum suis omnibus. Dat. in Kyelcze die sancti Jacobi apostoli. 1528.[1])

Servitor Petrus, episcopus Crac. et vicecancellarius.

355. Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Archiw. biskupie we Fromborku (A. 1. fol. 47b).

Post fidelem et officiosam observantiae, servitiorum et fidei meae exhibitionem. Serenissime rex et domine clementissime. Ex quo superioribus diebus scripseram sacrae regiae Mti. vrae., quoniam ad exsequendum mandatum et voluntatem s. M. vrae. in deputatione probatorum ac aliarum rerum, quae ad monetae negotium pertinent, harum terrarum Prussiae s. Mtis. vrae. consiliariis conventum indixissem Marienburgi pro festo divisionis Apostolorum[2]) celebrandum, qui tamen dominis consiliariis sic petentibus et melius esse judicantibus in Thoroniam ad dominicam post divisionis Apostolorum[3]) translatus est atque ibidem celebratus idque propter monetae officinam illic erectam, in qua multa sunt, quae rectius visu quam ...[4]) comprehendi, certius manuum attactu, quam imaginaria contemplatione tractari celeriusque coram, quam per absentiam in effectum poni possunt, ad quem conventum etiam personam meam propriam referre omnino destinaram: sed cum jam jam omni profectione adornata in procinctu viae starem, tum subito oritur mihi coeleste bellum tantaque aquarum inundantia effusa est, ut non pluviae, sed diluvii speciem prae se ferre videretur. Harum aquarum moles tanta me jactura in episcopatu meo affecit, ut praeter duodecim molendina frumentaria, quae partim aggeribus et obstaculis ruptis funditus collapsa sunt, partim semiruta supersunt, fluvius castrum Heilsberg praeterlabens tribus aggeribus ruptis magno impetu muros et turres castri exterioris concusserit et pene dejecerit. Qui hactenus etiam, cum vis[5]) tentatum sit, captus non est nec modico negotio capi poterit, quemadmodum hic sacrae M. vrae. cubicularius oculis suis vidit et coram referet sacrae M. vrae. Sed nec me solum haec calamitas tetigit, communis fuit et vicinis meis, in ditione enim illustris domini Prussiae ducis aliquot oppida navigabilia fecit, aliquot etiam pro magna parte aquis subluentibus secum abstulit, taceo segetes oppressas, prata ad fenicidium inutilia reddita et plura id genus mala, quae haec coeli inclementia de voluntate domini (cujus nomen semper sit benedictum) mihi intulit, quibus aures sacrae M. v. obtundere supervacaneum duxi. Haec sunt, sacratissime rex, quae, ne ad conventum Thoronensem proficiscerer, cum nihil omnium maluissem, ut praemissa pericula cum familia et equis meis providerem pro hac evidenti necessitate, me domi continuerunt. Nihilominus tamen misi eo nuntium meum canonicum ecclesiae meae Warmiensis cum plena facultate et bona omni, quae ad monetariam rem pertinet, informatione. Is meo nomine una cum ceteris dominis consiliariis ea, quae voluntatis sacrae Mtis. vrae.

[1]) D. 25. 7. 1528. — [2]) D. 15. 7. 1528. — [3]) D. 19. 7. 1528. — [4]) Wyraz skrócony nieczytelny: ? r a t i o n i b u s albo v i i s r a t i o n i s. — [5]) Pewnie zam. quamvis.

vrae. sunt, ita curabit, ut universa bono fine concludantur et in effectum deducantur optatum. — Ex Brabantia pro vero mihi nuntiatum est, quod indutiae octo mensium inter caesaream Majestatem et Galliarum regem intercesserint. Quae an etiam Italiam ac circa ipsam regiones comprehendant, mihi inexploratum est. Haec habui, sacratissime rex et domine clementissime, quae pro mea in sacram M. v. fide et observantia latere nolui eandem s. M. v. Quam Deus Opt. Max. nobis omnibus ac toti reipublicae christianae una cum sacra reginali Mte. ac illustrissimo filio suo diu servet incolumem ac florentem, cuique me ac ecclesiam meam cum omnibus fortunis nostris devotissime ac diligentissime commendo. Ex arce Heilsberg, die Jacobi apostoli, anno domini MDXXVII.[1])

Teki Górskiego, nr. 973 (list oryginalny).
Kod. Karnk. X, 137.
Kod. Sap. VII, 134.
Kod. Kórnick pism Krzyckiego, nr. 174.

356. Andreas Cricius, epus. Plocensis, Petro Tomicio, epo., vicecancellario.

Reverendissime in Christo pater et domine mi colendissime. Cum iste puer meus haberet negotium domum proficiscendi, volui, ut ad vram. rmam. Dtionem. descenderet et illam meo nomine inviseret, cui rursus de recuperata valetudine plurimum gratulor, nam profecto ipse leatari satis non possum.

Misi his diebus ad Mtem. regiam Carolum, canonicum meum, in illo negotio contributionis, non subterfugiendi illius causa, sed ut ex ipsius Mtis. regiae documento et praescripto id fieret in ea re, quod et voluntati Mtis. suae satisfaceret et juribus ecclesiae meae meaeque existimationi non officeret; sic enim visum est non meo solum capitulo, sed etiam dominis aliquibus saecularibus.

Commisi etiam illi,[2]) ut domino[3]) episcopo Camenecensi offerret bonam praebendam ecclesiae meae pro illo suo plebanatu Zambrowiensi, vel illum ad finiendam causam apud Sedem apostolicam citaret. Utrum eorum eliget, nescio. Scripserat mihi dnus. Choienski ante festum Paschae, illum cristas et spiritus illos suos demisisse mecumque aequanimiter componere velle, quae causa me potissimum induxit, ut praebendam hanc illi in contentationem offerrem. Verum intellexi nunc ex literis dni. Premisliensis, illum rursus nescio quas famosas in me literas ad eum scripsisse; unde hunc animum resumpserit, nescio. Quamvis vero tantum abest, ut aegre sustineam has illius intemperias, ut etiam propemodum gaudeam, talem mihi datum vitiligatorem, qualis maledicentia plus laudis afferre solet, quam vituperii, non solum probatis viris, sed etiam improbis, siquidem neque Lutherum ulla res magis in altum provexit magisque hominibus ab initio commendavit, quam ineptorum stolidorumque hominum et scriptorum concertatio et rursus nihil illius causam magis gravavit, quam istiusmodi in summates viros maledicentia, tamen cum hactenus meus iste molossus neminem ex ordine nostro pontificali et senatorio non turpissimis probris apud homines et compotores suos affecit neque ab ipsa etiam Mte. regia temperavit, in quam olim et Vilnae turpissimum libellum famosum conficta manu scripserat et sermonibus saepissime diffamavit, ne plura commemorem, eaque omnia impune, unde jam reliqui fatui passim dominos infamandi audaciam sumpserunt, et quandam tyrannidem sibi maledicentia usurparunt, ita ut jam vulgo ab illis donis et pretio fama dominorum redimi

[1]) D. 25. 7. 1528. — [2]) Górski zmienił w Tekach na: Commisi etiam eidem Carolo, canonico meo Plocensi. Tak też w kod. Karnk. — [3]) Górski dodał w Tekach i w kod. Karnk.: Miedzileski.

redimi videatur, quod rectene an perperam fit, viderint alii: ego operam meam adhibebo, ut haec ex inediis silvis, uti se scribit ipsissima belua, cornua in me non impune obvertisse videatur.

Ceterum mitto vrae. rmae. Dtioni. carmina illa adversus cymbam, quae habere voluit, sed nolui mittere absque talione extemporaneo, ne quid illam commoverent, nam jam compertum habeo, illa ex ea officina, de qua prius scripsi, prodiisse, ubi cum vetus est querimonia, consiliis et officialibus modernis Rempublicam perire, conclusum est epigramma: tui simili est perdita Roma rate. Alioquin carmina sunt satis inepta et pedibus alicubi claudicantia, ut Gallicum puerum[1]) aut ejus dominum[2]) redoleant. Nam ea ille multis cum sua magna voluptate legere solet. Et proinde necesse est adhuc illis uberius recantare, ut posthac perpendant, quid sit in eos scribere, qui et rescribere sciunt et referre possunt. Commendo me gratiae vrae. rmae. Dtionis., quam dnus. Deus servet diutissime sospitem et felicem. Ex Ploczko die vigesima septima Julii. Anno dni. M. D. XXVIII.

357. Certamen poëticum inter Cymbam (Łodzia) stemma Tomicii et Corbitam (Korab) stemma Łaskii.

I. Cymba loquitur.

Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 176.

Kod. Karnk. X, 137. Cymba Tomiciana de se ipsa. — Cricius fecit.

Kod. Sap. VII, 135.

Andreae Cricii carmina, ed. Casimirus Morawski, pag. 156, nr. LVII. W Stan. Hosii Epistolae, T. I. p. CXL, mylnie przypisano Hozyuszowi. Nadpis ACE PL oznacza A(ndreas) C(ricius) E(piscopus) Pl(ocensis).

II. Navis responsio per F. Chi. Gallum.

Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 177.

Kod. Karnk. X, 137.

Kod. Sap. VII, 135.

A. Cricii carmina, ed. C. Morawski, p. 157, nr. LVIII, Corbitae responsio ad Cymbam ex parte Joannis Łaski, archiep. Gnesn. (Aniani Galli). Anianus zdaje się być pseudonimem literackim poety, którego nazwisko rodowe oznaczają początkowe litery F. Chi.

III. Responsum pro Cymba per G. Phi. Hispanum.

Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 178.

Kod. Karnk. X, 137 i Kod. Sap. VIII, 135. W obu kodeksach pod tymże tytułem, co w Kod. Kórn. pism Krzyckiego.

A. Cricii carmina ed. Morawski, p. 158, nr. LXI: Responsum pro Cymba in Corbitam — przytaczają ten wiersz, jako Krzyckiego. Czy G. Phi. Hispanus oznacza tylko pseudonim Krzyckiego, trudno rozstrzygnąć. Górski w kodeksach nie zanotował, iż to utwór Krzyckiego.

IV. Corbita sese laudat.

Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 184.

A. Cricii carmina ed. C. Morawski, p. 158, nr. LIX.

V. In Corbitam Cricius.

Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 185.

A. Cricii carm. ed. C. Morawski, p 158, nr. LX.

[1]) W Tekach i kod. Karnk. dopisał Górski: Anianum. — [2]) W Tekach i kod. Karnk. dopisek Górskiego: Jo. Laski praepositum.

VI. Cymba navi respondet.

Kod. Kórn. pism. Krzyckiego, nr. 186. Hosius fecit.
Kod. Karnk. X, 137. Alterius cujusdam. — Kod. Sap. VII, 135: Hosii.

Vasta ratis, nisi te multo praestantior essem,
Non invisa tibi sic mea fama foret.
Ut feriunt summos ardentia fulmina montes,
Sic mordax livor non nisi summa petit,
Non opus est igitur, cum tu fatearis id ipsa,
Dicere me, quam sim cymba ego nobilior,
Non opus id ostendere multis, soricis instar
Indicio prodis te ratis ipsa tuo;
Et tamen, ut ne habeas, quo te cui nomine jactes,
Quae mea sit virtus, quae tua, disce, ratis.
Quod mihi tu vitio das, quod sim exilis, honori
Id mihi permagno duco, nec immerito,
Quod moli demptum est, magna virtute rependi
Id solet, unio erit parvulus indicio,
Quem mole ut superant permulta immania saxa,
Sic longe cedunt viribus et pretio.
Una carina duas cymbas capit et lapis unus
Mille capit gemmas, numne ideo est melior?
Impedit haec moles aliquid, quin gemma sit omni
Saxo chara magis, quamlibet exigua.
Sed medio ire negas pelago me firmiter, idque
Praecipue quando magna procella venit.
Non ibo infitias, mihi ni nauclerus adesset
Talis, quin essent multa pericla mihi.
Sed quod me nulli possunt subvertere venti,
Quod nullis mergi fluctibus ipsa queo,
Naucleri virtus facit, haud invita fero illi
Acceptum hoc, tota est gloria pontificis.
Hic me per medias Syrtes mediamque Charybdim,
Per Scyllam absque tuo duxerit auxilio.
Hoc duce sim quamvis nullis revincta catenis,
Ut falso vates carmine falsus ait,
Hoc rectore tamen vastum penetrabo per aequor
Atque moram faciet nulla procella mihi.
Quin ubi saevit hiems tempestatesque sonorae
Et coelum eripiunt eripiuntque diem,
Tum me vectores, tum me nauclerus et ipse
Certatim inscendunt teque valere jubent.
Quid quod et ad portum poteris adpellere nunquam,
Auxilio fueris ni prius usa meo?
Quid quod ut annosa es — si quid proverbia veri
Dicunt — per medium non potes ire mare?
Quare si ventis permittas vela, carere
Non unquam tutum est me tibi vasta ratis.

Jam quod de Petris memoras aenigma, carina,
Indiget auxilio Sphyngis et Oedipodis.
Vatem hortare tuum, scholiis illustret ineptis
Versiculos, si a nobis vult sua dicta capi
Et velis, ut ne iterum dicat nec quivis id illi,
Namque solent, quis lex cognita nulla pedum.
Pectore ni careas, hoc, credo, fateberis ipsa,
Quod pulchre inter se Cymba Petrusque quadrant.
Convenit iis navis, quibus arma horrentia cordi,
Quos cauponando vitam aluisse juvat,
Ast ego ei, verbis qui praeceptoris Jesu
Post pisces homines prendere jussus erat,
Pontifici sacro, cui cymba ecclesia sancta est,
Pisces sunt homines, retia verba sacra.
Sed finem faciam neque enim contendere tecum
Est animus, nec me rixa proterva decet.
Naves, non cymbas, probris ait esse refertas
Maeonides, partes non mihi sumo tuas.
Hoc ubi narraro, verbum non amplius addam,
Quin abeas, in me non erit ulla mora.
Quantum nobilitate praeit, virtute et honore,
Culmine, doctrina, moribus, ingenio,
Versibus excultis qui me celebravit, ineptum
Vatem, cui mea laus invidiosa fuit,
Qui dum posse putat mihi se maledicere, planum
Fecit, se melius non didicisse loqui,
Tantum ego praesto tibi, navis. Nunc i, fuge navis,
I, fuge et hoc tempus sic periisse piget.

VII. Petrus Conarski.

Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 188.

Lignea sim quamvis, te hortor tamen, aurea puppis,
Ne me contemnas, sim licet exigua.
Scis etenim, quantum soleo tibi ferre, carina,
Auxilii, portum tangere dum ipsa nequis.
Nec miror portum te nunquam tangere posse:
Velis et remis consilioque cares.

VIII. Michaël Wrantius Dalmata.

Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 189.

Tu ratis in vento spem ponis semper inani,
Deserit hic, si te pergere sola nequis.
In vento nullam spem pono cymba ego, verum
In virtute mea viribus atque meis.
Tu contra ventos, tu, si silet aequor apertum,
Ire nequis quoquo, provehor ipsa tamen.

IX. Dictum doctoris Misskowski.

Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 190.
A. Cricii carmina, ed. C. Morawski, p. 159, nr. LXII.

X. Cymba ad Corbitam.

Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 187. Górski dopisał: Aniani Galli, lecz mylnie, gdyż to epigram przeciwko Korabiowi Łaskiego.

Ampla ratis si vis quandoque attingere portum,
Me, moneo, exilem reconciliato tibi,
Nam[1]) aliud sine me poteris, quam errare per aequor,
Et voti nullo tempore compos eris.
Ast ego, quo visum est, sine te queo solvere, quando
Visum est, absque tua tangere litus ope.
Quid quaeris? sine te cymbae licet esse carina,
Ast sine me exili non licet esse tibi.

Kod. Karnk. X, 138.
Kod. Sap. VII, nr. 136.
Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 175.

358. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Rme. mi domine. Scripsit iterum mihi Ardelio noster,[2]) postulans, ut secum in bonis ejus convenirem aut, si id facere gravarer, ipse ad me ut canonicus meus venire vellet. Respondi paucis: me in praesens hinc vel latum digitum discedere non posse, venire illum ad me mea causa esse indecens, verum si causa refectionum canonicalium venire vellet ad ecclesiam et hinc quoque loculos suos farcire, esset arbitrii sui. Post ea conticuit. Nescio, quid sit facturus aut quam iterum technam adornet.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1. fol. 48b).

359. Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, P. Tomicio, epo. Cracov., vicecancellario.

Rme. in Christo pater et domine major et patrone observande. Ingenti animi mei moerore adversam rmae. D. v., valetudinem, cum mihi nuntiata esset, audivi, pro cujus revalescentia ego cum universo meo clero divinae misericordiae aures eatenus pulsamus, donec laetus mihi nuntius veniret, rmam. D. v. divina miserente Dei ope et sedula regii medici opera pristinae restitutam esse sanitati. Quam rmae. D. v. ex totis praecordiis gratulor, deumque precor, ut in plurimos vitae annos pro mea multorumque aliorum consolatione r. Dominationem. v. salvam et incolumem conservet. Has praesentibus impositas novitates mitto, ex quibus rma. D. v. plane accipiet, qua malignitate quorundam, christianam pacem et unitatis concordiam ferre non potentium, ea dissensio et digladiatio, hi motus et tumultus principum Germaniae tam saecularium quam ecclesiasticorum exorti sint, quibus fontibus tanta christiani sanguinis flumina eruperint, ad summam quae tantorum causa malorum fuerit; praeterea quid jacturae, quid periculorum de manu domini (cujus nomen sit benedictum in saecula) per aquarum inundantiam ego perpessus sim, paucis accipiat D. v. rma. Die Mercurii octava Julii sub noctem tanta imbrum copia cecidit, ut non

[1]) Zam. nam powinno raczej być nam non. — [2]) W kod. Karnk. i w kod. Kórn. dopisał Górski: Laski archiepiscopus.

non pluviae, sed diluvii cujusdam speciem prae se ferre videretur. Quo factum est, ut plures carpionum piscinae ruptis aggeribus una cum carpionibus impositis effluerent, duodecim frumentariae molae obstaculis et clausis divulsis partim collapsae, partim semirutae supersint. Fluvius item arcem meam Heilsberg, primariam episcopatus mei sedem, praeterlabens tribus aggeribus dejectis magno aquarum impetu turres et muros arcis exterioris concussit ac pene dejecit. Quem hactenus etiamvis licet frustra tentato opere capere non potuimus nec modico negotio impendioque capietur, quae quidem damna ita perpessa, quo ea re resartirem me cum equis et familia mea, ne in Thoronium me ad conventum pro dominica post festum divisionis apostolorum in causa monetaria statutum conferrem domi continuere. Sed non me solum haec calamitas tetigit. Vicinorumque quoque fines pervagata est. In ditione enim illustris domini ducis Prussiae quasdam civitates adeo aquis opplevit, ut navigabiles sint, quarundam bonam partem secum abstulit. Silentio magis praetereundum arbitror, quam quod aures rmae. D. v. obtundam, quantas haec coeli inclementia omnis generis segetes oppresserit, prata et id genus pascua ad usum fenicidii inutilia reddiderit, ut et hominum fames et pecorum pernicies futura timenda sit. Sed haec pluribus fortassis, quam epistularis brevitas fert, recensui. At justus dolor verba dictat. Ceterum ex Brabantia pro certo mihi nuntiatum est, quoniam inter caesaream Majestatem et Galliarum regem octo mensium indutiae intercesserint. Quae an Italiae quoque oras comprehendant nec ne, me fugit. Quod reliquum est rmam. Dominationem v. pro mea et ecclesiae meae salute ac patrocinio Deus opt. max. salvum et florentem quam diutissime conservet. Ex arce Heilsberg vigesima octava Julii, anno MDXXVIII.

360. Bona, regina Poloniae, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny z własnoręcznym podpisem.)

Serenissimo principi domino Ferdinando, Dei gratia Hungariae et Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae etc. regi, infanti Hispaniarum, archiduci Austriae, duci Burgundiae, Brabantiae, comiti Flandriae, Thirolis etc. imperiali locumtenenti generali, fratri et consanguineo nostro charissimo et honorando: Bona, eadem gratia regina Poloniae, magna dux Lithuaniae, Russiae, Prussiaeque ac Masoviae etc. domina, salutem et felicissimos ad vota successus ac fraterni amoris continuum incrementum. Serenissime princeps, frater et consanguinee charissime et honorande. His proxime elapsis diebus binae nobis ab illustrissimo Mantuae marchione redditae sunt literae, quarum alteris se nonnullas res aureas auro intertextas et sericeas Cracoviam misisse et ad nostras manus destinasse, ut inde cuidam Hebraeo Cracoviensi, Allexandro nomine, ex vigore promissionis sibi factae extraderentur et aliqua pars penes nos pro majori parte ex dono remaneret, alterius easdem res in itinere interceptas Viennamque deductas et ibi detentas perscribit, nosque rogat, ut illas recuperare dignaremur, ne hanc jacturam et in rebus et in fide, quam plurimi pendit, pateretur. Nos ob veterem amicitiam atque affinitatem, qua domino marchioni tenemur, has exarandas duximus, quibus vestram Majestatem impense rogamus, dignetur suis officialibus Viennensibus mandare, ut easdem res, de quibus ipse marchio seriosius vestram Majestatem per literas suas edocet, relaxent et admittant, ut Cracoviam ad manus magnifici Severini Bonar tuto et libere perducantur, quod speramus Majestatem vestram tum nostro tum etiam ipsius marchionis intuitu non gravatim facturam, praesertim in re tam justa tamque honestissima, utriusque nostrum annuendo desideriis, pro quo plurimum debere

bere fatebimur eidem vestrae Majestati, quam Deus optimus maximusque felicissime et victoriosissime conservet. Datum Vilnae die penultima Julii anno domini M. D. XXVIII.
Ejusdem Majestatis tamquam soror

Bona regina s.

Teki Górskiego, nr. 974 (list oryginalny). Kod. Sap. VII, 120. Kod. Wojcz. nr. 118.

361. Joannes Zamboczki, aulicus, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne., dne. gratiosissime. Post humillimam perpetuamque fidelissimae servitutis meae commendationem. Binas his diebus a rma. Dtione. vra. habui literas, alteras Giersdorf, alteras Steinkircher, cubicularius, mihi reddidit, in quarum utrisque tametsi rma. Dtio. vra. multa et non dubia veteris suae in me gratiae indicia ostenderit, quod mihi erat et jucundum et expetendum, illud tamen vel permaxime animum meum afflictum alioqui et consternatum erexit exhilaravitque, quod rma. Dtio. vra. ex tam alta adversae valetudinis tempestate jam tandem Dei immortalis misericordia tutiorem portum tenere videtur, pro quo ego superis omnibus licet immeritus supplex gratias et egi et ago obsecroque, ut eadem optima valetudo ejus sit et absolutissima et diutissima.

De aliis rebus ex literis regiis tum etiam dni. archidiaconi cognoscet, publice namqe quid agatur, et quod ad nos vulgus defertur, nihil est dignum auribus ejus, praeter quam quod occultis inimicitiis, simultatibus, technis et calumniis plena sunt omnia. Contra Gastoldum omnes fere vociferantur; juste aut injuste id faciant, ita me Deus amet, dispicere non possum, nam nec decet nec interest mea id rimari. Illud certum est, eundem Gastoldum velut rupem Marpesiam hactenus firmum et fixum in sua dignitate subsistere.

In conventu, qui tot dies actus est, magna demum contentione id perfectum est, pro quo omnes fere conventus agi solent, videlicet contributio, quae „Serepczina“ dicitur, decreta. Hodie pronuntiari debent conventus decreta, ita heri regiam Mtem. narrantem audivi, nam has literas scripsi mane idque tumultuanter, avocantibus me rebus, quas si praetermitterem, et existimationis meae subeunda mihi esset jactura ac fames et inedia patienda.

Illud tamen incredibiliter animum meum angit, quod Trzecieski adolescens, in quo ego nullum unquam perversitatis indicium notare potui, eo modo traducitur, prout mihi rma. Dtio. vra. literis suis significat; sed credo Deum pro misericordia sua effecturum, quod innocentia ejus rmae. Dtioni. vrae. olim patebit ipsaque qua est sapientia et clementia miserebitur, nec hominem innocentissimum periclitari patietur ut dnus. meus gratisiossimus. Cui me atque ita et Trzecieski — si dignus erit — humillime commendo. Wilnae penultima die Julii fera quinta. 1528.

Jo. Szamboczki.

Scribam postea copiosius ad rmam. Dtionem. vram., nunc quominus id faciam, fatalis quaedam necessitas obstitit. Servet Deus r. P. meum incolumem.

Kod. Karnk. X, 135. Kod. Sap. VII, 132.

362. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancell., Andreae Cricio, epo. Plocensi.

Reverendissime domine in Christo pater et domine nepos charissime. Scribit ad me Dtio. vestra rma., magna voluptate animi se audisse, cum illi et literis amicorum et nuntiis de me

me in pristinam veletudinem restituto esset nuntiatum, cujus causa mihi nunc per literas gratulatur servitoremque suum, dominum Dzyrsgowski, canonicum Plocensem, ad me misit, qui et me convalescentem inviseret et nonnulla Dominationis vestrae rmae. nomine mihi exponeret. Et equidem quod mihi gratulatur Dtio. vestra rma. quodque tam honorifico nuntio me inviserit, est mihi gratum et perjucundum, utraque res enim plena est et officii et amoris summi erga me sui, quae certe ego vicissim illi amore, benevolentia et familiarissimis studiis referre cum potero diligenter curabo, posse vero tunc me maxime confido, cum integre primae valetudini meae fuero restitutus, ad quam recuperandam consumandamque tametsi nihil restet amplius, quam levis tumor pedum curandus, tamen quia et id sua non caret molestia, vellem, ut cito dissolveretur et evanesceret, quod etiam brevi futurum non dubito modica exercitatione et cura adhibita.

Quod scire ex me cupit Dtio. vestra rma., quid rerum nunc mundus agat, libenter, quae ipse scivi, omnia illi communicavi, excipi enim feci aliquot literarum domini Laski, Ferdinandi regis et domini Opaleniczki exempla, ex quibus ea, quae a me cognosci possunt, illam facile puto perspecturam.

Regis Joannis spes, de qua etiam ad me crebro scribitur, vana contemnendaque sit necne, plane ignoro, hoc solummodo specto et perpendo, nos in hoc neutralitatis studio magno incommodo nostro esse tantisper implicitos; queritur enim graviter de nobis ejus causa uterque adversarius, sed praeterea regis Joannis intimi et consiliarii nos culpant et non obscure jam accusant, quod rex suus socius, amicus, affinis et confoederatus regis nostri, in hac sua calamitate et fuga tantopere ab omnibus nobis destituatur et contemnatur, ut nemo ex regni primoribus induxerit sibi in animum vel uno teruncio illius egestatem adjuvare praeter dominum Tarnowski, qui magna illum hactenus est humanitate et liberalitate prosecutus, hoc subinde per insinuationem occultam a nobis petens, ut se saltem secretis aliquibus auxiliis adjuvaremus. De quo quid dicam quidve sentiam, non satis mihi constare ad praesens potest; sum enim ex tanta vi temporum et varietate rerum, denique incertis eventibus mirifice perplexus, exitus tamen rerum potissimum exspectandos puto.

Ad ea, quae mihi dixit nomine vestrae reverendissimae Dominationis dnus. Dzirsgowski, exposui illi sententiam meam, quam rediens declarabit el referet vestrae rmae. Dtioni., quam optime valere et felicem esse summopere desidero ejusdemque amori me commendo. Datum in Kielcze 1 Augusti anno domini 1528.

363. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Lucae de Gorka, castell. Posnaniensi.

Teki Górskiego, nr. 975[1]) (minuta z poprawkami Tomickiego).

Magnifice dne. dne. et frater honorandissime. Proficiscente istuc Posnaniam versus dno. Isdbyenyski, canonico ecclesiae meae Cracoviensis, ommittere nolui quin illi aliquid literarum darem, quibus Mgciae. vestrae valetudinem inviserem. Quam profecto optimam et diuturnam illi esse omnibus votis precor et exopto, utque me de illa Mgcia. vestra saepius faciat per literas certiorem, plurimum rogo. Nam quod ad me attinet, et is ipse d. Isdbyenyski veniens, qui nunc sit valetudinis meae status, planissime declarabit, et ego posthac occasionem nactus, ut ut mihi succedet, nuntiare vel scribere illi non praetermittam. Equidem pedibus adhuc vacillo ob humorem lenem, qui circa inferiorem vertebram pedum subsedit tenacius, neque tamen adeo, ut incessus mihi impediatur. Quare jam tutior

[1]) Górski napisał u góry minuty: non scribatur, dla tego list ten nie wszedł do kodeksów.

tutior et undique confirmatior factus, Cracoviam hinc hodie proficiscor, ubi me jampridem esse Mtas. regia cupiebat, et ad profectionem crebros mihi literarum et hortationum stimulos addebat, descendam tamen primo Czasthochovam ad sacrae virginis simulacrum, vota illic concepta et nuncupata soluturus.

Ceterum novi quid scribam in praesentia Mgciae. vestrae, nihil habeo, vel quod quiescant res hominum et principum, vel quod ad me in eam eremon non perferantur. Cum tamen ero in celebrioribus locis, non sinam esse Mgciae vestrae incognita, quae sensero esse scitu dignissima. Nunc me amori et fraternae benevolentiae Mgciae. vestrae commendo, illamque cum suis omnibus esse sospitem, incolumem et quam felicissimam vehementer desidero.

Dat. in Kyelcze die scti. Dominici, anno dni. etc.[1])

Teki Górskiego, nr. 976 (odpis współczesny.) Kod. Karnk. X, 202. Kod. Sap. VII, 201.

364. Joannes, rex Ungariae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Ex his literis, quas proxime a vestra Majestate accepimus, intelleximus, quam acerbe queratur adversarius noster rex Bohemiae Ferdinandus de mgco. Jeronimo Laski, palatino Siradiensi, nostro apud caesarem Turcorum oratore, et quam gravem ex illius querelis animum vestra etiam Majestas adversus eundem Jeronimum Laski conceperit.

Primum omnium nos, quod et antea scripsimus, magis credimus fictas esse opera adversarii nostri illas literas, quarum exempla circumferuntur et quae ad se etiam missa esse vra. Majestas scribit, quam veras. Id autem vel ex eo facile colligimus, quod adversarius noster omnibus artibus, quibuscunque potest, christiano certe principe indignis et privato etiam homini sive christiano sive barbaro minime convenientibus, non cessavit ab initio neque nunc cessat nos oppugnare, et inter alia si ausus est — prout intelligimus ausum esse — coram Mte. vra. vel oratore ejus — quod tantidem ducimus — negare, suas esse literas, quae tamen suae sunt manu ipsius subscriptae et sigillo ejus signatae, quas ad praefectos magni principis[1]) miserat, non mirarerur, si auderet similes literas nomine palatini Siradiensis confingere. Nam alia, quae nostri criminandi causa falso per eum sunt adinventa, talia sunt, ut hoc in comparatione illorum nihil penitus esse videatur. Quam ob rem non facile abduci possumus ab ea sententia, quin haec quoque ad gravandam causam nostram et ad palatinum ipsum apud vram. Mtem. criminandum conficta esse credamus, vel si quid tale ille scripsit, de quo nos nihil scimus, credimus esse multa adjuncta, ut facere solent hi, qui quaerunt omnes modos et vias aliis nocendi et suas injustissimas causas justificandi, ad excusandas excusationes in peccatis. Si vra. Majestas adhuc majus hujus rei argumentum quaerit: quid potuit unquam magis falso in quemquam dici et fingi, quam quod istum bonum principem vrae. Majestati de nobis nuntiasse intelligimus, nos cum imperatore Turcarum in tributo centum milium ducatorum quotannis, decima autem hominum utriusque sexus regni nostri parte decennio quoque ei solvenda, convenisse et nescimus quae alia de castris Sirmiensibus, praeclaras christiani principis artes et inauditas calumnias. Nos cum imperatore ipso medio palatini Siradiensis concordasse non diffitemur, sed optimis et christianissimis conditionibus, ac sine ullo vel pecuniae vel alterius rei tributo, immo cum restitutione Sirmii. Quod autem subdit de libero transitu, hoc

[1]) D. 4. 8. 1528. — Na brzegu minuty zaś napisał Górski datę: ultima Julii 1528. — [2]) W kod. Karnk. dopisał Górski: T u r c i.

hoc illi tanto et tam potenti principi — si quo ire velit — neque nos neque quisquam christianorum principum neque ipse rex Ferdinandus viribus suis privatis prohibere potest, nec divae memoriae sermus. dominus rex Ludovicus potuit, cum ejus tempore Turcus toties libere in Carinthiam penetraverit et eam ferro ac flamma vastaverit, et hoc idem tempore quoque sermi. quondam domini Wladislai, regis, in Carniola et foro Julii fecerit; immo et tempore divi Mathiae regis. Si talia fingere contra nos audet, quae Deus et homines sciunt esse falsa, quare non potuit palatini etiam Siradiensis nomine vel fingere literas, quas ille non miserit, vel per illum missas immutare pro animi sui libito? Non misisse autem eum literas hujusmodi, illud est non parvum argumentum, quod is eodem tempore, quo illae literae dicuntur datae, misit ad nos literas, omnia a se gesta et tractata plenissime continentes, in quibus nullam de literis hujusmodi ad regem Ferdinandum missis facit mentionem, quod non est verisimile eum fuisse in tam longo nobiscum de rebus nostris tractatu praetermissurum. Potest esse et illud, eum hujusmodi literas — si tamen eas misit — ob terrorem tantum regi Ferdinando incutiendum et ejus a regni nostri invasione et injusta oppressione avertendi gratia misisse. Quin et illud possibile est — si conjecturis est agendum — eum literas tales ab eis, in quorum potestate erat, coactum — quod saepe fit — scripsisse. Haec omnia et his similia contingere potuerunt, quae tamen nos non affirmamus veluti hujus rei, sitne facta an ne, vel quomodo se habeat, penitus ignari. Itaque rogamus vram. Mtem. uti patrem charissimum ac principem prudentissimum et justissimum, ut causa hac incognita non festinet ad palatinum ipsum in aliquo gravandum. Scimus eum esse incolumem et credimus brevi ad nos rediturum atque apud vestram Majestatem futurum, intelliget tunc vra. Majestas totam rei seriem ex ordine et faciet, quod ei justum et aequum esse videbitur. Nec enim videretur satis aequum, hominem alioquin non postremae in regno vestrae Majestatis conditionis non auditum ad solas adversarii nostri calumnias et eas — ut opinamur — falsas condemnare aut gravius quippiam in eum statuere. Quamquam, serme. rex, non esset fortasse a ratione et ab humanitate alienum, contra principem hoc pacto injuste regna aliena oppugnantem, non solum milites cujuscunque generis et nationis, sed etiam ipsas infernales Erynnes et Turcas concitare et educere. Nam si ipse dicat, non esse contra christianos armis gentilium utendum, quis nescit, quid ad hoc ex adverso responderi possit? non esse videlicet principi christiano arma injusta contra principem alium sumenda, jure aequabili esse, non vi et aliorum oppressione christiano cum christianis, immo barbaro etiam cum barbaris vivendum. Nos tamen, teste Deo et his, qui nostrorum consiliorum sunt participes, adhuc in praesentem horam ab hoc genere defensionis abstinuimus et maluimus adhuc illa quoque tentare cum adversario nostro, de quibus nuper cum domino Christophoro, castellano Cracoviensi, nomine nostro fuit tractatum, et omnia, quaecunque majora facere poterimus, facere, quam tale aliquid aggredi, ex quo posset aliquod incommodum reipublicae christianae evenire. Quod si ad nullas vel iniquissimas nobis conditiones adversarius noster venire voluerit, erimus postea excusati coram Deo et hominibus et imprimis coram Mte. vra., de quo tam coram eadem vestra Mte., quam coram tota christianitate jam non semel sumus protestati, prout et nunc protestamur rogamusque, ut sit in futurum ipsa testis. Verum enimvero nos hoc in loco continere non possumus, quin pauca subjiciamus de his, quae ipsum adversarium nostrum rursus in nos coram vra. Majestate jactasse intelleximus. Appellat nos — ut certe accepimus — mille foedis et falsis nominibus, hominem perditae ambitionis, belli civilis seminarium, patriae calamitatem, ad evertendam christiani generis pacem genitum et qui alterum ex regibus ac dominis suis moerore confecerit,

alterum

alterum in bello pro christiana pietate ac patriae defensione suscepto deseruerit et mille alia. Ad quae ut paucis respondeamus, vellemus scire ante omnia, uter nostrum censeri debet vel patriae communis, id est reipublicae christianae, calamitas vel ad eam evertendam genitus? Nosne, qui totum vitae nostrae spatium quantumvis parvum patriae ac reipublicae christianae serviverimus, in ea tamen ab hoste externo tuenda consumpsimus, an ipse, qui cum fratre Carolo, electo caesare, alterius electi caesaris Maximiliani, avi sui, vestigia secutus nihil non in orbe christiano bellis civilibus involvit, nihil non sanguine christiano maculavit? Testis est hujus rei Mediolanum cum Insubria ac tota Longobardia, immo tota fere Italia tanto sanguine miserorum christianorum respersa, testis Genua per immanes satellites ipsorum tam dire direpta, testis urbs Roma cum suo, immo totius christiani orbis Pontifice miserius, quam olim vel Hierosolima vel quaecunque alia misera civitas, ferro, caede, flamma, rapinis vastata, in totius christianae religionis ludibrium, pontifex autem ipse tanto tempore misere in carceribus habitus ac ignominiose tractatus, documento sunt trecenta si non amplius hominum christianorum milia per orbem christianum opera et impensa horum duorum fratrum crudelissime necata ea solum de causa, ut insatiabilis eorum dominandi cupiditas expleri posset. Nescimus igitur, si nos vel isti sub justo judice — qualem vram. Mtem. esse scimus — condemnari ac pestes salutis publicae censeri deberemus? Possemus hoc in loco illud quoque commemorare, Ferdinandum hunc non solum ab avo Maximiliano, sed nec a proavo suo Friderico ceasare — dum haec agit — degenerare, qui et ipse nunquam satis pro merito laudatum decus christianorum regum, Mathiam, a tota christiana republica contra infideles imperatorem designatum et jam arma felicia illis inferentem, comitatu Zaladiensi contra foedera, quae paulo ante cum rege ipso pepigerat, ferro et igne vastato, a sancta hujusmodi expeditione in magnum Turcarum caesarem Machumetum suscepta avertit et ad regni sui defensionem redire coëgit. Quibus quidem injuriis rex ille invictus ac magnanimus irritatus ductu illustris quondam domini Stephani Zapoliensis, genitoris nostri, Austria et aliis illi subjectis provinciis perdomitis, plane edocuit Fridericum, caesarem, quid esset aliena dominia injuste invadere, quid principem christianum, sanctissimo operi intentum, interturbare. Nam nos seminarium belli civilis ideo fortasse vocat, quod bellum illud civile ac rusticanum, quo patria nostra igne pene inexstinguibili ardebat, nobilitas tota et primatum ordo delebatur, rex cum liberis in extremo discrimine versabatur, rem jam ab omnibus desperatam et in intima bonorum omnium viscera tendentem Dei optimi nutu et auxilio restinximus. Quo tempore videmur etiam regem et dominum nostrum, fratrem videlicet vestrae Majestatis, praeclarae memoriae divum Wladislaum, regem, moerore confecisse? Quippe Dei voluntate, nostra opera ac industria una cum liberis suis ab hujusmodi periculo liberatum? vel eo tempore, quo nobis nondum adhuc pubertatem ingressis avo istius Maximiliano, superbissime ac simul injustissime instar istius nepotis sui regno Ungariae insultanti ac bellum nefarium inferenti, obviam processimus ac vires ejus repressimus? Sed ad ista commemoranda non libenter veniremus, nisi immodestissimis et falsis adversarii nostri conviciis ad id faciendum inviti compelleremur. Scimus haec talia ab unoquoque longe cum majori laude fieri, quam de se praedicari. Si quid in hoc excedimus, tribuatur, rogamus vestram Majestatem, importunae adversarii nostri criminationi. Criminatur nos, nepotem vestrae Majestatis, serenissimum regem Ludovicum, sanctae memoriae dominum et praedecessorem nostrum, in acie deseruisse. O hanc quoque calumniam singularem! Quare ista, quomodo acta sunt, non inquirit ab his, quibus sunt nota? et si nullos testes accipit, quaereret saltem talia, sed serio, a sorore sua serma. regina Maria,

ab

ab Alexio Turzone, omnium, quos apud se habet — ut intelligimus — intimo; fortasse reperiret aliquid, unde colligere posset, haec omnia falso a se vel a suis esse in nos conficta. Quare sequitur in hac parte calumnias et mendacia sororii nostri, Stephani Bathorii, cum quo non omnes res regiae illo tempore ob excellens hominis ingenium et incredibilem secreti reticentiam communicabantur.?

Certum est, serenissime rex, idque testibus omni exceptione majoribus ac dignissimis fide facile probari potest, nos ante illam miseram cladem ad regem ipsum cum exercitu non contemnendo venire volentes idque, ut nos facere juberet, eidem consulentes ejus secretis nuntiis ob irrationabiles causas fuisse prohibitos. Licet mortuus sit rex, mortuus archiepiscopus Strigoniensis, vivunt tamen aliqui, cum quibus ista fuere communicata, alias in conventu vrae. Mtis. Pyotrkowiensi ab oratoribus nostris — ne eadem toties repetantur — nominati, a quibus et illud sciri potest: nos vehementissime per nuntios tam nostros quam regios dissuasisse, ne pugna ante nostrum adventum, qui prope eramus, committeretur. Idem autem comitem etiam Christophorum de Frangepanibus — qui et ipse appropinquabat — fecisse intelligimus, sed frustra ambo surdis et vocem nostram audire nolentibus clamavimus; nam regem ipsum, praeclarae indolis adolescentem et summae virtutis specimen, idem quod nos hortabamur, sensisse intelligimus. Sed qua impudentia audet nos adversarius noster desertorem domini ac regis nostri appellare, qui ipse regnum Ungariae suum esse praetendens, nos subditos et feudales suos etiam nunc falso vocans, fratri, cognato, propinquo, sororio, regi vicino et regno — ut ipse dicit — suo ac sibi dotali ex provinciis, quibus idem quod Ungaris periculum imminebat, nullum eo tempore auxilium miserit, totiens ab illo pro hoc instantissime interpellatus? ac tunc etiam, cum ille pro religione christiana gloriosam mortem cum tanta suorum turba oppeteret, tam numerosum exercitum in perniciem christianorum in ducatu Mediolanensi habens? Nos ergo calamitas patriae? Nos pestis reipublicae christianae? Nos confector et desertor regum et dominorum nostrorum? ille salus et conservator Ungariae et christianitatis? qui salutem miserae Ungariae magno sacramento ac etiam chirographo suo promittens et hoc praetextu diadema nostrum regium per scelus ac proditionem quorumdam subditorum nostrorum adeptus, non cessat in dies ejus reliquias perdere! ipse interim, si Deo placet, Pragae delicatissimum otium agens! Nos amici Turci ac propterea nec a Mte. vestra nec a reliquo christiano genere ullo modo ferendi? Ille, ut intelligimus, non amicus? Sed id revera hanc solam ab causam, quia ab amicitia illius, ut nobis nuntiatur, turpiter repulsus! Nam eum omnia, ut id consequi posset, tentasse et literae ejus apud nos existentes, manu — quod supra diximus — ejus subscriptae et oratores ejus nunc etiam apud illum constituti satis aperto sunt argumento. Illud etiam majorem in modum sumus mirati, quod intelligimus adversarium nostrum ad proximam vestrae Majestatis legationem ita respondisse, tanquam Majestas vra. gratiam nobis ab eo petivisset. Nos, quid vra. Mtas. per oratorem suum apud eum egerit et in quam sententiam ei nuntiaverit, sumus prorsus ignari. Miraremur tamen, si vra. Mtas. aliquid tale ei nuntiasset, a quo quantum animus noster abhorreat, vestra Majestas potuit jam saepe intellexisse, non a concordia, de qua jam vestra Majestas nostram mentem apertius intellexit, sed a gratia ab eo hoste petenda, quem licet nos nunquam ne in minimo quidem offenderimus, ipse tamen, ut totus mundus videt, adeo impie et crudeliter non solum in regnum et honorem nostrum debacchatur, sed etiam in patrimonium, quod saltem unum non familiae Austriensis, si jam omnia regna mundi illi familiae debentur, sed familiae nostrae Zapoliensis erat et est. Ignoscat vra. Majestas, enixe petimus, si sumus in his commemorandis

commemorandis aliquanto longiores; non potuimus haec ullo modo silentio praeterire, ne crimen, si nihil ad has calumnias responsum a nobis fuisset, agnoscere videremur; perscripsimus revera rem ita, ut est, nihil ad veritatem addendo, immo longe modestius, quam par erat, ut nobis videtur, ad tam acerbas et falsas calumnias respondendo, quae quidem calumniae tanto magis nos moverunt, quod non ignorat vra. Majestas, ad quid his diebus animum nostrum inclinaveramus idque profecto non tam necessitate aliqua, quod brevi, Deo dante, apparebit, quam solo commodo publico, cui, Deo teste, longe plus tribuimus, quam privato nostro vel commodo vel honori. Vestram Majestatem optime cupimus valere et causam dni. Hieronimi Laski vrae. Majestati ac simul nos ipsos ac omnia negotia nostra uti patri nostro charissimo impense commendamus. Datum Tharnoviae quinta Augusti. Anno domini 1528.

Teki Górskiego nr. 977 (współczesny skolacyonowany przez Tomickiego odpis).
Kod. Karnk. X, 195.
Kod. Sap. VII, 187.

365. Diffidatio Hieronimi Laski Ungaris.[1]

Hieronimus de Lasko et in Ritvani, palatinus Siradiensis ac sermi. principis et domini domini Joannis, Dei gratia Ungariae regis etc. consiliarius et apud Turcarum caesaream Majestatem orator, reverendissimis, spectabilibus, magnificis, generosis, nobilibus et generaliter omnibus utriusque status regnorum Hungariae, Dalmatiae, Croatiaeque incolis bonis et serenissimo domino Joanni regi fidelibus salutem et felicitatem, defectoribus vero ac Ferdinandi sequacibus bellum, caedem et ignem. Multa me hortantur et propemodum impellunt, ut vos de vestris commodis vel potius salute vestra admoneam. Nunc autem nolo meminisse, quibus nonnulli vestrum adducti causis desciveritis a sermo. rege vestro Joanne. Fortasse id temporibus et animis hominum tribui debet, ut istud florentissimum regnum ultro sibi cladem, vastationem excidiumque accerseret et attraheret, neque enim existimo aliter potuisse labefactari viribus externis, nisi prius pernicioso exemplo inter se dissentiretis ac in diversas traheremini partes, alienigenas praeter omne jus et pium in regnum vestrum vocando. Qua re vobis et liberis vestris nihil accidere potuisset perniciosius. Levate itaque capita vestra et jamjam vobis posteritatique vestrae consulite. Scitote enim, serenissimum dominum meum — ne, dum ille cum Ferdinando de regni possessione certaret, Turcarum potentissimus imperator litem ipsam dirimeret regnumque sic intestinis dissidiis distractum sine negotio occuparet — perpetuam pacem, conjunctionem ac arctissimam confoederationem cum eodem Turcarum imperatore medio mei percussisse et confecisse et obtinuisse talia contra suum hostem auxilia, qualia non Ferdinandum solum Hungaria pellere, non defectores vos punire, sed et ipsum Ferdinandum in ipsius natali solo opprimere sufficient. Utilem necessariamque pacem vobis liberisque vestris cum Turca confeci, si quidem Turca abjecta cura possidendi regni Hungariae partim vi foederis et amicitiae jam cum sermo. domino meo initae, partim odio Ferdinandi ita contra eum pluent, ut facile cognoscetis, bene fuisse factum, si Ferdinandus ab Hungaria et vos a Ferdinado temperassetis. Quicunque igitur hanc imminentem tempestatem evitare voluerit, mittat quaesitum regis Joannis serenissimi gratiam, quam facile pro suae Mtis. innata probitate ac benignitate obtinebit, de temporeque quaeratis medicinam, rogo, et ut christianum decet hominem admoneo. Securis enim ad radicem est. Mementote salutis animarum vestrarum, qui de minimo subditorum vestrorum reddituri estis Deo rationem

[1]) W Tekach notatka Górskiego: Diffidatio non est Laskii phrasis. W kod. Karnk. również dopisek Górskiego: Non est Lascii phrasis.

tionem. Nam vos estis villici et suorum subditorum pastores, nec sit vobis satis, vestra tantum capita aliquo tempore in illorum castellis quasi tuta fore, sed vestras villas, agricolas et subditos etiam pensi apud vos habeatis, quorum miserorum et pauperum labore vivitis et estis opulenti. Ah! quanta impietas, si illi tot poenis ac malis exponentur per vos, si in perpetuam captivitatem ducentur, ducti si in Turcico solo in fide illorum in infinitum procreabuntur. Amore Dei sit vobis melior et acceptior pax Turcica, regis Joannis sermi. opera confecta, quam anile Ferdinandi bellum, quem et ipsis factis, quam levis sit et tenuis, perpendere potestis, cum vobis contra Turcas brevi egregie se multa acturum juraret et polliceretur, nunc autem in aliam sententiam raptus, immo coactus pacem a Turcis emit et mendicat, quam nunquam habiturus est, nisi adsit regis mei sermi. voluntas, cujus oratores, volui dixisse aratores, uti omnibus contemptui ac ludibrio fuere, ita clausi stant Constantinopoli, ibi diutius demoraturi et ex lana securim cussuri, quam aliquis credat. Vos autem, qui peccastis, veniam petite, quia si illam sincere quaesiveritis, ab sermo. domino nostro Joanne rege obtinebitis. Errastis sicuti homines multis Ferdinandi jactationibus et illius magnorum contra Turcas gestorum exspectatione seducti, sed jam videtis, an id opere exequatur, quod ore promittat, vel literis suis sub illius manu et sigillo quasi jam in certissimam spem vobis datis[1]) et impressis satis faciet. Valete et hanc meam admonitionem christianis mentibus excipite et scitote, me de pertinacibus in illorum invidia jamjam poenas quaesiturum. Ex castris in festo Transfigurationis domini. Anno ejusdem millesimo quingentesimo vigesimo octavo.[2])

366. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Archiwum Wiedeńskie (minuta).

Ferdinandus etc. serenissimo etc. Ex relatione magnifici fidelis nobis dilecti Joachimi de Malzaun in baronatu Grauppen et Toplitz, consiliarii nostri ad nos a Serenitate vestra reversi, accepimus, quae nostro nomine apud eandem egit et in responsis accepit, gratumque nobis fuit primum, quod animi sui in nos sinceritatem et constantiam jam pridem nobis spectatam et compertam novis quasi testibus et argumentis cognoverimus, de qua eidem agimus et habebimus gratias immortales. Cum autem innuere videatur eadem Serenitas vestra, nos ea, quae de novo Johannis Scepusiensis apparatu et militum in regno ejusdem Serenitatis vestrae conscriptione perhibenda scripsimus, expostulandi nomine et minatorie quasi significasse, credimus eandem Serenitatem vestram cum ex praefati Joachimi tum mgci. sincere nobis dilecti Petri Opalinszky, oratoris sui nuper apud nos agentis, relatu abunde satis accepisse, nunc tandem aut propediem accepturam esse, qua ratione aut respectu illa sint a nobis conscripta et non ut mutuam intra nos necessitudinem, arctissimam animorum nostrorum conjunctionem, confoederationum vincula et bonam denique regnorum utriusque viciniam vel laederemus, vel minimam laedendi suspicionem praeberemus, summe semper observavimus atque simus observaturi,[3]) sed quod damna et pericula, quae ex neglecta et non interrupta Johannis supradicti machinatione et delectu formidanda et certo potius exspectanda erant, interciperemus et averteremus, idque eo majori et fiducia et animi vehementia fecimus, quo certius haec aliaque inconvenientia secutura esse verebamur

[1]) Datis dopisał w Tekach Tomicki. — [2]) D. 6. 8. 1528. — [3]) Tekst widocznie popsuty; powinno może być: viciniam, quam summe semper observavimus etc.

bamur. In ea tamen scribendi acrimonia hoc maxime praecavimus, ut amoris et benevolentiae suae in nos suspicionem nullam moveremus et illa quantumvis atrocia, quae tunc a Johanne fieri audieramus, citra consensum aut voluntatem Serenitatatis vestrae fieri nobis polliceremur, id quod dilucide nunc constare videtur, Serenitatem vestram nobis in iis, quae pristini amoris nostri officium veteraeque conjunctionis et confoederationum nexus, subditorumque utriusque quietem attingunt, nunquam defore, operamque daturam omnem, ut ex regno et dominiis suis nihil fiat indignum bona amicitia et diuturna concordia, sive per Johannem antedictum sive gentes externas in auxilium ejusdem concernentes. Haud dubium est nobis, quin eadem Serenitas vestra pro mutua benevolentia nostra sit ea omnia factis comprobatura, ad quae officiose quidem se nunc obtulit et exhibuit adeoque nec nostris nec suis subditis mutua sit dissimulanda vicinia et tranquillitas, in quibus omnibus servandis et tuendis, honoreque et amore nostro utrimque asserendo et fovendo, quod nostrarum erit partium, tales nos geremus, ut decet ac pacifico bonoque regi et principi convenit et Serenitatis vestrae in nos benevolentia et affectio requirit, quam felicissime valere optamus. Datum Pragae, 7 Augusti 1528.

Teki Górskiego nr. 3528 (odpis współczesny). Kod. Karnk. X, 174 i 175. Kod. Sap. VII, 170.

367. Responsum a Sigismundo, rege Poloniae, datum Cornelio Duplicio Sceppero, oratori Caroli V. imperat., nona Augusti datum.

Quae nuper ornate et copiose per vestram Mgciam., domine orator, nomine sacrae caesareae et catholicae Mtis. coram sacra regia Mte. relata sunt, haec in summa continere videbantur.

Declaravit inprimis vra. Dtio., quam gratum fuerit sacrae caesareae Mti. intellexisse, Mtem. regiam hanc cum sermo. principe dno. Ferdinando, Ungariae et Bohemiae rege, Mtis. caesareae fratre et germano et charissimo, ultra mutuae necessitudinis vincula nova et satis arctae amicitiae foedera iniisse, quod Mtas. caesarea utpote christianae reipublicae opportunum et pernecessarium summe probat ac medio vrae. Dtionis. egit gratias et gratulata est, quod Mtas. regia eo se potissimum contulerit, unde decus, dignitas et horum regnorum defensio citius sperari et provenire possunt, quam illuc, unde nil aliud exspectandum foret, quam aditum patefieri ad invadenda haec infidelibus vicina dominia et regna.

Exposuit deinde vestra Magnificentia, quanta hostilitate quantaque mole belli serenissimi Francorum et Angliae reges ac reliqui principes et potentatus adversus caesaream Mtem. conatus suos instituerint et protestata est vra. Mgcia. caesaream et catholicam Mtem. ut nunquam antea ita ne futurae quidem mortalitati et sanguinis christiani effusioni, si quae ab eo instituto eorundem regum sequetur, occasionem ullam praebuisse postulavitque vra. Dtio. nomine caesareae Mtis., ut Mtas. sermi. regis hujus velit pro sapientia sua et in rebus agendis juxta aetatem summa dexteritate et experientia praebere consilium salubre, qua potissimum ratione possit tantis christianorum calamitatibus iri obviam.

Adjunxit praeterrea vestra Dtio., sanctissimum dominum nostrum absque scientia, voluntate et mandato caesareae et catholicae Mtis., sed vel divina permissione vel nostris ita exigentibus peccatis in potestatem gentium Mtis. caesareae venisse omniaque, quae sub illud tempus ab eisdem gentibus in urbe Roma facta sunt, contra voluntatem et non sino indignatione Majestatis suae caesareae patrata fuisse.

Postremo

Postremo optavit vestra Magnificentia nomine Mtis. caesareae: ne subditi Mtis. regiae cessarent a commerciis et negotiationibus cum subditis caesareae Mtis. partium inferiorum, puta Flandriae, Hollandiae, Zelandiae, Brabantiae et aliarum et ut, quam jam pridem exercere soliti sunt, liberam mercandi facultatem non intermittant.

Et haec fuerunt, quae vestra magnifica Dtio. cumulatioribus et ornatis verbis nomine caesareae Mtis. coram exposuit. Ad quae sacra regia Mtas. vestrae Dtioni. ita respondere mandavit.

Quanta jam olim necessitudinis vincula Mti. regiae cum serenissima domo Austriae et inclyta Maximiliani imperatoris progenie intercesserit, vel ipsa luce meridiana clarius esse potest, si quis perpenderit, quibus serenissima olim Elizabeth regina, multorum principum et regum ac Mtis. hujus regiae felicissima parens, si quis, inquam, perpenderit, quibus illa parentibus progenita fuerit, facile cognoscere poterit, quam proximo sit gradu sanguinis conjunctio inter istos principes, deinde etiam quam sancte quamque religiose tam parentes et fratres regiae Mtis., quam ipsa quoque regia Mtas., ea ipsa naturae vincula observaverit, quam denique sinceriter Mtas. sua omnibus officiis et studiis suis regiis optimam animi sui propensionem erga utramque hanc Mtem. caesaris et Ferdinandi jam non semel neque etiam vulgariter aut modice declaraverit, notius est, quam ut ab aliquo explicari possit.

Ceterum superiori anno ea ipsa naturalia et sanguinis vincula novis foederibus et pactis cum serenissimo rege Ferdinando Majestas sua regia et libenter confirmavit et diligenter observare instituit, efficereque parat, ut haec Mtum. suarum conjunctio et perpetuo duret, et christianae reipublicae incrementum afferre posset, unde fit, quod non cessat Mtas. sua dies et noctes sollicita esse, ut dissidium nuper exortum inter serenissimum regem Ferdinandum et alteram partem de regno Ungariae per aequam et honestam aliquam concordiam sopiri possit.

Bella autem tam atrocia inter christianos principes geri, dici non potest, quam doleat et ingemiscat sacra Mtas. regia, quae dum ante aliquot annos prospexisset, bellum ingens exoriturum inter christianos monarchas, nihil curae et sollicitudinis praetermisit, nullum non movit lapidem, quo precibus et persuasionibus suis ipsos principes ad pacem, ad concordiam et ad mutuam charitatem reducere potuisset, sed vis forte quaedam coelestis aut fatale christianitatis malum obstitit tam sancto et optimo Mtis. suae instituto et desiderio. Et adeo ferocia corda principum christianorum in communem interitum accensa esse videntur, quasi nulla unquam victricia arma pacem, nulla tam saeva pernicies et mortalitas hominum bellorum finem sit paritura. Bellum bello gignitur et res christiana mirum in modum collabitur, hostes crucis Christi sensim orbem christianum non sine vilipendio et jactura nominis et religionis christianae occupant et in duram servitutem redigunt. Persuasum tamen sibi habet Mtas. regia, sacram caesaream et catholicam Mtem. ad tam immania bella, ad tantam sanguinis christiani profusionem et calamitatem invitam et refugientem trahi et cogi.

Sed qua possimum ratione hoc malum vitare debeat et possit sacra caesarea Majestas, consilium dare Majestas regia facile non potest, cum praesertim sciat, Majestatem caesaream et rei militaris non ignaram et consilio et ingenii acumine plurimum pollere secumque habere viros omni ex parte eruditos et prudentes, qui regionum, provinciarum et principum ipsorum, cum quibus res agitur, quaeque intima et occulta, proficua et nociva explorata habentes, melius consilium praebere possunt caesareae Celsitudini, quam posset Majestas ipsa regia tanta intercapedine ab illis regibus et provinciis sejuncta. Cum autem Mtas. sua

Mtas. sua perpendit, quod si christiani principes, quos maxime convenit autores pacis esse, vel decimam partem earum pecuniarum, sollicitudinum, laborum, periculorum insumerent ad pacem tuendam, ad rempublicam christianam bene administrandam, quae nunc in deterrimum bellum insumunt, nimirum aut nulla essent bella aut certe paucissima; et proinde sacra regia Mtas. rogat et obtestatur, ut sacra caesarea et catholica Mtas. ineat rationem exstinguendi tanti dissidii per concordiam potius, quam per potentiam armorum et profusionem sanguinis gloriosiusque ducat beneficentia et pietate, quam vi et armis hostes superare.

Sed ut hoc quoque et honestius et commodius succedere posset, ad rem hanc et ad universi orbis christiani commodum et tranquillitatem maxime pertinere videtur, ut universale concilium ecclesiae catholicae convocetur, in quo procul dubio posset tantis malis salubriter provideri, cui negotio ordinem et modum dare nemo melius potest, quam ipsa caesarea catholica Mtas.

Summum vero Pontificem detentum et urbem Romanam a gentibus caesareae Mtis. captam, vastatam, caede, rapina et innocentium sanguine conspersam, in qua non aetati, non sexui, non dignitati, non professioni ulli parsum est, omnia divina et profana violata et foede conspurcata sunt: et siquidem illa omnia patrata fuisse absque scientia et voluntate caesareae Mtis., credidit jam olim Mtas. regia, non potuit tamen non vehementer dolere etsi ob alia innumera, tum ob id maxime, quod religio christiana facta est ludibrio apud hostes fidei christianae; neque enim est ulla tam effera infidelium gens, quae sacerdotes et pontifices suos non in maxima veneratione habeat, neque nostra sacra majori crudelitate deturpari et violari potuissent ab ipsis etiam infidelibus hostibus, quam ab istis nomine duntaxat christianis anno superiore in specula religionis et fidei nostrae absque ullo discrimine et pietate foede violata et conculcata fuerunt.

Non dubitat tamen Mtas. regia, sacram Mtem. caesaream pro illius ineffabili pietate et clementia tantum scelus indignissimo animo tulisse et forte aliquando vindictam a patratoribus sumere in animo constituisse.

Quod reliquum est: Majestas regia subditis suis nunquam inhibuit liberam commercia agendi facultatem cum subditis caesareae Mtis., immo libenter videbit, ne quid pristini officii et amoris ab eisdem subditis intermittatur, ad quod semper suum praebebit assensum. Nihil enim Mti. suae aeque curae est, quam ut universo orbi testatum esset, ejus Mtem. dignitati, honori et commodis utriusque Mtis., caesareae videlicet et Ferdinandi regis, pro virili sua semper adesse velle.

Referet deinde vestra. Dtio. mgca. sacrae caesareae et catholicae Majestati, serenissimam Mtem. regiam hanc optare ex corde et precari, quod sacra caesarea Majestas et diutissime valeat et tam fausta felixque sit, quod compositis absque sanguinis christiani effusione principum christianorum seditionibus et discordiis, expeditionem illam contra Turcas jam diu desideratam aliquando facere et populum christianum ac ipsam quoque sanctam olim Hierusalem cum sepulchro Christi ab hostium infidelium potestate et servitute vindicare posset et velit.

Eidem oratori in secreto — ad eum sensum.

Sacra regia Majestas, magnifice domine orator, ad ea, quae pridie vestra Dominatio nomine caesareae et catholicae Mtis. exposuit, ita vestrae Dominationi respondere mandavit:

Atque imprimis Majestas regia agit et habet ingentes gratias sacrae caesareae et catholicae Mti., quod vanis, immo falsis rumoribus fidem non dederit neque sibi persuadere permiserit

serit regiam Mtem. aliquid egisse vel tractasse cum serenissimo rege Francorum medio domini Hieronimi Laski, qui impetrata a Mte. regia Loretanae duntaxat ecclesiae visendae venia, legationem illam obire suscepit inscia penitus et ignara Mte. regia, quinimmo neque ipsum dominum Hieronimum a Lasko post reditum ipsius ex Francia ad conspectum Mtis. regiae unquam comparuisse neque etiam Mtem. regiam scire, ubi gentium ille nunc quoque sit vel quid agat, cum quo, si quando redierit, ut demeruit, aget Majestas regia.

Quis fuerit et origo et fomes hujus teterrimi belli et qua arte sit excitatum tantum christiani sanguinis exitium, Mtas. regia plane intellexit ex his, quae nuper per vram. M. relata sunt, et miratur atque etiam dolet impense sacra Mtas. regia, quod serenissimus rex Angliae, pius et prudens princeps, ad consilium et persuasionem rmi. domini cardinalis Eboracensis, viri alioquin et periti et prudentis, hanc facem pene inexstinguibilem in orbem christianum immiserit, quodque sub eo bellico praetextu serenissimus ille rex consortem suam ablegare et repudiare aliamque recipere vellet. Et certe si ita est, videntur tam ipse rex officio, quam cardinalis professioni suae non mediocriter excitatione ista belli derogare et notam quandam inurere.

Quod autem consilium salubre tantis exstinguendis malis censeat Mtas. regia, heri vestrae Dtioni. exponi fecit et nunc quoque repetere mandavit, nullum videlicet magis praesens remedium tot bellis, seditionibus, novitatibus, haeresibus videri, quam generalis concilii in loco securo et tranquillo congregationem, in quo forte invenientur modi, quibus possent sedari istae in orbe christiano procellae, quae si diutius mundum tot dissidiis, seditionibus et mortalitatibus concutient, non procul aberit, quin Turcus universum orbem absque ullo negotio occupet.

Egit quidem sacra regia Majestas tam apud olim Leonem et modernum Clementem, summos pontifices, sollicite per literas suadendo et supplicando, ut vel ob sedandas pestiferas haereses ipsum concilium indicatur et convocetur, sed hactenus magno christianitatis malo nihil persuadere vel impetrare potuit Mtas. sua.

Quod Summus Pontifex injussu sacrae caesareae Mtis. olim detentus et tandem jussu Mtis. suae libertati pristinae fuerit restitutus, sacra regia Mtas. summe probat et gratulatur tam illius Sanctitati quam caesareae Mti., quod curaverit universis declarare, se habere in debita veneratione Summum Pontificem, cui utpote vicario Christi in terris et reverentiam et protectionem[1]) tenetur ex fide et unctione sua Mtas. caesarea, cogitandum tamen esset, ut tam ipse Summus Pontifex, quam alii viri ordinis ecclesiastici non se immisceant factionibus istis, ex quibus sequi plerumque solent magnae hominum mortalitates, quodque in ecclesia catholica jam tandem aliquando reformatio fiat, priusquam quod reliquum est christianitatis ab haeresibus, non pridem exsuscitatis, inficiatur et absorbeatur.

Gentes et subditos suos in stipendia caesareae et catholicae Mtis. Mtas. regia, si opus fuerit, libenter est permissura, sed ita quod caesarea et catholica Majestas provideat, ne quid inde detrimenti et incommodi dominia et subditi Mtis. regiae subire et sustinere cogantur.

Teloneum, quod subditi caesareae Mtis. partium inferiorum a se non sine injuria in civitate Gedanensi capi queruntur, cum illud ipsum coeptum esset capi ex certa concordia pro damnis quibusdam, sed quod jam diu cessare debuisset, ut nuper latius exposuit vestra Dominatio, Majestas tamen regia de hac concordia et telonei origine antea nunquam intellexerat, sed scit teloneum jam ab immemorabili tempore solitum capi in ea ipsa civitate Gedanensi, quae Mti. quoque regiae solet respondere de ipso teloneo, sed nihilominus Mtas. sua non negabit justitiam ministrare cum ipsis civibus Gedanensibus, si quis illam apud

[1]) Opuszczone słowo: exhibere, praestare lub pod.

apud Mtem. suam postulaverit tam ob indebitam exactionem telonei quam ob quamcunque aliam rem etc.

Quod autem subditi Mtis. caesareae queruntur, se contra fas jusque artari in ipsa civitate regia Gedanensi, ut merces vendere vel emere aut mercari et licitari non possint cum externis aut aliis praeterquam cum ipsis Gedanensibus, scire velit vra. Dtio., hoc privilegio dudum illos donatos fuisse a praedecessoribus Majestatis suae regiae, quo etiam utuntur adversus omnes alios subditos Mtis. regiae, quae non videt, quomodo de jure liceret abrogare illis hoc ipsum eorum jus et privilegium, quo tam diu usi sunt.

Ei vero homini, cui res quaedam aureae et argenteae dicuntur receptae, cum tempore belli Pruthenici proximi fuisset capta quaedam navis per Gedanenses, non negabit Majestas regia facere justitiam cum ipsis Gedanensibus, si quando ille a Majestate regia quaesiverit justitiam sibi ministrari.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny.)

368. Joannes, episcopus Vilnensis, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Serenissime princeps ac excellentissime rex et domine, domine colendissime. Post servitutis meae perpetuam commendationem. Non ignoro licet, serenissime princeps, taediosam importunitatem esse, summos principes variis alioqui reipublicae christianae negotiis impeditos parvae importantiae literis molestare, verum ego persuasum habens, vestram serenissimam Majestatem, principem nostra aetate rarae mansuetudinis, pro innata virtute ac regia prudentia meam importunitatem boni consulturam, non sum veritus, incolumitatem vestrae Majestatis serenissimae literis meis invisere, testaturus perpetuum vestrae serenissimae Majestatis obsequendae mei animi institutum, quam Deus optimus maximus diu incolumem ac perpetuo felicem servet ac tueatur, cui me servitiaque mea etiam ad nutum vestrae serenissimae Majestatis semper paratissima commendo. Vilnae, civitate primaria magni ducatus Lythuaniae, tredecima mensis Augusti, anno domini nostri millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

Sacratissimae Majestatis vestrae servitor Jo. episcopus Vilnensis s. s.

Kod. Kórnicki pism Krzyckiego, nr. 179. Kod. Karnk. X, 136. Kod. Sap. VII, 133.

369. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. vicecancellario.

Reverendissime in Christo pater et domine mi colendissime. Proficiscens ad vestram reverendissimam Dtionem. dominus capitaneus Plocensis rogavit me, ut illum eidem reverendissimae Dominationi vestrae commendarem. Quamvis autem intercesserunt quaedam inter nos cum summa mea molestia, non mea quidem voluntate, qui nulli unquam mortalium mea sponte molestus esse consuevi, sed partim debito meo partim etiam necessitate quadam, ne quid de jactura dicam: tamen quia jam meliuscule res inter nos convenire videtur, commendo illum non ut rogatus, sed integro et simplici animo rmae. Dtioni. vrae. jam illi alioquin dudum acceptum meque una et servitia mea. Ex Ploczko die XVI Augusti anno M. D. XXVIII.

370. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 3238 (minuta).
Kod. Karnk. X, 178.
Kod. Sap. VII, 174.

Sacra regia Majestas et domine, domine clementissime. Post perpetuae servitutis meae et orationum mearum humilem commendationem. Accepi descriptionem et legationis caesareae Mtis. nuntii et responsi, quod illi Majestas vra. dare dignata est. Et profecto magnam ex eo cepi voluptatem, quod homo ille hospitaliter et laute istic fuerit a Majestate vestra tractatus, item etiam liberaliter et honorifice donatus; etenim spero hoc maxime laudi et gloriae Mti. vrae. futurum, cum ille optima praedicatione de Mte. vra. gratum se fuisse eorum munerum hic adhuc in regno amplissime declaraverit, idem etiam procul dubio apud caesaream Mtem. facturus. Quae ejus in Mtem. vram. gratitudo et studium efficere et hoc facile poterit, ut Majestas sua caesarea ex hac suspicione deducatur, in quam falso ex subditi unius [1]) Majestatis vrae. temerariis in Gallia et Anglia gestis fuerat adducta et deinceps sibi indubitate persuadeat, Mtem. vestram sibi et fratri suo amicissimam esse et benevolentem.

Fama est hic ad nos allatum et jam fere in omnium ore versatur, regem Joannem brevi ex Tharnow et regno Mtis. vrae. discessurum esse in Ungariam, nuntiatum enim sibi dicitur, Turcos, qui in subsidium illius sunt missi, cum domino Laski apud Peterwaradinum castra habere et se illic exspectare. Praeterea nihil hic aliud novarum rerum habetur, quod a me ad Mtem. vram. scribi recte possit. Si quid tamen erit postea, non patiar Mtem. vram. ignorare. Cui me et servitutem meam supplex commendo et felicissimam esse cum omnibus liberis et conjuge sua serma. vehementer opto et dominum Deum assidue oro. Datum.

371. Christ. Szydłowiecki, cast. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny).

Sacra et serenissima Majestas et domine domine clementissime. Post perpetuae servitutis commendationem. Accurrit huc heri tabellarius sacrae Majestatis vestrae reddiditque mihi fasciculum literarum ejusdem sacrae Majestatis vestrae serenissimis dominis regibus, dominis meis clementissimis, et aliquibus dominis consiliariis Majestatum suarum inscriptarum, et licet mihi sacra Majestas vestra nihil scribere dignetur, ut eas ipsas literas ad serenissimos dominos reges meos ac ad alios, ad quos pertinent, mitterem, tamen ego studiosissime curabo, ut perferantur sine mora, primum ad sacras Majestates dominorum meorum, postea ad eos, ad quos pertinent, illas vero, quae reverendissimo domino episcopo Cracoviensi et domino Severino Boner inscriptae fuerunt, coram praesensque reddidi. Quod autem sacra Majestas vestra scribere dignetur, grata sibi esse studia honoremque, quem contemplatione Majestatis vestrae serenissimae magnifico domino Joachimo de Malzaun praestiti, quidquid serenissime et invictissime rex humanitatis et officii praedicto domino Joachimo et aliis servitoribus Majestatis vestrae a me impensum est, impensum est certe libentissime et gratissimo animo, perinde ac a deditissimo servitore Majestatis vestrae serenissimae. Et nihil est, modo illud sit virium mearum et cum honore meo, quod non libentissime

[1]) W kod. Sap. dopisał Górski: Hieronimi Laski.

tissime pro sacra Mejestate vestra facerem, utpote qui jam dudum totum me tradidi obsequiis sacratissimae Majestatis vestrae. Magnifico autem domino Joachimo maximas ago et habeo gratias de hac commendatione et amicissima relatione. Erat etiam paulo ante apud me orator catholicae et sacratissimae caesareae Majestatis ad Lithuaniam proficiscens, quem ob honorem utriusque Majestatis vestrae sacratissimae et habui et tractavi ut potui humanius et feci conduci Dominationem suam per possessiones suas usque in fines magni ducatus Lithuaniae. Ceterum de meis studiis et obsequiis erga se nihil sacra Majestas vestra dubitare dignetur: quaecunque putabo ad commodum et amplitudinem salutemque reipublicae christianae, quae in manibus sacrae Majestatis vestrae non minima ex parte sita est, pertinere, id omne animi mei propensione et sinceritate curabo et promovebo. Dedi proxime per tabellarium meum proprium ad reverendissimum dominum Tridentinum, dominum et amicum meum singularem, cujus reverendissimae Dominationi inter alias scripsi me vigilare in promovenda de novo concordia inter sacram Majestatem vestram et adversarium ejus, rogans supplicaret Majestati, boni consuleret moram hanc, quae justa de causa intercessit. Ego etiam, qui hujus pacis sum cupidissimus, puto illam, si conficietur, orbi christiano, nedum Majestati vestrae fore salutarem. Supplico et obsecro, dignetur non avertere ab ea et morulam hanc boni consulere, post paucos enim dies puto me aliquid significaturum certius in ea re sacrae Majestati vestrae, quam Deus optimus maximus in multos annos servare dignetur incolumem. Cracoviae 23 die mensis Augusti anno domini MDXXVIII.

Ejusdem sacratissimae Majestatis vestrae humilis servitor

Cristoforus de S. cast. et c. Crac.
ac r. P. cancellarius, manu sua.

372. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, epo. Plocensi.

Kod. Karnk. X, 139.
Kod. Sap. VII, 137.

Reverendissime in Christo pater et domine, nepos charissime. Cito post acceptas a rma. Dtione. vestra literas Cracoviam veni, ubi regiae Mtis. et Reipublicae quibusdam negotiis do operam una cum magnifico domino castellano Cracoviensi; neque tamen hic ob periculosum pestilentiae metum, cujus jam non parva initia apparent, diu esse potero. Eapropter etiam ego et dominus episcopus Premisliensis veriti fuimus rmam. Dtionem. vram. et alios antistites ad munus consecrationis huc accersere, statuentes longe commodius esse et magis pro dignitate, ut ex sententia rmae. Dtionis. vrae. et dni. epi. Cujaviensis deligatur locus, quo et dnus. Premisliensis et suffraganens meus pontificalibus initiandi veniant. De qua re jam retulit dnus. Premisliensis ad dnum. epum. Cujaviensem et Dtionem. vram. Et quicquid Dominationes vestrae de illo constituerint, ad hoc se etiam suffraganeus meus facile accommodabit, modo id celeriter fiat.

Nova in praesentia de Tartaris ex Russia parum pacata et tranquilla afferuntur. Hoc tamen nos hic praecipue nunc premit incommodum, quod fere tota Cracoviensis provincia et maxime insigniora quaeque oppida insalubri hac aura laborant.

Mirifice mihi placuerunt carmina defensionis naviculae meae, pro quibus Dtioni. vestrae rmae. plurimas ago et habeo gratias et alia ejus generis ab Osio nostro facta illi mitti.[1]) Ceterum felicem esse rmam. Dtionem. vram. et optime incolumem vehementer opto, utque me diligat, plurimum illam rogo. Datum Cracoviae.

[1]) Cfr. nr. 357.

373. P. Tomicius, epus. Cracov., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 3239 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 171.
Kod. Sap. VII, 202.

Sacra regia Majestas et domine, domine clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Paulo ante cum curreret isthuc Steinkircher, cubicularius Mtis. vrae., scripsi literas ad vestram sermam. Mtem. respondens ad ea, quae de domino Laski a me requirebat, ubi exposui quidem ego sententiam meam, exigenda necne esset sub id tempus ab eo poena, qui laedere et offendere Mtem. vram. audaci facinore veritus non sit, cum tamen incertum adhuc habeam, sitne reus omnino istius facti ipse dominus Laski, quod ejus nomine de indicto bello et hostilitate obnuntiata circumfertur; nam quis affirmet ea non ficta et commenta alicujus alterius esse? vel etiam si ipsius sunt, non ad terrorem potius incutiendum Ungaris et pertentandos animos eorum potius scripta, quam ut certissimum hostem et inimicum se vel sermo. regi Ferdinando vel provinciae illi Transsilvaniae declarare velit? cum nihil constat de Turcorum vel aliorum hostium in Ungariam adventu, quinimmo fama jam illa prima videtur fere evanuisse regisque Joannis dejecisse animum et comminuisse spem. Nam cum ea erat ejus potissima recuperandi regni per Turcos exspectatio, afferebantur ad nos illorum saepe voces et spes, quam ipsi inde non dubiam sibi pollicebantur, nunc cum tempus est maxime opportunum, quoniam silent et amplius nihil sibi in iis pollicentur, videntur mihi et rex et ceteri ejus consiliarii in Turcis desperasse reliquamque omnem spem in Germanorum auxiliis collocasse, quae, ut audio, haberet utique rex ipse Joannes, si argenti alicunde suppeditaret sibi copia, quo quoniam eum quoque carere prorsus credo, multum et illi et rebus ejus timeo. Sed haec Mtas. vra. pro sua sapientia complecti et capere melius animo potest, cui ego, ut semper soleo, servitutem meam etiam atque etiam commendo et ipsam Mtem. vram. felicissimam esse et cum serma. conjuge sua et liberis optime incolumem vehementer desidero. Datum.

374. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Jo. Chojenski, archidiac. Crac., secretario regio.

Teki Górskiego, nr. 2890 (minuta z poprawkami Tomickiego).[1])
Kod. Karnk. X, 172.
Kod. Sap. VII, nr. 203.

Venerabilis domine, frater in Christo charissime. Intelligetis abunde sententiam nostram ex superioribus literis nostris ad regiam Mtem. datis in domini Laski negotio, quam nos etiam nunc non mutamus, tametsi hoc minime adhuc credamus, certum esse, quod de ipso in illis denuntiatoriis literis circumfertur. Nam et Turci nusquam apparent et rex Joannes tota spe et exspectatione sua videtur decidisse et dejectus esse neque tantum jam audimus eum sibi vel in Turcorum vel in Germanorum subsidiis promittere et polliceri, quantum antea animose et alacriter solitum haec facere audiebamus.

Nos hic multa incommoda in regno et cum plurimis aliis Vistulae adjacentibus ex inundatione aquarum suscepimus. Nam et piscinae ubique ruptae sunt et prata et segetes ut plurimum sunt vitiatae et corruptae, neque videmus, quo pacto et sicubi segetes colligere agricolae poterunt propter continuos imbres et tempestates, unde non mediocrem annonam et caritatem metuimus in animum sequentem futuram; hoc tamen Deus prospiciat

[1]) Na minucie zapisał Tomicki: Gorski senior.

ciat et gubernet pro benignitate et clementia sua. Nos cupimus vos esse felicem et incolumem, nam et ipsi fere in omnibus recuperavimus pristinam sanitatem, nisi quod pauxillum admodum tumoris restat in pedibus.[1])

Archiwum główne w Warszawie (oryg.)

375. Georgius, marchio Brandeburgensis, Sigismundo primo, regi Poloniae.[2])

Durchleuchtiger Konig, unser willig freuntlich dinst zuvor, lieber Herr unnd Ohaym. Nachdem sich uff den Vertrag zwischen Euer Koniglichen wirde, unnd dem hochgebornnen furssten unsernn freuntlichen lieben Bruder Herrn Albrechten Marggrafen zu Branndenburg Hertzogenn Inn Preussenn etc. des nechstverganngen funf unnd zwantzigsten Jars zu Kragkhaue aufgericht geburt hett Ee. Koe. wirde die bekhannt uns Inn sollchen vertrag vonn unnsern darinnerleybten Brudern zugestheen vor derzeit Verfertigt zu uberschicken wellchs sich aber bisshero mit Verwilligung Ee. Koe. wirde Verzogen hat, habenn wir zuvordersst derselben Ee. Koe. wirde solchs Iro gnedigenn und freuntlichen gedult tragens und zu willigen erzaygens gannz dinstlichenn und freuntlichen Danck, wollen auch sollchs widerumb mit allem Vleis gegenn Ee. Koe. wirde verdienen, und schickenn Er. Koe. wirde darauff sollche bekhanntnis unter unserem Innsiegel hiemit zu, Wie Euer Konigliche wirde sehenn und vernemen werdenn, Der wir zu diennstlicher uud freuntlicher wilfarung berayt und willig sind Dabey wollenn wir auch Euer Koe. wirde nit verhallten nach dem diesellben entzweywel Waysst, Das wir vonn weyllundt Konig Wladislawen von Hungern und Behaym und darnach Konig Ludwig seinem sonn beder seeliger loblicher gedochnuss auff ein Vortrag mit Hertzog Johannsenn von Opeln und dem verstorbenn Hertzog Valentin vonn Rattibarn auffgericht mit denselbenn beden furstennthumben begnad sind unnd so stattlich und krefftig alls Imer moglich ist, Inn sollchen felln zugestheen etc., haben wir die yizigenn koniglichen wirde zu Hungernn und Beheim unnsern liebenn Herren Oheim und Schwager umb confirmation sollcher unnser vorerlangter begnadung unnd gerechtigkeit imer dann Undertheingelichen angesucht, Aber nachddem sich etliche unnsere misyonner der Cron Behaym verwannte wiederstannden habenn, unns daran vermeinnter unnd unvillicher weys zuverhindern, hat Ir die Koniglichen wirde den Hanndel alls nun furstrittig einbilden lassen und unns aus derselben Ursach bisshero die Confirmation aufgezogenn, und kurzlich derhalbenn zu Prag tagleistung gehallten, und Was daselbst gehandelt, und Unns der wir Inn aygner Person zu Prag gewesst sein. Im beschlues fur abschied gevolgt ist, vonn dem allem Schieckenn wir Ee. Kon. wirde hieneben ein .... (wytarty wyraz) serlichen abdruck zu und hettenn unns gleichwol sollchs abschieds nach gelegenheit und gestallt aller sachenn gar nit versehen. Dieweyl wir aber uf dassmal kein anders habenn erlanngenn konnen, und wir nun vor anndern ain sondern hohenn vertrauen| zu Ee. Koe. wirde alls zu unsernn geliebten

[1]) Na minucie zanotował St. Górski: Minutae rmi. d. epi. Crac. scriptae Cracoviae post adventum nostrum ex Kelce in Cracoviam 1528 circa Bartholom.; (a zatem około 24. 8. 1528). — [2]) Na oryginale zapiska kancelaryjna: Literae electoris Brandeburgensis Georgii, quibus significat se cum Opoliensi et Ratiboriensi pactum iniisse ratione illorum ducatuum et acquisitae ibi possessionis, ac deinde a rege Bohemiae confirmationem petiise, de qua non obtenta conqueritur petens a Sigismundo rege consilium et opem, anno 1528. Georgius marchio Brandeburgensis Onolibacensis.

liebten Herren und gesypten freundt haben. So Bitten wir Ee. Koe. wirde mit sondernn Wleys gardinstlich und freuntlich. Die wollenn sollchen abdruck aller handlung mit Vleys durchaus vermenen und bewegenn unnd unns Inn der gehayms schrifftlich und wertreulich gerattenn sein was unns nun weyter zu handeln und furzunemen, das nutzest Und das vesst sein woll unns der Wir furwar Inn diesem Hanndel hoch beschwerdt sind, Inn alle wege darnach wissenn zuricht. Das wollenn wir mit allem Vleys ums Ere. Koe. wirde wergleichenn und verdiennen, Die vir dem allmechtigen got bevelhen zu lanngh-wiriger gesuntheit und gleckselicher Regirung. Datum Onnolizpach, den XXIIII tag des Monats augusti Anno MDXXVIII.

Von gotz gnaden Georg Marggraf zu Brandenburg Inn Preussen zu Stettin Pomern der Cassuben und Wenden auch Inn Schlessien zu Ratibarn und Jegernndorf Herzog Burggraf zu Nuremberg und furst zu Ruegen
manu propria subscripsit.

Zur Durchleuchtigen fursten Herrenn Sigmunden Konigen zu Poln grossen Herzogen Inn Litthuanien zu Reussen und Preussen Herrnn unnd Erben etc. unsern lieben Hrerenn und Ohaim.

376. Georgius, marchio Brandeburgensis, suo et Alberti, filii fratris sui Casimiri, nomine approbat pacta Sigismundi regis cum Alberto duce in Prussia de feudo Prussiae 1528.

Archiwum główne w Warszawie (oryg.)

Vonn Gottes gnaden Wir Georg Marggraw zu Branndenburg Inn Preussen zu Stettin, Pommern der Cassuben unnd Wennden auch Inn Schlesien zu Rattibarn Jegerndorf etc. Hertzog Burggrave zu Nurmberg unnd furst zu Ruegen fur unns selbs unnd alls vormunnd Weylund unnsers Bruders Marggrave Casimirn folgen vorlassen sons unsers Jungen Vettern Marggraf Albrechts. — Alls hiewor zwischen dem durchleuchtigen fursten Hernn Sigmunden Konigen zu Poln Irer Koniglichen wird erben und nachkomenden Konigen derselben Chron an einem unnd dem Hochgebornnen fursten unnsernn freuntlichen lieben bruder Marggraff Albrachten zu Brandenburg etc. Dazumal teutschordens Hohmeister und Jetzo Herzogen inn Preussen unnd semerlich Landschafft unnd Stetten inn Preussen anndersteils ain richtigung und vertrag abgerede gemacht, unnd aufgericht ist, Inn laut der vertragsbrieve darum ausgangen Der Datum steet zu Craghhau am palmabend der ist der achttag apprilis gewest nach Christi unnsers lieben Herrn geburt Tausent funfhundert und Im funf und zwanzigsten Jare, und nun solcher vertrag neben andern Inn einem sondern artikel Inn sich hollt unnd begreufft Das sich Weylund unsere zwen bruder Marggraff Casimir und Marggraff Johannes beder solcher gedechtnus durch Ire brief unnd Sigel Inn Jarsfrisst zu solchem Vertrag auch bekennen sollen. Welchs aber aus ettlichen wessenlichen verhinderungen unnd zulassung koniglicher wird bestimbtter zeit und Seither auch so lanng verbliebenn ist, allso das Inn dess bede abgemelte unnsere gebrudere Marggrave Casimir und Marggraff Johanns unnd sonderlich der ann Unnser bruder Marggraff Johanns uns eelich leibs erbenn, nach dem Willen des allmechtigen Gots mit tod verschidenn sein dieweil aber unnser Bruder Marggraff Casimir den obgemelten seinen Sone Marggraff Albrechten — unnsern Jungen vettern — verlassen hat, der neben und mit unns Im Regiment sein wurdet wellchs vormunder wir

wir sind so lanng bis derselb Unnser Junger vetter seine Manbare Jar erraicht — Bekennen effentlich mit diesem briefe fur unns selbs unnd alls vormund abgemelts unsers jungen Vettern und pflegsons Marggraf Albrechts etc. und unser beder erbenn Das vir vonn unnsern und seiner libwegen zu solchem vortrag laut abgemeltts artikels auch bekennt habenn, Bekennen auch zu demselben vertrag mit rechter wissenn hiemit gegenvertiglich Inn Craft dies briefs fur uns gedachten unsern Vettern und pflegsone und unser beeder erbenn solcher massen unnd in der gestallt, so es sich zu fellen begebenn, also das gemelter Unnser Bruder Marggraff Albrecht etc. an eelich menlich absteigend erben mit Tode abgieng oder das sein lieb eelich menlich absteigend erben Verlassen unnd doch dieselbenn darnach anch absturben, Sodann wir unnd unnser Junger vetter Marggraff Albrecht Er oder unnser beder erbenn sambtlich oder sonnderlich solliche Land Preussen auff disenn Vertrag annomen innhabenn, unnd geniesslich besizenn werdenn, das alssdann wir oder der so allso vorgemelter gestallt, die Lannd annemen Innhaben und genieslich besizen wurde oder seine erbenn Jedesmals alles das so obgemelter vortrag Inn allen seinen stücken punkten und artickeln ausweist, und Vermag annemen und gewenlich haltenn unnd volziehenn sollenn unnd wollen Dess verpinden wir unns auch hiemit bei unnsern furstlichen wirdenn Inn Craft dies briefs fur unns gemelten unnsern vettern und pflegsone und unnser beder erbenn, alles getreulich, an alle arglist unnd ungeuerlich Zu urkundt habenn wir unnser gemein Innsigel mit rechter wissenn an disen brif gehanngen, der gebenn ist zu Onnolitzbar am tag Bartholomei nach Christi unnsers liebenn Hern geburt funffzthenhundert, und Inn acht und zwanzigsten Jaren.

Teki Górskiego, nr. 1048 (odpis współczesny).[1])
Kod. Karnk. X, 186.
Kod. Sap. VII, 178.

377. Responsum regis Joannis datum P. Tomicio, epo. Crac., vicecancell., et Chr. Szidlovicio, capit. Crac., cancellario.

Majestas regia licet rursus ac denuo sit gravissime offensa ac turbata per ea, quae in responso sermi. regis Bohemiae Ferdinandi, oratori serenissimi dni. regis Poloniae domino Petro Opaleniczki proxime publice Pragae dato, fuerunt in ipsam immerito congesta, boni tamen publici causa, quod rebus omnibus anteponit, parata est cum praefato rege Bohemiae, adversario suo, concordiam inire, sicut id antea quoque nuntiaverat spectabili et magnifico domino castellano Cracoviensi et reverendissimo domino episcopo Cracoviensi, si is tunc Cracoviae repertus fuisset, medio rmi. domini Colocensis et medio dni. episcopi Sirmiensis.

Sed quia intelligit Majestas sua, praefatum regem Bohemiae optare conventum cum sermo. dno. rege Poloniae, et pro hoc apud Majestatem ejus instare, id quod et Majestas regia desiderat, existimat sua Majestas, nihil esse commodius ad ejusmodi concordiae tractationem, quam fieri hujusmodi conventum et quod tunc medio domini regis Poloniae tractetur et conficiatur hoc negotium, quo tempore tractandum etiam videtur de modo et conditionibus hujusmodi concordiae.

Intellexit etiam Majestas regia ea, quae locutus est rmus. dnus. episcopus Tridentinus cum oratore praefato sermi. dni. regis Poloniae in facto talis concordiae. De quo dicit Majestas

[1]) Na odpisie w Tekach zanotował Górski: Ex responso Ferdinandi, quod Petr. Opaleniczki attulit, notum est hoc sequens responsum a Joanne rege.

jestas regia, quod licet illa conditio per ipsum dnum. Tridentinum proposita sit admodum gravis et dura, si tamen ad hoc esset veniendum, primum de hoc etiam ipso in hujusmodi conventu tractari ac medio sermi. domini regis Poloniae transigi deberet.

Deinde illud quoque eo casu esset considerandum, utrum videretur honestum et conveniens, Mtem. regiam pro sola patrimonii sui pecuniaria redemptione negligere ac postponere tot commoda, quae sunt Majestati regiae ante oculos: pacem videlicet imperatoris Turcorum cum magno commodo reipublicae christianae, item amicitiam christianissimi regis Gallorum et aliorum confoederatorum suorum, tantam praeterea ac tam magnam ac firmam spem, etiam si illa superiora non sint, regni sui, per adversarium injuste et violenter occupati, cum Dei auxilio recuperandi ob multas causas, quas etiam adversarius suae Majestatis vix potest ignorare.

Haec tamen omnia, ut dictum est, longe melius et commodius in conventu praescripto et tractari et finiri poterunt, ad quem se Majestas sua refert et quem, ut supradictum est, fieri vehementer desiderat.

378. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 1049 (minuta).
Kod. Karnk. X, 188.
Kod. Sap. VII, 182.

Sacra regia Majestas et domine dne. clementissime. Post humilem servitutis et officiorum nostrorum commendationem. Scimus jam satis cognitum esse Mti. vestrae serenissimae, quemadmodum sermus. rex Joannes coeperit inclinare animum ad concordiam cum sermo. rege Ferdinando ineundam. Subinde etiam non ignoramus, tenere Mtem. vram. conditiones ab illo ad pacem tractandam propositas et oblatas. De quibus quidem cum una hic cum domino Sirmiensi episcopo consultationem per alioquot dies haberemus: declarandaene et mittendae essent a nobis istiusmodi conditiones sermo. regi Ferdinando, haec nobis ultima stetit sententia, ne omnino mitterentur, tum quod non videbantur nobis ex commodo et utilitate regni Ungariae esse, tum etiam quod illas regem Ferdinandum et proceres regni Ungariae certo credebamus repudiaturos. Verumtamen persuasimus domino Sirmiensi episcopo, ut ad regem suum rediret et postularet ab illo alteras conditiones proponi, quae ad pacem et concordiam tractandam et perficiendam essent magis attinentes et accommodatae. Quod ille quidem iter suscepit non invitus. Reversus tamen ad nos pro conditionibus alteris, attulit nobis hoc regis sui responsum, quod Mti. vrae. sermae mittimus praesentibus in scheda, prout erat scriptum, inclusum. In quo rex omnia de pace et concordia ad felicem congressum Mtis. vrae. cum sermo. rege Ferdinando confert et rejicit, nescimus an eo consilio extrahendi et differendi negotii fretus, quod de auxiliis ex Germania affuturis indubitate jam sibi polliceatur, vel quod etiam nova quaedam exspectatiuncula et spes subsidii sit illi ex parte Turcorum injecta. Utcunque tamen fuerit, res nobis timoris et periculi plena videtur, ne, si ille copias istas fuerit assecutus, omnis culpa novi denuo comparati et concitati belli Mti. vestrae et ceteris nobis attribuatur et fiat tunc maxime difficilis concordiae et pacis tractandae ratio.

Quod tamen attinet ad coitionem et congressum Mtis. vestrae cum sermo. rege Ferdinando, plurimum sane ea res nobis spei bonae et exspectationis inducit in animum, quod hoc pacto speremus potissimum et prospiciamus concordiam hanc persuaderi et pacem perfici, Majestatis autem vestrae cum sermo. rege Ferdinando necessitudinem, amicitiam et foedera ita maxime confirmari et coalescere posse. Cujus rei etiam amplissimum fructum Mtis. vrae. sermi. liberi et ulterior posteritas capere facile posset. Quare rogamus suppliciter

Mtem.

Mtem. vestram, ut ad id adjicere animum dignetur et apud se quandoque statuere, ut compositis et in optimo ordine collocatis rebus ducatus et regni sui, certo in loco cum sermo. rege Ferdinando una fiat et congrediatur, hancque perniciosam et calamitatis plenam duorum regum contentionem suasu, consilio et autoritate sua dirimat. Qua re procul dubio maximum sibi nomen et gloriam apud christianos principes Majestas vestra comparabit et regni sui utilitati, paci et tranquillitati in longissima tempora facile consulet, amicitiam praeterea regis Ferdinandi et principum Germanorum ista praecipue ratione accumulatam, firmam et diuturnam reddet. In quo nos Majestati vestrae serenissimae studio, officio et sedula servitute nostra non deerimus. Quam servitutem et ipsos etiam nos iterum atque iterum Mti. vrae. sermae. ex animo commendamus, et felicissimam esse Mtem. vestram cum incolumibus liberis et serma. conjuge sua vehementer desideramus. Datum Cracoviae 26 Augusti 1528.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny). Teki Górskiego, nr. 978 (minuta przepisana, ale jeszcze poprawiona przez Tomickiego.) Kod. Karnk. X, 189. Kod. Sap. VII, 183.

379. P. Tomicius et Christ. Szydłowiecki, cancellarii r. Pol., Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Sacra regia Majestas et domine domine clementissime. Post humilem servitutis et officiorum nostrorum commendationem. Sicuti a principio coepti belli et inchoatae de regno Hungariae controversiae inter Majestatem vestram serenissimam et ejus adversarium ceperat nos cura et studium non vulgare, ut serenissimi regis et domini domini nostri opera et suasu, item etiam diligentia et sedulitate nostra ad concordiam et pacem omnia reducerentur, ita etiamnum non desinit nobis versari ante oculos haec eadem sollicitudo insinuandae, suadendae et conciliandae pacis inter Majestatem vestram et praenominatum ejus adversarium, idque cum boni publici causa, tum ne vicini et confoederati nobis regni Hungariae salus et tranquillitas alioqui jam satis labefacta et attrita amplius fluctuet et periclitetur. Et equidem post multos conatus et curam eo videmur nobis perduxisse negotium, ut jam Majestatis vestrae adversarius ad ineundam cum illa concordiam facili et inclinato coeperit esse animo. Ac per hosce quidem dies egimus hic in eam sententiam multa cum oratore ejusdem adversarii Majestatis vestrae, rndo. domino Stephano Broderico, episcopo Sirmiensi, et post multa poposcimus tandem ab illo nobis proferri et nuncupari pacis et concordiae futurae conditiones. Quas cum ille protulisset exspectatione nostra duriores et quae nostro judicio a regni Hungariae commodis et utilitate, item etiam concordiae et pacis tractandae ratione alienae nobis viderentur, evestigio eas repudiavimus, tum quod non videbatur dignum talibus conditionibus aliquid cum Majestate vestra de concordia aggredi, tum etiam quod speraremus alteras, quae ad pacem essent proximiores, facile hoc pacto referri et proponi. Sed tamen loco aliarum conditionum postremum hoc ab adversario Majestatis vestrae serenissimae tulimus responsum: quod cum videlicet haec res magni momenti illi esse videatur, non putat expedire aliquid hac de re aliud nobiscum in praesentia agere, sed id omne negotium ad autoritatem serenissimi regis et domini nostri ac ejus cum Majestate vestra felicem congressum referre se et rejicere velle, quo tempore commodius et cum majore felicitate sperat omnia confici et expediri posse. Namque et illi vicissim conditio, quam a reverendissimo domino episcopo Tridentino et Majestatis vestrae cancellario oratori serenissimi domini regis nostri propositam et delatam audierat, gravis et supra modum dura videbatur. Si tamen ad illam veniendum esset, videri sibi id quoque tractari posse commodius in conventu serenissimi domini nostri

nostri et Majestatis vestrae. Nos itaque accepto hoc responso curam et studium ejus concordiae tractandae suspendimus in felicem congressum serenissimi domini nostri et vestrae serenissimae Majestatis. Quem sane congressum cum et Majestatem vestram non abnuere inetelligamus et nos etiam ipsi cognoscamus illum fore magnopere faustum et non solum ad transigendum hoc impedimentum belli et controversiae negotium, verum etiam ad stabiliendam et obfirmandam vinculis praesentibus et diuturnis necessitudinem, amorem et amicitiam fraternam inter Majestatem vestram et serenissimum dominum nostrum, enitemur pro facultate et viribus nostris, ut idem serenissimus dominus noster, utcumque nunc magni ducatus sui Lithuaniae negotiis arduis impeditus, cum Majestate vestra serenissima, quam primum commode poterit, congrediatur. Interea vero Majestas vestra meditari dignabitur, quo potissimum loco et quibus conditionibus pro dignitate christianae reipublicae et utilitate regni sui Hungariae negotium hoc concordiae et pacis transigi et componi possit. Sub quod etiam tempus et nos modis omnibus incumbemus et satagemus quantum in nobis erit libenter, ut et Hungariae regno et vestrae serenissimae Majestati commendata et grata esse possit opera nostra. Cui quidem Majestati vestrae serenissimae nos, officia, studia, servitutem denique nostram rursus diligenter et ex toto pectore commendamus et eam felicem esse atque in multa tempora optatis successibus frui diligenter et ex animo optamus. Datum Cracoviae die XXVII mensis Augusti anno domini M. D. XXVIII.

Ejusdem Majestatis vestrae serenissimae servitores obsequentissimi

Petrus episcopus Cracovieusis et vicecancellarius,

Cristoforus de S. cast. et. c. Cracoviensis r. P. cancellarius manu sua.

380. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Lucae de Gorca, cast. Posnaniensi.

Teki Górskiego, nr. 2863 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 190.
Kod. Sap. VII, 184.

Magnifice domine, domine et frater honorandissime. Priusquam huc venissem, coeperat jam tum quidem sermus. rex Joannes per oratores suos nonnulla ad concordiam cum sermo. domino rege Ferdinando, adversario suo, ineundam consilia et initia cum domino castellano Cracoviensi facere. Cum autem ego veni, iteravit omnia et communicavit mecum per dominum Brodericum, episcopum Sirmiensem, et conditiones nobis quasdam invicem cum domino castellano Cracoviensi proposuit, quibus hoc totum concordiae negotium absolvi vellet. Quae quoniam nobis et a commodis regni Ungariae alienissimae videbantur et quas rex Ferdinandus procul dubio non esset suscepturus, assentire illis minime voluimus, sed optavimus ab eo, ut quasdam alias conditiones proponeret in medium, quae proxime ad concordiam accedere posse viderentur. Quod ipse facere in praesens noluit, nescio, an ea spe ductus, quod milites Germanicos, quibus jam pecuniam numerari ac dari fecit, exspectet. Quare tractatio haec omnis de concordia rejecta est in illud tempus, quo regia Majestas domini nostri cum rege Ferdinando congredi speratur. Nam et rex ipse Ferdinandus id, ut cum Mte. sua conveniat, plurimum optare dicitur. Interim autem quod haec erunt suspensa, metuendum est, ne quid mali accidat, quod a pace et concordia animos istorum duorum regum inter se invicem dissidentium longius avocet, praesertim si haec auxilia Germanica, de quibus jam pridem est negotium, regi Joanni advenerint ipsorum tamen periculo fuerit, quidquid continget, cum sermus. rex noster et nos omnes invitissimi eorum contentionem et proelia audiamus et spectamus. — Hic pestilentiae non parva jam initia deprehenduntur, cujus causa ego et dnus. castellanus Cracoviensis diu hic esse

hic esse non poterimus; quo autem eundum fuerit, adhuc ego delibero, ubi tamen ero, non erit Mgciae. vestrae incognitum. Interea me commendo amori et benevolentiae fraternae Mgciae., vrae., quam cum suis omnibus felicem et optime incolumem esse vehementer desidero. Datum Cracoviae d. 27 Augusti 1527.

Teki Górskiego, nr. 1050 (odpis Górskiego). Kod. Karnk. X, 191.

381. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, epo. Plocensi.

Reverendissime in Christo pater et domine nepos charissime. Scio jam satis cognitum esse vrae. Dominationi ex literis magnifici domini castellani Cracoviensis, quemadmodum serenissimus rex Joannes coeperit inclinare animum ad concordiam cum sermo. rege Ferdinando ineundam conditionesque nonnullas ad eam ipsam concordiam et pacem tractandam obtulerit et proposuerit. De quibus quidem cum ego huc veniens et dominus castellanus Cracoviensis cum domino Broderico, Sirmiensi episcopo, consultationem per aliquot dies haberemus, declarandaene et mittendae essent a nobis istiusmodi conditiones sermo. regi Ferdinando, haec nobis ultima stetit sententia: ne omnino mitterentur, tum quod non videbantur nobis ex commodo et utilitate regni Ungariae esse, tum etiam quod illas regem Ferdinandum et proceres regni Ungariae certe credebamus repudiaturos. Verumtamen persuasimus domino Broderico, ut ad regem suum rediret et postularet ab illo alteras conditiones proponi, quae ad pacem et concordiam tractandam et perficiendum essent magis attinentes et accommodatae. Quod ille quidem iter suscepit non invitus. Reversus vero ad nos pro conditionibus alteris attulit nobis hoc regis sui responsum, quod vrae. rmae. Dominationi mitto praesentibus in scheda, prout erat scriptum, inclusum. In quo rex omnia de pace et concordia ad felicem congressum Majestatis regiae cum sermo. rege Ferdinando confert et rejicit, nescio an eo consilio extrahendi et differendi negotii fretus, quod de auxiliis ex Germania adfuturis indubitate jam sibi polliceatur, vel quod etiam nova quaedam exspectatiuncula et spes subsidii sit illi ex parte Turcorum injecta. Utcumque tamen fuerit, res mihi timoris atque periculi plena videtur, ne, si ille copias istas fuerit assecutus, omnis culpa novi denuo comparati et concitati belli Majestati domini nostri et ceteris nobis attribuatur et fiat tunc maxime difficilis concordiae et pacis tractandae ratio.

Teki Górskiego, nr. 980 (odpis współczesny). Erasmi Epistolarum opus, Basil. 1538, pag. 827.

382. Erasmus Roterodamus Sigismundo primo, regi Poloniae.

Salutem. In tot sudoribus, quos praeter valetudinis atque aetatis sortem sustinemus, in tot molestiis ac taediis, quibus hinc atque hinc tundimur, non mediocre solatium nobis attulit tuae Mtis. epistola, Sigismunde rex, cumprimis inclite, tota spirans et admirabilem quandam humanitatem et haud mediocrem erga nos favorem. Etenim ut autore Salomone indignatio regis nuntii mortis, ita secundum ejusdem sententiam in hilaritate vultus regis vita. Eum vultum hilarem ac benevolum tuae mihi literae exhibuerunt. Quamquam autem in me nequaqum agnosco dotes, quae tuo erga me favori respondeant, tamen, ut ingenue fatear, juvat interim laudari a rege laudatissimo, meaeque, qualisqualis est, industriae stimulos addi. Equidem mihi videbar abunde magnum officii mei fructum receptu-

rus

turus, si tua Mtas. boni consuluisset audaciam nostram; nunc eam video felicissime cessisse, quippe per quam factum est, ut istam vere regiam tum humanitatem tum pietatem, quas multorum praedicatione cognoveram, experimento compererim. Humanitatem quidem, qui tam amanter sentias de Erasmo, tamque gravi testimonio nostram mediocritatem ornare dignatus sit, idque testimonium non modo literis amantissime scriptis, verum etiam amplissimo munere proditum et confirmatum esse volueris; pietatem vero, quod omnem regni tui felicitatem nec viribus nec consiliis tuis arroges, sed divinae tribuas bonitati. Quis vocem tam piam, tam christianam non exosculetur a tanti regis pectore profectam? Vere scripsit Salomon: Cor regis in manu Dei est, at quocumque voluerit, inclinabit illud. Sed ea demum vera laus bonorum regum est, si ipsi vicissim inclinent cor suum Deo, regum omnium regi, semper ab illius nutu pendentes, sine cujus auspiciis nihil efficit hominum conatus, et omnes actiones suas ita componentes, ut qui sciant meninerintque sese, quidquid gerunt, coram illius oculis gerere, qui judex est non minus regum quam plebejorum. Verum ista christiana tua modestia, rex inclite, non perdis laudes tuas, sed eas potius facis tibi proprias, perditurus, nisi agnosceres, cui debeatur omnis gloria. Nihil vero prosperum, nihil felix dici potest, quod non fortunarit ille totius felicitatis autor. Optimis avibus, secundissimis auspiciis geritur, quidquid ad illius geritur praescriptum, qui dixit: per me reges regnant et legum conditores justa decernunt, per me principes imperant et potentes decernunt justitiam. Dixit autem hoc aeterna sapientia, qui est filius Dei. Quid autem praescribit sapientia regibus? Misericordia, inquit, et veritas custodiunt regem, et roboratur clementia thronus ejus. Misericordiam praestat in sublevandis oppressis, veritatem in integre judicando, clementiam in temperanda legum severitate. Ea prima regum est functio, quam etiam jurejurando solent profiteri, quum principatui inaugurantur, opitulari viduis, succurrere pupillis et ab omnibus per injuriam oppressis vim depellere. Veritas duas habet comites, sapientiam et constantiam. Sapientia illuminat oculos, quibus perspicitur, quid rectum sit, quid secus, quid utile reipublicae, quid contra. Constantia praestat, ut animus omnibus superior cupiditatibus, nec ira, nec amore, nec odio dimoveatur ab honesto. Clementia necessariam severitatem lenitate temperat. Lex enim aequa praescribit omnibus, at non omnibus omnia congruunt. Haec publici juris moderatio, quam aequitatem vocant, a pectore regio velut ab oraculo petitur. Siquidem recte dictum est a sapientibus viris, regem esse vivam legem. Lex pauciloqua est, at infinitae sunt rerum et personarum circumstantiae. In his igitur rex pro lege loquitur, nec aliud tamen pronuntians, quam lex ipsa diceret, si nobis ad omnia respondere posset. Clementia est, non statim bellum suscipere, quum data est belli causa, sed nullam rationem intentatam relinquere, si res absque bello componi queat, et interdum consultius est dissimulare injuriam, quam armis persequi. Clementia est, si bellum nulla ratione vitari possit, ita gerere, ut et quam minimo sanguinis humani dispendio fiat, et quam celerrime finiatur. Hanc sapientiam, quae secum omnia bona adfert, orabat Salomon, ut suo throno semper assisteret fidissima certissimaque consiliaria. Tale quiddam et a veteribus quasi per nebulam visum est. Legimus enim Aegyptios literis hieroglyphicis ita solere regis imaginem exprimere, ut sceptro adderent oculum, sceptro rectum, integrum et inflexum animum indicantes, oculo prudentiam, quae demonstrat, quid honestum, quid contra. Easdem virtutes aliis symbolis commendabant, summo sceptri fastigio imponentes aquilam, immo hippopotamum, aquila perspicientiam ac humilium rerum contemptum significantes, hippopotamo ratione compressam iram ac feritatem. Est enim hoc animal indomitum ac ferum. Nec enim potest rectitudo consistere, nisi adsit animus vere sublimis ac perspicax, superior

perior omnibus humanis affectibus, qui rationi solent obstrepere. Hae dotes quum in te reluceant, Sigismunde rex invicte, ita demum vere tuae sunt, si eas, ut facis, Deo transscribas, unde fluit, quidquid in nobis est boni. In corporalibus bonis nostrum esse desiit, quod alteri transscripsimus. In animi bonis contra fit. Vere nostrum incipit esse, quod Deo tribuimus. Sed longius feror, quam epistolae modus patitur. Superest orare Christum optimum maximum, ut haec sua dona tueatur in te, semperque novis successionibus augeat, cunctisque principibus eandem mentem inspiret, ut illis inter se concordibus et coelestis sapientiae consilio, quae reipublicae salutifera, quaeque Christo placita sunt, decernentibus, tandem haec rerum humanarum tempestas aliquando vertatur in tranquillitatem. Favorem, quem praeter meum meritum tam benigniter offert tua clementia, lubens amplector habeoque gratiam, quantum possum maximam. Quod autem vicissim pollicear, non invenio, nisi animum memorem et gratum, et si quid ab infimo mancipio regi potentissimo praestari potest obsequii. Dominus Jesus bene fortunet omnia tua consilia. Dat. Basileae V Cal. Septembris MDXXVIII.[1])

Smae. Mtis. tuae humile mancipium

Erasmus Roterodamus mea manu subscripsi.

Archiwum Wiedeńskie (koncept).

383. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Bonae, reginae Poloniae.

Ferdinandus etc. Serenissimae etc. Accepimus literas Serenitatis vestrae de penultima mensis Julii proxime elapsi, quibus petit sibi bona quedam in civitate nostra Vienna superioribus diebus detenta restitui. Nos autem non uno tantum, verum etiam pluribus ex locis abunde satis atque etiam ipsius domini marchionis Mantuae literis ad nos superinde scriptis edocti, bona ejusmodi ad Hebraeum in literis suis expressum et nullum alium pertinere, illaque ex jure et consuetudine civium Viennensium arrestata, reddi curare non potuimus. Cum enim aliunde etiam e regno Poloniae et praesertim per reverendissimum sincere nobis dilectum Petrum Opalinski, dum apud nos oratorio nomine ageret, admoneremur illa ad Serenitatem vram. pertinere, mensem illud probandi ex habundanti praefiximus, qui cum sine ulla facta probatione elapsus esset, ac Viennenses praenominati pro conservatione jurium et privilegiorum suorum apud nos opportune importune instantes et nonnihil etiam de facta tanta mora conquerentes in petitione sua non cessarent, tandem bona praenominata ex jure suo sunt adepti. Unde nisi res sic se submisisset, Serenitati vestrae in ea libenti animo gratificati essemus, cum eidem etiam in longe majoribus obsecundari et complacere cupiamus, quod sibi de nobis libere persuasum esse volebamus. Quae feliciter valeat. Datum Pragae 29 Augusti 1528.

Teki Górskiego, nr. 989 (list oryginalny własnoręczny).[2])
Kod. Sap. XI.
Des. Er. Roterod. Epistol. opus. Basileae. 1538—41 str. 746.

384. Erasmus Roterodamus P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

S. P. Ornatissime praesul. Accipies vicissim a me, non perinde magnis splendidisque, sed tamen gravissimis negotiis obruto verius quam occupato, epistolam *λακωνικοτέραν*. Audaciam

[1]) D. 28. 8. 1528. — [2]) Na oryginale pieczątka, na której przedstawiona głowa z długiemi włosami, w otoku napis: CEDO NVLLI, pod głową na szyji tabliczka z napisem: ERASMUS.

ciam, qua sustinui Celsitudinem tuam meis scriptis lacessere, Antonini magis obsecundans hortatibus, quam meo ductus ingenio, feliciter cessisse majorem in modum gaudeo, nam brevis licet epistola tua et ut vocas Laconica, prolixam quandam in me benevolentiam spirat, qua me cumprimis felicem putarem, si quid agnoscerem in me meritorum, quod tam pii, tam eruditi, tam eximii praesulis tam propenso in me studio responderet. Certe adnitar efficere, ne penes ingratum, si minus dignum, istum favorem collocasse videaris. Sed quemadmodum epistola tua mihi deliniavit animi tui simulacrum, ita Andreas Zebredoviensis, juvenis tali genere dignus, qui nunc Graecis Latinisque literis strenue militans domestica consuetudine sua mihi magno solatio est atque etiam ornamento, ita te totum mihi crebris depinxit expressitque colloquiis, ut si coram adessem, non multo plus conspecturus essem opinor. Faxit Christus optimus maximus, ut ecclesiae Dei tales multi contingant episcopi: sperare liceret, huic turbulentissimae rerum humanarum tempestati successuram aliquando serenitatem, essetque quod orbi christiano gratulemur, quemadmodum nunc Poloniae regno gratulamur, magno quidem illi, sed uni. Equidem tales heroas venerari soleo, etiam si nihil officii privatim in me contulissent. Nunc quem affectum tibi debeam intelligo, qui istam singularem tuam in me benevolentiam non sat habueris epistola testificari, sed aureo quoque pignore testatum esse volueris. Itaque sollicitus dispicio, quonam argumento possim aliquam non ingrati pectoris significationem dare, quanquam scio tuam generositatem amore mutuo contentam esse.[1]) Reddidit mihi cognatus tuus Andreas tuae Celsitudinis nomine ducatos Hungaricos sexaginta, non agam accuratius gratias, referre malim. Dominus te sospitet ac prosperet in omnibus, suspiciende praesul. Datum Basileae pridie calendas Septembres. 1528.

Erasmus Rot. mea manu scripsi et subscripsi.

Reverendissimo domino ac principi clarissimo D. Petro, Episcopo Cracoviensi et regni Poloniae vicecancellario, in Polonia.

385. Joannes Zambocki, secretarius regis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 979 (list oryginalny).
Kod. Karnk. X. 222.
Kod. Sap. VII, 172.

Reverendissime in Christo pater et dne., domine meus gratiosissime. Post humilem perpetuamque fidelissimae servitutis meae commendationem. Qua fide, qua observantia, ne dicam religione, a primis ejus annis rmam. Dtionem. vram. coluerim et tandem consecutam dignitates suspexerim et paene ut numen quoddam praesens adoraverim, nemo locupletior testis esse potest, quam ipsa rma. Dtio. vra. Haud muto factum, quin in hoc sum, ut ad extremum usque spiritum in perpetua ejus servitute citra omnem libertatis spem consumerer. Quibus rebus fit, ut nihil a Deo immortali aeque precer, quam ut eandem florentem et vegetam atque incolumem rebus humanis diutissime servet. Intellexeram ex literis rmae. Dtionis. vrae. per Steinkircher, cubicularium regium, ad me datis, praeter tumorem pedum reliquo corpore eam bene valere et mirum in modum gavisus sum, nunc vero cum ex Alexio hoc accepissem, eandem jam tandem perfectae valetudini restitutam esse, actis primum Deo immortali gratiis, parum abfuit, quin prae gaudio tripudiarem. Supervacuum est admonere, ut tuendae et curandae valetudini operam intendat, quandoquidem

[1]) Na tym ustępie kończy się list w drukowanem wydaniu listów Erazma. Zamiast następujących zdań jest w druku tylko zakończenie: Bene vale. MDXXVIII.

quidem ut in ceteris rebus omnibus, sic in hac quoque summa et admirabili prudentia eam uti solere perspicuum est.

Res, quae hic geruntur, certiores et exploratiores habebit rma. Dtio. vra. cum ex regiis tum ex dni. archidiaconi literis, summa virtute et integritate et in eandem rmam. Dtionem. vram. excellenti fide et devotione hominis; a me vix aliquid tale ad eam scribi potest, quod non sit leve et pervulgatum; illud fortassis ex me scire convenit rmam. Dtionem. vram., fuisse hic nuper oratorem caesareum, Cornelium quendam cognomento Duplicium, de cujus eruditione et moribus jam aliunde didicisse arbitror rmam. Dtionem. vram. Idem Cornelius quoniam in Hispania Dantisco nostro utitur familiariter, nescio quonam pacto ab eo persuasus, coepit me absentem adhuc et non visum benevolentia sua et charitate prosequi; ita mihi ipse confessus est, hoc ipsumque literis suis doctis et amicis adhuc ex itinere, dum huc proficiscebatur, ad me praemissis confirmavit et veniens omnibus sincerae et non fucate amicitiae indiciis comprobavit: in summa, eo adnitente effectum est, et dno. archidiacono velificante, ut in secretarium regium cooptarer jusjurandumque consueta formula in conspectu regio jurarem. Scio, rmam. Dtionem. vram., quo ego officium hoc jam dudum ante assequerer, non modice fuisse conatam, sed nescio, quisnam malus genius rem impediebat, quominus effectum consequeretur; audivi semel atque iterum ex rma. Dtiom. vra., ei ad rem conficiendam nunquam idoneam occasionem adfuisse. Nunc tamen deo volente assecutus sum, quod tantopere ambiebam, sola tamen reverendissima Dominatione vestra meae ambitionis conscia. Tamen non sum adeo demens et vecors, ut autumem, id dignitatis, quicquid est, mihi aliunde accrevisse, quam auspiciis, ductu, auctoritate et singulari in me favore rmae. Dtionis. vrae., siquidem in eis mei magistratus comitiis jecerat quidem orator ipse Cornelius non vulgare fundamentum; sed res omnis tanquam ad triarios sic ad dnum. archidiaconum perficienda devenit. Is quia firmissime sibi persuasum habuit, me apud rmam. Dtionem. vram. in summa gratia positum esse et exinde apud eandem parem gratiam se demereri, pro auctoritate sua, qua ex commendatione rmae. Dtnis. vrae. apud principem pollet, rem ad umbilicum usque — ut ajunt — perduxit; et eo praeeunte conceptis verbis juravi. Quare si res mihi bene cesserit, post Deum soli rmae. Dtioni. vrae. acceptum feram, cedet autem procul dubio, si rma. Dtio. vra. rudi huic et indigestae materiae, ut Phidias Minervae, sic ipsa secretariatui meo, summus et excellens artifex, limam coloremque superinduxerit. Quod ego eandem rmam. Dtionem. vram ex ingenita sibi virtute et probitate, tum etiam pro qualibuscunque fidelissimis tamen et sincerissimis in eam meis meritis quamvis esse facturam minime dubitem, tamen ut faciat, eam rogo, oro et obsecro. Commendo humillime me et meos rmae. Dtioni. vrae. suppliciter orans, ne me a pristina gratia sua excidere patiatur ut dnus. meus gratiosissimus, quem iterum atque iterum Deus omnipotens servet. Ex Vilna pridie Calendarum Septembris 1528.[1])

Ejusd. r. D. vrae. perpetuus servus Jo. Szamboczski secretarius r. Mtis.

Teki Górskiego, nr. 2909 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 223.
Kod. Sap. VII, 173 i 232.[2])

386. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Jo. Zambocki, secretario regio.

Generose domine, amice charissime. Magnas agimus tibi gratias, quod tantopere nobis omnia bona precaris et optas gaudereque te ostendis et laetari ob nostram pristinam valetudinem

[1]) D. 31. 8. 1528. — [2]) W kod. Sapieżyńskim znajduje się ten list podwójnie, pod nr. 173 i 232.

tudinem integre restitutam. Nos vicissim gratulamur tibi dignitatique tuae susceptae et mirifice laetamur, in ea te tempora et homines incidisse, quorum auspicio et ductu id jam es assecutus, quod et tu multum antehac optabas et nos, ut consequi potuisses, saepe et magna cum diligentia enitebamur, sed frustra tamen semper. Quare nunc iste tuus honor et dignitas tanto tibi charior et magis jucunda esse debet, quanto praeter spem et minore cum negotio contigerit. Nobis equidem vel ex eo solo tuum istud munus magnopere est jucundum, quod et tibi gradum quendam accessisse ad ampliora ornamenta consequenda videamus et nobis datam jam esse credamus opportuniorem facultatem et occasionem fortunas tuas augendi, quas tu ipse es testis nos summo studio et favore hinc a teneris usque annis fuisse prosecutos. Tu, quantum hoc officium tuum postulat, cura et praesta sedulo, ut augeas ipsas fortunas tuas, nos etiam, quantum in nobis erit, dabimus operam, ne benevolentiam et amicum officium desiderare in nobis possis. Vale felix et incolumis.

387. Andreas Cricius, episcopus Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 987 (list oryginalny).
Kod. Karnk. X, 140.
Kod. Sap. VII, 138.
Kod. Kórnicki pism Krzyckiego, nr. 180.

Reverendissime in Christo pater et dne. mi colendissime. Rediit ad me hesterno die Morawiecz meus cum literis vrae. rmae. Dtionis., ex quibus cognita illius bona valetudine magnam accepi consolationem et voluptatem; gavisus sum etiam plurimum, quod illius suffraganeo et rmo. dno. Premisliensi reliquum expeditionis sit tandem allatum, jam enim ministerio et adjutorio ipsorum poterit rma. Dtio. vra. onere pontificalis sarcinae levari. Quod vero ad consecrationem ipsorum attinet, scripserat ad me ante triduum rmus. dnus. Wladislaviensis, invitari se cum suffraganeo suo ab ipso dno. Premisliensi in Skarbymyrz, istamque esse sententiam et desiderium rmae. Dtionis. vestrae, perquirens a me, an et ego vocarer aut quid sibi faciundum censerem negotiis quibusdam regiis impedito; verum cum scribit rma. Dtio. vra., negotium hoc in deliberatione domini Wladislaviensis et mea consistere, prorsus nescio, quid potissimum consulam. Si res ex animo meo geri deberet, citra notam arrogantiae suaderem id, quod dudum petii, ut uterque huc ad me veniret, nam non dubito, quin et rmus. dominus Wladislaviensis non gravatim adesset, sin vero commoditas major domini Premisliensis spectetur, ut liberari a tam longinquo itinere posset, nihil consultius censerem, quam patrem Dominicum quam primum ad me mittere, quem consecratum rursus cum suffraganeo vel meo vel Wladislaviensi remitterem ad vestram rmam. Dtionem., ut illa, si ei sic liberet, consecratoris munere isthic perfungeretur, quod jam citra magnam deliberationem fieri potuit. Alioquin quicquid aliud vrae, rme. Dtioni. videbitur et mihi faciundum mandaverit, faciam non gravatim; nullum erit vel impendium vel iter molestum; unum maxime rogo, ut quicquid fieri deberet, fiat citra moram, quia exigunt quaedam negotia mea, ut post capitulum generale ecclesiae meae, quod ad natalem divae Virginis celebrari solet, hinc discedam, tamen et in ea re id fiet, quod vestra Dtio. rma. mandaverit.

Cum placuit brevis hyperaspistes cymbae nostrae, mitto ejusdem illius poëtae Gallici simile responsum in corbitam olim a me laudatam[1]), ne ille soli cymbae detraxisse videretur. In ejusmodi

[1]) W kodeksach umieszczone przy tym liście wiersz na Łodzię Tomickiego i odpowiedź Krzyckiego cfr. nr. 344. W kod. Karnk. i Sap. mylnie przypisany wiersz francuskiego poety (Aniana) Aurea sum etc. Krzyckiemu, a wiersz Krzyckiego Es ratis ampla etc. francuskiemu poecie: Phi. Gallus.

In ejusmodi poëmatibus magis conducit et delectat arguties laconica, quam elaborata prolixitas.

Noster dominus Brodericus summa gratitudine extulit apud me per literas benignitatem et beneficentiam in se rmae. Dtionis. vrae., verum quas ille spes regis sui mihi scribit, nihil apud me spei habuerunt unquam, vereorque, ne et rem suam cum Turcis negligant et a Germanis colludantur, qui etiam si fidem servaturi sint, neque sumptus illis sufficerent neque hoc tam neglecto tempore quicquam proficere possent, tamen sequantur jam necesse est, quo fortuna vocat. Me gratiae rmae. Dtionis. vrae. unice et ex corde commendo. Quam dominus Deus servet diutissime sospitem et semper felicem. Ex Ploczko die I Septembris. Anno 1528. Stor. Eps. Plocensis.

Scripseram alias vestrae reverendissime Dtioni., quo pacto responderim rmo. dno. archiepiscopo postulanti, ut vel ego ad eum vel ipse ad me veniret; quid mihi rursus rescripserit, ex his scedis vestra Dtio. rma. intelliget, vel forasse non intelliget, ego in illis plane Davus sum, non Oedippus.

Archiwum Wiedeńskie Hungarica 1528 (list oryginalny).

388. Hieronymus Łaski Petro Aztalnak.

Nobilis et provide amice dilecte. Facio vos certiorem, quod ego feci pacem inter sermum. regem Joannem et imperatorem Thurcarum potentissimum et mox iterum abiturus sum ad Thurcas, jam ad veniendum huc paratos. Sed quia christianus sum, nollem quippiam vobis accideret mali, quod profecto maximum impendet, videoque vos una propemodum ruina esse occasuros, ni tempestive remedia adhibueritis. Idcirco lectis praesentibus mittatis ad me certum et fidelem amicum vestrum, vel soli veniatis: sum enim tractaturus cum illo vel vobiscum, quae pertinent ad vestram liberorumque vestrorum salutem. Hic etiam mecum est nuntius imperatoris Thurcarum eam ob rem missus, ut intelligamus, qui fuerint quive sint partium sermi. regis Joannis. Quare festinetis mittere: quoniam occasio praetervolat, quam postea frustra quaeretis. Et bene valeatis. Datum in Lippa, feria sexta post festum S. Aegidii abbatis, anno domini 1528.[1])

Hieronymus de Lasco et in Rithvani, palatinus Siradiensis etc., serenissimi regis Joannis ad Thurcarum imperatorem orator.

Circumspecto ac provido Petro Aztalnak, Gywlae commoranti, amico honorando.

Archiwum Wiedeńskie (koncept).

389. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Ferdinandus etc. Serenissime ect. Etsi non dubitemus Serenitatem vestram fidedigno aliorum testimonio et literis nostris, quas ad eam proxime una cum exemplis binae diffidationis transmisimus, abunde satis cognovisse conatus et acta Heronymi de Lasko, qui tamen ut apertius aliquando Serenitati vestrae constare possint, novis quibusdam fontibus increscere nullumque finem habere, eapropter Serenitati vestrae novae diffidationis exemplum

[1]) D. 4. 9. 1528.

plum iis inclusum, quam aliquot regni nostri Hungariae subditis et incolis destinavit, mittendum duximus, ex quo nedum Serenitati vestrae, verum etiam optimis quibusque facile erit colligere rei, quam parat, indignitatem, quam et ipsi primitus uti catholico pioque regi et principi (nec immerito quidem) odibilem atque exosam esse et fore non dubitamus. Quae felicissime valeat. Datum Pragae 7 Septembris 1528.

390. P. Tomicius, epus. Cracoviensis, monachis Bernardinis in capitulo Opatoviensi congregatis.

Kod. Karnk. X. 263.
Kod. Sap. VII. 256.

Reverendi et religiosi patres, fratres in Christo charissimi. Detulerunt ad nos multi partim externi partim domestici, magnum desiderium in populo esse concitatum fratris vestri Stephani, qui hic in coenobio vestro per non modicum tempus magna cum gratia et laude non vulgari munere praedicandi fungebatur, proptereaque, quod ille absit, desitum esse frequentari templum vestri coenobii dicebant. Quae res ne animos popularium exacerbaret magis, neve fratres vestros in invidiam adduceret, vos hortamur et monemus fraterne omnes singulariterque rogamus, ut illum ad munus praedicationis evangelicae huc rursus remittatis. Plebs enim quemadmodum illius hominis profectionem amore prosequitur absentemque memoria colit, ita reditum illius spe exspectat et desiderium suum exspectatione lenit. In quo rem non modo populo illum audienti, verum et nobis mirifice gratam facietis, officium autem vestrum summe apud omnes probabitis. Valeatis felices omnes et nos in vestris orationibus habeatis commendatos. Datum Cracoviae 8 Septembris 1528.[1])

391. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Stephano Broderico, epo. Sirmiensi.

Teki Górskiego, nr. 2861 (minuta z poprawkami Tomickiego.)
Kod. Karnk. X. 209.
Kod. Sap. VII. 206.

Reverendissime in Christo pater et domine frater et amice honorandissime. Fuit apud me is capellanus Dtionis. vrae. rmae. et accurate mihi ea exposuit, quae ab illa in mandatis acceperat. Gratissima equidem omnia et auditu jucundissima. Cui quid ego super iis responderim, ipsemet vicissim exponet Dtioni. vrae. rmae.

De copiis Germanicis scripsit ad me dnus. castellanus et capitaneus Posnaniensis VI die mensis praesentis, illos movere loco debuisse. Quod ita sit nec ne, Dtio. vra. isthic nosse melius et certius potest. Quare et ego magnopere opto aliquid certi ea de re ab illa cognoscere. Valeat optime Dtio. vra. rma. et sit diu felix et incolumis meque habeat sibi charum et commendatum. Dat. Cracoviae, die nona Septembris 1528.

392. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, epo. Plocensi.

Kod. Karnk. X. 141.
Kod. Sap. VII. 139.

Reverendissime in Christo pater et dne. nepos charissime. Optabat summo studio rndus. dnus. Premisliensis, ut et Dominatio vra. rma. et dnus. Cujaviensis consecrationi sui praefuissetis. Qua de re et ipse cum dno. Cujaviensi egit per literas et ego Dtioni. vrae.

[1]) Datę tę dopisał Górski w kodeksie Sapieżyńskim.

vrae rmae. scripsi. Quia tamen rndus. dominus Cujaviensis et regiis negotiis et nuptiis quibusdam se impeditum esse rescripsit, quominus venire posset se excusans, et ex hoc loco pestilentiae suspicio non omnino adhuc abierit, arbitratus est dnus. Premisliensis, id in hac re consultissimum fore, ut Dominationes vestrae rmae. loco suo suffraganeos suos huc mittant, qui hoc munus obeant et se cura hac et itinerum molestia liberent. Quare mittit ipse dnus. Premisliensis ad dnum. Cujaviensem nuntium, qui illi hanc deliberationem et institutum declaret ipsiusque suffraganeum huc advocet. Ego etiam praesentem nuntium ejus rei exponendae causa ad Dominationem vestram rmam. misi, quam rogo plurimum, ut suffraganeum suum ad me quam primum mittat, ut hic sit ad diem Veneris prox. ante festum Sancti Matthaei apostoli et evangelistae,[1]) vel pridie ejus, nam dominico die insequenti sacro huic muneri operam dare instituimus. Valeat optime rma. Dtio. vra. et sit diutissime felix meque, uti solet et debet, diligat. Datum etc.

Kod. Karnk. X. 142.
Kod. Sap. VII. 140.

393. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Petro, epo. Lacedaemoniensi, suffrag. Plocensi.

Reverende domine, amice et frater in Christo charissime. Reverendus dnus. Premisliensis episcopus cum aliquanto tempore cunctatus esset et penderet animo, quo loco potissimum episcopalibus sacris initiari deberet, in eam tandem ad extremum concessit sententiam, ut hic in diocesi et ecclesia nostra consecretur. Cum autem et nobis consecrandi suffraganei nostri eadem necessitas incumbat, vos huc in auxilium istius muneris obeundi accersi voluimus, nam dnus. Premisliensis advocandi suffraganei Cujaviensis curam suscepit. Quam ob rem vos plurimum rogamus, ut ad nos quam primum veniatis atque eam itineris et profectionis vestrae habeatis rationem, ut hic ad diem Veneris ad summum ante festum Sancti Matthaei proximam vel pridie illam esse possitis. Nos vero cum huc veneritis, sumptum omnem in itinere factum vobis compensabimus et operam praestitam feremus vobis acceptam. Bene valete et felix sitis.

Teki Górskiego, nr. 983 (list orygin. własnor.)
Kod. Karnk. X. 143.
Kod. Sap. VII. 141.
Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 191.

394. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Reverendissime et colendissime mi domine. Mitto suffraganeum meum, qui nisi ivisset tandem, jam accinctus erat interim suffraganeus vrae. rmae. Dtionis., nempe ego ipse, ut et benefactorem meum inviserem et illi obsequium hoc praestarem. Cum autem ipse suffraganeus meus habeat alioquin isthic sua quaedam negotia et ego illi viaticum dedi, non opus est, ut expensae tanta habeatur ratio.

Dnus. Gamrath offert non solum jus suum ad praebendam Posnaniensem dni. Opaleniczki sed etiam omnia alia sua in gratiam vrae. rmae. Dtionis., sicut ante fecit in canonicatu Cracovien. dno. Gorski, cum magno suo dispendio et nulla hominis illius gratitudine vel fide, verum metuit, ne se jam aliquo pacto irretierit cum Lukomski, ne videlicet procuratores constituisset cum juramento ad resignandum, non meminit enim recte et notarius ejus abest; cum primum rescierit, mox vestrae rmae. Dtioni. declarabit omniaque facturus est, quaecunque

[1]) D. 21. Septembris.

est, quaecunque illa jusserit et sibi integrum erit. Commendo me gratiae vestrae reverendissimae Dominationis, quam dnus. Deus servet semper sospitem et felicem. Ex Ploczka, dominico XIII Septembris 1528. Servitor eps. Plocensis.

Rogat suffraganeus meus, ut commendem vestrae rmae. Dominationi ejus causam in parrochiali Sanctae Annae. Si justa est, dignetur oro illi suam gratiam et patrocinium exhibere. Commendo etiam hunc Cosminski eidem Dominationi vestrae reverendissimae et preces ejus, quas facturus est.

395. St. Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 986 (list orygin. własnoręczny).
Kod. Karnk. X, 210.
Kod. Sap. VII, 207.

Reverendissime dne. mi colendissime. Salutem ac obsequiorum meorum commendationem. Pro his, quae Dtio. vra. rma. mihi per dnum. Thomam, canonicum et capellanum meum, de sua erga me tanta gratia, tanta item ac tam ampla liberalitate ac pietate declaravit, Deus, omnium benefactorum retributor, retribuat ac reddat digna praemia Dtioni. vrae. rmae. Ego fateor, me neque ad referendas, sed neque ad agendas ei gratias esse idoneum; quibuscunque tamen modis potero unquam gratitudinem meam erga vram. Dtionem. ostendere, in eo totis viribus enitar. Nova illa, quae Dtioni. vrae. per eundem Thomam, canonicum, nuntiaveram, fuerunt et sunt verissima. Rediit rursus nunc ex Constantinopoli tabellarius regius, per quem illa eadem non confirmantur modo, sed mirum in modum et confirmantur et augentur. Venit is tabellarius mirabili celeritate in quatuordecim diebus ex Constantinopoli huc, de quo ego scripseram ad capellanum meum, sed jam ex Cracovia discesserat. Scripseram autem, ut ea nova cum vra. Dtione. et cum dno. meo mgco. dno. castellano communicasset.

Aliud novi non est; nos hic diu non morabimur, sed ego ubicunque ero, quoscunque successus Deus rebus meis dederit, ero semper deditissimus servitor vrae. Dtionis. et memor illius in me beneficentiae et amoris. Quae felicissime valeat. Ex Bresech 15 Septembris 1528.

Rmus. dnus. meus, dnus. Colocensis, se vrae. Dtioni. rmae. plurimum commendat.

V. rmae. Do. servitor deditissimus S. Brodericus sst.

396. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Archiwum Wiedeńskie (koncept).

Ferdinandus etc. Serenissimo etc. Non dubium est nobis, Serenitati vestrae pro sua in caesaream Majestatem affectione et animi sinceritate grata esse et jucunda, quae de Majestatis suae caesareae et catholicae felicitate rerumque suarum prosperitate nuntiantur, non igitur alienum ab amore nostro fraterno fore arbitrati sumus, quae nobis scitu digna perferantur, eidem communicare. Exercitus Gallorum, qui non ex parvo numero constabat ae superioribus diebus urbem Neapolitanam obsidione cinxerat, cum sublato sui duce supremo domino de Lutrech gravius afflictaretur deliberassetque tandem retrocedere et solvere obsidionem, gentes Majestatis caesareae Neapolim tenentes et in ea obsessae consiliumque Gallorum praesentientes XX die mensis Augusti proxime elapsi in hostes eruperunt

pevunt eosque in sublatione castrorum aggressi primo eis machinas et tormenta bellica eripuerunt, deinde in fugam hostiles copias verterunt, quarum pars in Aversam pars in Capuam salutis suae tuendae gratia confugit, marchio vero Salutiarum et Petrus comes de Navaro, primi ductores exercitus illius, capti, reliquiae autem potiores illius nostris obviae in civitate Capuana ferro exstinctae fuere. Quod nostrum ergo erat, Deo optimo maximo, justitiae caesareae conservatori et vindici, pro tot tantisque misericordiae bonitatisque suae argumentis nunc etiam editis gratias egimus immortales, non alia spe rationeve ducti, quam quod novae et insignis hujus victoriae accessio cetera, quibus pax illa jam diu desiderata conflari debebit, non parum sit promotura foreque etiam, ut reliqui communium tranquillitatis christianae interturbatorum conatus minori negotio comprimi possunt. Hisque Serenitatem vestram felicissime valere precamur. Datum Pragae 17 Septembris 1528.

In simili ad reginam Poloniae cum hoc exordio:
Ferdinandus etc. Serenissimae etc. Cum pro indubitato geramus, Serenitaten vestram rebus serenissimae caesareae et catholicae Majestatis, domini et fratris nostri charissimi, secundis plurimum affici et congratulari, eapropter eidem Serenitati vestrae pro nostra in eam amore et benevolentia significandum duximus novae victoriae nuper in regno Neapolitano per caesarianos partae successum. Exercitus Gallorum... — ut supra et cetera.

397. Capitula et conventiones initae et firmatae inter illmum. d. Phillibertum de Chalon, principem Orangiae et generalem capitaneum caesareae Mtis. in Italia, pro una parte et illmum. marchionem Salutiarum, capitaneum generalem christianissimi regis, ex altera parte.

Teki Górskiego nr. 982 (odpis współczesny). Kod. Karnk. X, 208.

Inprimis convenerunt et concordarunt: quod praefatus dominus marchio debeat statim firmata praesenti capitulatione consignare in potestatem praefati illmi. principis aut cui Excellentia sua ordinabit, civitatem et castrum Aversae, quam in praesentiarum obtinet nomine christianissimi regis, et una cum omnibus machinis seu bellicis tormentis, munitionibus, commeatibus et aliis bonis existentibus in dicta civitate.

Item conventum est: quod praefatus dnus. marchio tanquam capitaneus generalis et tanquam egregia persona, et dnus. comes Gwido de Rangonibus tanquam persona autoritatis, remaneant captivi ipsius illmi. principis, quibus Excellentia sua promittit omne bonum tractamentum, donec ex ordinatione caesareae Mtis. seu aliter erunt liberandi.

Item conventum est et concordatum: quod omnes capitanei et viri militares, qui sunt in dicta civitate tam pedestres quam equestres, cathafracti, archigeri et tranbarchieri, leviles seu equites leves, tam Itali quam Galli et Germani, tam lanczknechti quam Elvetii et alii omnes milites cujuscunque nationis existunt in dicta civitate in servitiis regis, debeant dimittere et consignare in potestatem praefati illmi. principis, omnia vexilla, bandarias et stemdardas et pariter omnia arma, equos et bona cujuscunque sortis existentia et qualitatis, excepto quod praefatus illmus. princeps contentatur, quod omnes eorum capitanei, locumtenentes et vexilliferi cathafractorum, archigerorum, levitum seu equitum levium, possint secum exportare tres equos, quique debent esse parvi et vulgo giotaldi conchini et mulae non militares et ejus generis, ut melius eis videbitur.

Et pariter: quod omnes capitanei, locumtenentes et vexilliferi peditum possint secum portare unum

unum equum non garraldum seu lonchinum aut mulam. Et hoc intelligatur pro singulo capitaneo, locumtenente et vexillifero.

Et similiter: quod singuli cathafracti, archigeri et equites levis armaturae possint secum portare unum equum ut supra, non militarem sed curtaldum, lonchinum vel mulam, prout eis melius videbitur.

Item conventum est et capitulatum inter praefatos principes et dominos: quod omnes milites Italici non debeant in termino sex mensium proxime futurorum servire regi Gallico, nec Ligae, nec alicui alteri principi contra caesaream Mtem. dnum. nostrum, videlicet illi, qui sunt in dicta civitate, sed quod debeant ire ad eorum domos aut in alio loco, uti eis videbitur, dummodo non serviant contra suam caesaream Mtem., ut supra dictum est.

Et quod omnes Galli, Guascones, lanczknechti, Elvetii et omnes alii viri militares et milites et etiam dni. capitanei, locumtenentes, vexilliferi tam pedestres quam equestres, existentes in dicta civitate, vadant directe ad eorum patrias et domos absque alia refricatione belli seu mora in aliquo loco.

Item conventum et concordatum est et sic praefatus dnus. marchio promittit, facere dari et consignare effectualiter praefato illmo. principi aut cui Excellentia sua ordinabit, omnes civitates, terras, villas et castra, loca et fortalitia tam in Abruciis quam in Calabria, terra Laboris et Apuliae et in toto regno Neapolitano, quae sunt in potestate et manibus militum praefati Christianissimi regis Gallici. Et promittit praefatus dnus. marchio facere liberari et reintegrare in ditionem caesareae Mtis. aut ipsius illmi. principis suae Mtis. nomine aut ejus, cui Excellentia sua demandabit, statim dictum totum regnum et omnia, quae tenentur per privatos ad instantiam Gallorum, ita ut sic redeat, sicuti fuit, quando illmus. dnus. de Lutrech venit ad invadendum praefatum regnum Neapolitanum. Et quod omnes milites et praesidia, quae erunt in dicta provincia, intelligantur teneri ad omnia, ad quae obligati sunt supradicti capitanei et milites existentes in dicta civitate Anversae. Et e contra, quod eorum pariter gratiis et indultis gaudeant et fruantur. Et e contra praefatus illmus. princeps promittit facere associari eos omnes salvos et securos ab omni violentia usque ad confinia regni et postea ulterius Excellentia sua non teneatur ad aliquid.

Magis convenerunt: quod praefatus illmus. princeps salvos faciat equos ipsius dni. marchionis.

Quae omnia supra dicta capitula praefati illmus. princeps et marchio promittunt in bona eorum fide attentare et observare nec contravenire aliquo modo. Et in fidem veritatis ea firmarunt et subscripserunt eorum propriis manibus et consuetis sigillis. Facta et firmata in felicissimis castris caesareis ante civitatem Anversae. XXX Augusti M. D. XXVIII.

El Princeps de Orange. El Marchese de Saluzio.

In quibusdam praeterea literis Andreae Doria de 4 Septembris exstant hujusmodi verba: Captivatis in Aversa marchione Salutiarum et comite Guidone Rangon, residuum exercitus ad id miseriae redactum est, ut plane futurus sit felix, qui tantam calamitatem evadere valebit neque possibile est animo cogitare tantam hostium dispersionem, cum nequiverit salvus fieri vel homo unus, nec equus unus et de DCCCC catafractis vix LX superfuere.

Copia unius clausulae literarum de Doria, commissarii generalis caesareae Mtis. in Italia, ad serenissimum regem Ungariae et Bohemiae, dominum nostrum, in 16 mensis Septembris 1528:

Agitatur jam 16 praesentis habeoque ad horam hanc literas ex Genua de XII et XIII die mensis hujus, continentes in substantia, quod in XII praesentis rediit Andreas Doria ab insecutione

insecutione triremium Gallicarum, quarum ceperat duas, ultra alias duas, quae ultro deponentes arma fugerunt, ita quod desunt jam quatuor triremes Gallicae classi. Ipse autem Doria ingressus est civitatem Genuensem in XII praesentis, acclamantibus suis: Hispania, Hispania! imperium, imperium! Cives vero sumentes arma clamabant pariter: Sancte Georgi! libertas! Gubernator regis Galli retraxit se ad castellulum. Andreas Doria disposuerat praesidia ad custodiam palatii, fori et portarum civitatis et una cum civibus intentus erat civitati pacandae atque gubernio necessario ibidem providendo.

Teki Górskiego, nr. 981 (odpis).
Kod. Karnk. X, 207.

398. Jo. de Castro[1] Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Inclytissime potentissimeque princeps, rex et domine. Nescio, unde exordiar hanc eximiam scribere victoriam, nisi Deo gratias agendo, qui fecit hucusque et quotidie facit ea nobis beneficia, quae ab ipso expetere nesciremus, non procul dubio ob merita nostra, sed ob magnam quam praetendimus justitiam, simulque quia cum suo forti bracchio sustinere dignatur res caesareae Mtis. vestraeque Celsitudinis easque ac suas regit et gubernat, quemadmodum antehac praevisum est in multis ingentibusque victoriis huic felicissimo exercitui concessis. At nunc praesertim in hac, quae praeteritas omnes longe antecellit, tam quia absque ullo sanguine nostro parta est, quam quia jam universam perdideramus Italiam. Cum autem ita nos Deus in dies exaltet, restat nobis, ut emendantes nos ipsi gratias agamus; caesari autem et Celsitudini vrae. expedit, ut deinceps majori cum sollicitudine res istas mundumque manuteneant, quas Deus aperte in manibus committit suae Mtis. et vrae. Celsitudinis.

Rerum praeteritarum nil repetere vellem, cum eas toties per literas significaverim, solum et breviter referam, quod ad rem attinet et ut scripsi Celsitudini vestrae: simulatque Gallicae triremes huc applicuere, volentes aliquam militum rerumque partem ad terram deponere, accesserunt ad maritima quindecim vexilla Germanorum, vulgo appellata de Banda nigra, absconderuntque Elvetios in altiori loco.

Nos autem videlicet nonnulli equites peditesque egressi sumus contra illos eosque disrupimus et fugavimus. Qui cum fugerent, disturbaverunt Elvetios, socios suos, adeo quod victoria fuisset nostra, si eos insecuti fuissemus; nihilominus tamen mansit in manibus nostris cum uno ex vexillis Hugo comes, praefatae Bandae nigrae supremus, nec non et praefectus Elvetiorum atque aliae alicujus momenti personae, occubueruntque octingenti pedites talisque isthaec ipsis profligatio exstitit, quod ulterius nunquam caput extulerunt

Cum autem nullas ad vescendum carnes haberemus gentesque nostrae ea de causa maximam paterentur necessitatem, equites peditesque nostri circumquaque discurrentes magnam vim commeatuum reportabant contrastantes hostes profligando, qui quidem hujusmodi victualia defendere cogebantur, ablatis illis fame perituri. Haec autem gens nostra discurrebat absque ordine militari, quae tandem combussit quingenta pulverum vasa, quae hostes habebant in quodam oppido murato XX miliaribus abhinc, quod vere fuit praestigium et quasi luminare quoddam futurae victoriae nostrae in festo divi Jacobi apostoli. Don Ferdinandus de Gonczaga, frater marchionis Mantuae, est qui cum equitibus levis armaturae, quorum capitaneus generalis exstitit, maxime laboravit atque huic bello finem dedit, vere

[1]) Taki podpis położony na końcu listu w Tekach ręką Górskiego.

vere namque ipse cum equitibus levis armaturae et Joannes de Urbina cum peditibus hoc negotium peregerunt. Nam dnus. Alarcon et princeps de Arango adversa valetudine laborabant.

Praedictus itaque Don Ferdinandus exivit, ut solebat semper, cum equitibus et obtinuit praesidium commeatuum, qui hostibus ab hoc latere versus Calabriae maritima veniebant, cepitque duo Germanorum vexilla cum omni gente. In aliis praeterea locis fuere etiam hostes tam equites quam pedites separati a nostris ipsis bellum acerbum inferentibus, ita ut quotidie magis ac magis animis consternarentur. Quod cum intelligeremus, destinatus fuit aperte Fabricius Marameo cum peditibus sexingentis, qui cepit Nuceram et Nolam ad deditionem coëgit rebellantibusque contra hostes industria nostra omnibus illis.

Abstulimus commeatus inimicis universos, qui ipsis ab eisdem partibus venire solebant, et in arce Nolae introductus est captivus Marius Ursinus, qui ejusdem oppidi custodiae praeerat. In cujus auxilium et deliberationem missi sunt ab hostibus DC pedites Bandae nigrae cum tribus vexillis, quo per nos comperto exivit Dominus Ferdinandus et cum eo D archaburgerii, habuitque illos obviam duodecim miliaribus abhinc duas ante diem horas, cum quibus confligens illos longe lateque profligavit, occidit et cepit cum vexillis. Quo effectum est, ut hostes non haberent aliunde commeatus, quam ab Aversa oppido, Capua et Maralon, qua quotidie nostri illos disturbabant et rumpebant.

XV mensis proxime praeteriti obiit Monsignor de Lutrech, potius, ut creditur, ex desperatione, quam ex morbo, qui ad quintam ejusdem mensis dixerat gloriabundus habere se nos in manu sua; marchio autem Salutiarum suscepit onus generalis illius exercitus post mortem Lautrech. Paulo post etiam mortuus est, quem hic appellabamus regem de la Faba, monsgor. de Radamont. Tunc defuit nobis frumentum, cum quo nobis mutuo providit ad quinque dies castellanus Novi Castelli. Exivit deinde iterum praedictus D. Ferdinandus cum equitibus Aversam versus, quae jacet post hostium castra, disrupitque ac fregit vias, disjecit equites sustulitque commeatus, praeterea rupta ac deperdita est hostibus aqua putei regalis ipsique arctius se retraxerunt et coadunarunt, sed exeuntes necessario ad hauriendam aquam equosque potandos invadebantur et capiebantur a nostris ita, quod undequaque erant circumdati et custoditi, ne possent illis intromitti commeatus erantque salute, gentibus, equis et armis exhausti et deserti eoque necessitatis devenere, ut fuerint decem dies fere absque pane, vino, aqua, carnibus et paleis, evenitque illis, quod nunquam antea visum fuit, scil. ut obsidentes obsiderentur.

Cum autem essent in hac angustia haberentque monticulum quendam castris suis praeeminentem, quem occupabat Monsgr. de Bori cum Guasconibus ac parte tormentorum bellicorum, sese illuc recipere omnes conjunctive decrevere. Hoc fuit in die Jovis Augusti XXVII. Nos vero hoc intelligentes cum partem tormentorum atque nonnulla alia deorsum traduxissent, civitate egredimur collocamurque inter monticulum et exercitum, qui distabant ad invicem quantum ballistae jactus, circumdedimusque undique monticulum totum, ne exire inde valerent, non habentes in eo cibum neque potum. Missus interea est praefatus Fabricius Maromas Capuam cum practicis et intelligentia, obtinuitque eam in die Veneris XXIIII praedicti mensis. Qui detinebantur autem circumclusi in monticulo, die Jovis et Veneris obsidionem sustinuere, quibus hostes minime dederunt auxilium, quamvis cum tribus vexillis illud attentarunt, sed fuerunt a nobis repulsi semper, disposueramus enim omnes copias nostras, tam equestres quam pedestres, extra civitatem super hostes, ut volentes aliis suppetias ferre confligere cogerentur, etiamsi admodum paucas gentes habebamus, non parva illarum parte victualia quaesitum absente. Qui autem in monticulo

monticulo claudebantur, die Veneris ad duas noctis horas sui deditionem fecerunt, salva vita omnium. Quod quidem nobis fuit eximia res. Sub eadem etiam nocte tres horas ante lucem ingens tempestas tonitruum et pluviae exorta sunt, qua mediante hostes a castris surrexerunt, in eis ne impedirentur vel praesentirentur, tormenta, tentoria et vestes derelinquentes, vadebantque viam Aversae oppidi in duabus turmis: Germani et illi de Banda nigra in anteriori aciei parte cum nonnullis equitibus, qui adhuc superstites fuerant, Elvetii autem ibant in parte posteriori habueruntque temporis copiam, qua antequam a nobis discessisse deprehenderentur, tribus miliaribus abfuerunt a castris, sed intellecto per nos illorum discessu irruperunt confestim huc et illuc equites nostri et cum circiter quingenti pariter convenissent, adorti sunt partem hostium posteriorem, quos profligarunt acceptis XIV vexillis fueruntque captivi princeps Navarrae, Petrus Navarro valde aegrotans et orator Florentinorum, cum aliis nobilibus ac personis redemptioni aptis.

Marchio vero Salutiarum et comes Guido Rangon receperunt se in anteriorem aciei partem, quae clausa et conglomerata pervenerat usque ad duo miliaria ab Aversa. Cui equites nostri nocere nequibant magna suorum archabuseriorum copia ipsos tutante, peditibus nostris adhuc in tribus locis illuc percurrere non valentibus. Atque ita hostes sabbato XXIX Augusti ad duas horas diei cum solis tribus machinis bellicis oppidum ingressi sunt. Affuit statim princeps de Orangio quamquam infirmus, accersitisque copiis nostris hostiumque bellicis tormentis asportatis oppidum obsidione vinctum fuit atque oppugnatum, parte murorum humi dejecta. Cernens autem marchio Salutiarum nostros jam intrantes, misit ante meridiem ad tractandum de concordia fuitque miraculum, posse nostros ab expugnatione coërcere. Atque ita tractatum est et concordatum fuit, quemadmodum ex capitulis his colligatis accipi poterit: videlicet, ut personae tantum et istae paene nudae salva vita deducerentur ad confinia regni, marchione Salutiarum et comite Guidone Rangon captivis manentibus. Atque ita in die Lunae mane abierunt exspoliati ad duo mille, qui remanserant cum nonnullis aliis Gallis. Credo tamen ante dies multos nullum eorum superfuturum, nec id quidem ob culpam nostram, qui eos humaniter et fraterne tractavimus, aspicientes in eos aegrotos et miseros; nemo nostrum fuit, qui illos occidere vellet; at cum tam longa sit via usque ad pedem montium, felicem se reputare poterit, qui illuc pervenerit incolumis.

Dico praeterea Mti. vrae., quod haec tam ingens victoria habita est nullo nostrorum occiso nec vulnerato. Consideret proinde Celsitudo vra., an ne fuerit opus divinae manus. Die Martis reversi sumus huc, adducentes nobiscum marchionem Salutiarum, in altero genu ab uno lapide percussum, cum murus quateretur, et simul comitem Guidonem de Rangonibus. Aversa oppidum redimebat direptionem sui XXX milibus ducatis, non fuit tamen possibile illam a spoliatione defendere. Ventum est huc, ut quaerantur pecuniae huic exercitui posteaque dimittantur foras ad hospitia.

Quod magis auget gloriam hujus fortunatissimi exercitus, est nihil omnino suppetiarum per mare nec per terras venisse nobis, reversioque Germanorum repatriantium fuit nobis operae pretium, maximum a Deo collatum beneficium; neque Andreas Dorio applicuit ad nos, qui morabatur in Insula; in die vero Lunae, victoria comperta, venerunt huc cum una trireme Ascanius Columna, marchio del Vasto et comes Philipinus Doria, facta vindemia, sed et comes de Borello nec venit de Calabria nec veniret; nam nos quippe sibi cum sola manu divina huic tantae rei cum hoc tam glorioso exercitu finem fecimus, unde tota Italia secura patet et subjecta caesareae Majestati. Triremes Venetorum Gallorumque pariter connavigant et Andreas Doria exspectat, quod ab invicem separentur, alteram earum partem impetere paratus. Neapoli II Septembris 1528. Jo. de Castro.

399. Andreas Cricius, epus. Plocensis, Joanni Zambocki.

Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 277.

S. P. Gratulor te amicum veterem ad secreta regia adscitum, gratulor et negotiis regiis et reipublicae, quae ita plerumque probari et sub manus succedere solent, ut sunt homines, per quos tractantur. Neque mireris, quod apud Hannus Judaeum non ita te congerrones tui exceperint, ut novo magistratu authoratum debebant. Solet enim huic generi esse despicatui ea omnis conditio, quae curas hominum exigit. Tuum erit adniti, ut ex hoc imo subsellio altius in dies conscendas; qua in re non deero ego tibi pro virili mea et cum amico illo ita negotium illud tractabo, ut nisi nobis verba dare velit, facile voti nostri compotes erimus.

Siculi nostri rationem demiror, si abacto Ballione Apella Thaidem receperit malitque domi gynaeceum, quam culinam semper renidentem habere. Nimirum Amatus amationes suas habere vult desultorias, ut quemadmodum in aliis rebus fortiter actis, ita et in hac quoque palaestra Herculem praestaret et subinde de Hyla in Deianiram desiliret. Verum metuo nimis, ne ex Hercule fiat Charidemus et ne competat in illum illud Martialis: Nunc sectaris anus, o quantum cogit egestas! Nosti reliquum. Quocumque modo se res habeat, gratulare homini verbis meis hanc metamorphosim seu accessionem potius admoneasque illum, ut me veterem amicum diligat, ut solitus est, neque cornua, quae accesserunt, revereatur. Nam non ita ego meo cornu, sicut ille suo petit, cunis nihil est ab inguine tutum. Sed non vacat jocari pluribus, avocor enim jam ad negotia ecclesiastica. Vale optime et cura, ut quemadmodum in duello et causis forensibus, ita et in secretis quoque regis pertractandis Davulum illum tuum superes.

Ex Ploczko XIX Septembris 1528.

400. St. Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 985 (list oryg. własnor.)
Kod. Karnk. X, 214.
Kod. Sap. VII, 211.

Reverendissime dne., domine mihi semper observandissime. Salute plurima et servitiorum meorum commendatione praemissa. Supplicaveram his diebus medio hujus domini Thomae, canonici et capellani mei, vrae. rmae. Dtioni., dignaretur pro sua solita in me gratia et liberalitate hanc meam praesentem inopiam ope sua sustentare, ad quae illa mihi benignissime respondit. Mitto nunc ipsum eundem ad vram. Dtionem. rmam., per quem supplico: velit mihi mittere flor. centum in Cruciferis vel in alia tali moneta, quae possit in Ungaria etiam expendi. Si Deus gloriosus res nostras, prout undique bona spes sese ostentat, prosperaverit, et mihi facultas fuerit pecuniam hujusmodi restituendi, id me bona fide omnimo facturum praesentibus promitto, non sine fenore, quamvis id Dtionem. vram. rmam. — de fenore loquor — sciam non desiderare. Si vero aliter caderet — quod dominus Deus avertat — Dtio. vra. rma. hanc etiam summam computabit inter alia sua pietatis opera.

Dominus [1]) Laski heri vesperi coenantibus nobis supervenit repente, totus in Turcum mutatus — de habitu et capillicio loquornam quo ad alia, ea omnia, quae affert, quae plurima et regiae Majestati valde secunda sunt, vere christianum hominem redolent. Plura dicet

[1]) Górski dopisał: Hieronimus.

dicet idem dnus. Thomas, cui vra. Dtio. rma. plenam fidem habere velit. Me in gratiam vrae. Dtionis. rmae. unice commendo. Quae felix sit et sana. Ex castro Tarnoviensi XXIII Septembris 1528.

Vrae. reverendissimae Dominationis servitor deditissimus S. Brodericus, electus Sirmiensis.

Kod. Karnk. X, 254.
Kod. Sap. VII 218.

401. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Sacra regia Mtas. et dne., dne. clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Quoniam instat tempus S. Michaëlis, quo ad reformationem jurium ex publico conventus Pyotrkoviensis praeteriti decreto hi, qui sunt deputati, Pyotrkowiae convenire debent et dnus. castellanus Lublinensis, qui ex eorum numero est, nunc absi videbatur mihi operae pretium, Mtem. vram. de hac re tempori admonere, ut in locum ejus aliquem alium Mtas. vra. substituere dignaretur. Mea autem sententia et domin castellani Cracoviensis ad hoc munus videretur magnopere opportunus et aptus dnus Petrus Firley, castellanus Chelmensis, de quo etiam Mtas. vra. judicium suum adhibere e si idoneus fuerit visus, per literas suas id ei declarari facere dignabitur. Sed et ad pa latinos jam etiam tempus esset literas dare, ut de suis palatinatibus mittant eos, qui ac reformanda et corrigenda eadem ipsa jura dudum sunt deputati; opus est praetere admonere dominum palatinum Sandomiriensem, quem ad hoc munus in locum dni. pala tini Cracoviensis Mtas. vra. surrogavit, et similiter dnum. palatinum Juniwladislaviensen et dnum. castellanum Plocensem, ut ad diem S. Michaëlis proximum in Pyotrkow se si stant et munus sibi injunctum obeant, ne, quod ad implenda decreta publica pertineat a Mte. vra. neglectum esse videatur. Quare cum tempus et ratio ejus rei ita postulant Mtem. vram. enixe rogo, ut et literas ad illos scribi et viaticum illis dari faciat. Nam ita et Reipublicae decretis et officio suo Mtas. vra. satisfecisse judicari poterit et eg admonitione mea videbor mihi praesto adfuisse Mti. vrae. sermae. Cui me servitutemqu meam rursus suppliciter commendo et magnopere opto, ut Mtas. vra. sit felicissima e quam diutissime incolumis cum omnibus liberis et conjuge sua serenissima. Datum.

Teki Górskiego, nr. 1065 (minuta z poprawkami Tomickiego).

402. P. Tomicki, epus. vicecancellarius, Chryst. Szydłowiecki, cast. Crac., cancellario.

Magnifice dne., dne. et amice honorandissime. Post abitum hinc Mgciae. vrae. nihil nov accidit, quod a me ad Mgciam. vram. recte scribi posset, nisi quod nudius tertius e Tarnovia rediens unus ex domesticis d. scolastici et vicarii Crac. retulit se vidisse Hieronymum Laski; ipso illo die, quo inde discessit, Tarnoviam advenisse dixit.

Praeterea dnus. Spitek de Tharnow, castell. Zarnoviensis, cum hic mecum unum diem esse retulit mihi esse quosdam homines, qui popularem sibi gratiam sollicite concilient nob liumque favorem aucupent et . . . . .,[1]) ut conventu futuro habendo ea, quae molianti et cogitant, clamoribus et importunitate multorum consequi et pervincere possent. Quam quidem rem quia video egere maturo consilio et opera, qua illi provideri et obviari possi constit

[1]) Wyraz w minucie skrócony i nieczytelny, może: pertentent albo praetente nt.

constitui cum Mgcia. vra., ut primum huc redierit, coram conferre et invicem de omnibus salubre aliquid in rebus his consilium quaerere. Interea temporis cupio felicem esse Mgciam. vram. et cum suis omnibus comitibus sospitem et optime incolumem, cui me ex animo commendo. Datum.[1])

403. Petrus Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, epo. Plocensi.

Teki Górskiego, nr. 2893 (minuta).
Kod. Karnk. X, 144.
Kod. Sap. VII, 142.

Reverendissime in Christo pater et domine nepos charissime. Plurimas ago et habeo Dominationi vestrae rmae. gratias, quod suffraganeum suum mature et ad tempus ad me miserit, cui equidem admiror hoc iter visum esse molestum et incommodum, cum tamen videri sibi debuit magnopere necessarium et opportunum propter ea negotia, quae hic in praesentia plurima neque inutiliter curavit et gessit; utcumque tamen illo invito factum hoc esse noscatur, mihi certe vel hoc solo nomine adventus ejus gratissimus esse debet, quod conjuncta illius opera suffraganei mei necessarium munus jam tandem est mihi absolutum.

Misit recens rex Ferdinandus sacrae Mti. regiae et domini nostri novum illati sibi belli a domino Laski literarum exemplum, quod ego exceptum in altera pagina Dominationi vrae. rmae. cum praesentibus mitto.

Dominus Laski venit non pridem in Tarnow ad serenissimum dominum regem Joannem totus, ut dicitur, in Turcum mutatus. Ego cupio felicem esse r. D. vestram et optime incolumem. Dat. Cracoviae.

404. Sigismundus primus, rex Poloniae, Georgio Konopacki, palatino Pomeraniae.

Archiwum kapituły gnieźnieńskiej.

Magnifico Georgio de Conopathi, palatino Pomeraniensi et capitaneo Swecensi, sincere nobis dilecto, gratiam regiam. Magnifice sincere nobis dilecte. Tertius annus jam agitur, quod in conventu generali Cracoviensi solenniter et mature sententiam tulimus, ut rndo. dno. Mathiae, episcopo Cujaviensi, ac ejus ecclesiae ratione decimae manipularis episcopalia juxta contractum et concordiam vetustam inter magistrum Cruciferorum et quendam epum. Cujaviensem celebratam ab omnibus et singulis colonis totius Pomeraniae nullo excepto de agris et mansis quomodocunque cultis, deinceps sine ulla tergiversatione solverentur, et quod omnis controversia ob eandem rem habita jamdudum cessaret, et fecimus promulgare et manifestare passim eandem sententiam nostram literis et mandatis patentibus, tuamque Sinceritatem ejus nostri decreti et sententiae, ceu ad ejus palatinale officium pertinet, executorem constituimus, mandantes et omnino habere volentes, ut ejuscemodi decretum nostrum ab omnibus sancte et obedienter servaretur, praesertim quod illud tulimus in favorem omnium incolarum Pomeraniensium temporis moderni ratione servata: decimas manipulares vetustis privilegiis mediantibus episcopis dari debitas . . . . . .[1]) Quia hactemus in contemptum auctoritatis nostrae et dampnum praefati rndi. dni. episcopi

[1]) Na minucie dopisał Górski: in Kyelcze 1528; ze wzmianki o świeżem przybyciu Łaskiego wnosić jednakże należy, że list pisany był w końcu września lub w październiku, kiedy Tomicki przebywał w Krakowie. — [2]) Ustęp w dokumencie nieczytelny (? abrogandas permutatione).

episcopi sententiam et decretum nostrum S. tua in executionem effectivam non posuerit, videtur abuti auctoritate officii sui cum nostra indignitate. Quare autem istud tua S. faciat, causa nulla legitima subsistere videtur, praesertim quod in novissimo Piotrkoviensi conventu nuntiis vestris apud nos habitis, videlicet Locca et Baldovski, pro responso dedimus, quod sententiam per nos latam solenniter ratam et firmam habemus, atque a vobis omnibus, quorum interest, ratam haberi et firmam observari volumus, sed nec ulla reprobi sensus interpretatione seu commutatione vellicanda patiemur. Quia vero cum indignitate nostra ejus sententiae nostrae executio trahitur et rndi. dni. epi. ejusque ecclesiae, cujus nos unicus patronus sumus, commodum subtrahitur plurimum, nobis displicet, nec amplius illam indignitatem ferre volumus, quum non intendimus permittere, ut cujuspiam temeritas ecclesiis id subtrahere conetur, quod longo et pio usu ecclesiis dicatum est et nostra matura sententia approbatum. Quapropter tuae S. severe mandamus et praecipimus peremptorie mandantes, ut omni excusatione et mora posthabita sententiam eandem nostram, prout stat et promulgata est, de solvendis episcopalibus per totam Pomeraniensem terram tuae jurisdictioni palatinali subjectam auctoritate nostra poenis et mulctis adhibitis severe exequatur et compellat, et eosdem, qui nostrae sententiae obedire ausu temerario nollent et tuam auctoritatem spernerent, praeter mulctas, quibus puniendi serio sunt, nobis literis suis denuntiet, ut nos eorum temeritatem condignis poenis afficiamus et nostris mandatis parere doceamus, et ubi praeterea iterum ad nos delatum fuerit, quod tua S. ea in re mandatis nostris non satisfaciendo remissius egerit, indubie sciat, se non evasuram indignationem nostram atque ideo aliter non facturam pro gratia nostra. Datum Vilnae, sabbato ante festum translationis Sancti Stanislai. Anno Domini M. D. XXVIII.[1])

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr 249 (list orygin).

405. Mathias Drzewicki, epus. Cujaviensis, Mauritio Ferber, epo. Varmiensi.

Rme. in Chro. pr. et dne. amice et frater in Chro. carissime et honorande. Salutem in dno. et optatam sempiternamque felicitatem. Non aegre ferat vra. r. D., quod ad eandem rarius scribo, facit enim hoc non minutio amoris nec torpor pigritiae, sed inopia argumenti ad scribendum, quoniam hic in loco ferme solitario manens, ad quem raro quispiam declinat, argumentum non amplector scribendi. Boni itaque vra. r. D. consulat et dignetur sibi de me persuadere, quod totus et integer suus sim. Cui gratias ago ingentes, quod utique mei memoriam habet et interdum suis literis me invisit. Exspecto ego in horas de Cracovia mei suffraganei reditum, quem illuc destinavi ad praestandum munus consecrationis rmo. dno. Premisliensi et tum, si quid inde nobis communicabitur et scribetur, pro nostro in eandem studio vrae. r. D. scribere non negligemus. Nunc autem episcopalium nostrorum, quae nobis non solvuntur non sine contemptu mandatorum regiorum et jactura nostra, commendamus. Nam vris. D. scribimus ob eam rem, quoniam placuit adhuc benivolentia experiri, ut satisfiat decreto regio et justitiae nostrae, praesertim cum sciamus, hunc conventum vras. D. celebrare pro justitia cuilibet ministranda; speramus, quod et nobis vris. D. faventibus ministrabitur. Ubi vero secus factum fuerit, necessario rem aggrediemur et fortassis nobis favente dno. Deo succedet, ut justiori sententia adversus temerarios et inobedientes edetur, uti nobis manipulorum decima, sicuti divinum jus dictat, solvatur. Mallemus nos esse praeco laudum apud Mtem. regiam vrarum. D., quam accusator

[1]) D. 26 9. 1528.

accusator, quia tamen urget necessitas, ut aliter fiat, nemo imputabit. Vra. tamen r. D. opituletur, ut tandem finis fiat, ne ira divina regiam iram adversus inobedientes excitet. Et feliciter valere desideramus vram. r. D., cui nos commendamus et rogamus, ut vra. r. D. credat nostro Pomeraniensi officiali, quicquid hac in re nomine nostro exposuerit. Arguat etiam vra. r. D. fratrem suum dominum Hebreardum, qui etiam non compellit suos ad solvendum, et nisi esset respectus ad vram.r. D., censuris ad versus agerem. Ex Vladislavia 28 Septembris 1528.

Vrae. r. D. totus Mathias, Dei gratia eps. Cujaviensis.

406. St. Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo. vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 984 (list oryginalny).
Kod. Karnk. X. 212.
Kod. Sap. VII. 209.
Kod. Wojcz. nr. 213.

Reverendissime domine, dne. observandissime. Salutem et servitiorum meorum commendationem. De reditu dni. Laski, de pace perpetua per eum apud imperatorem[1]) facta, de profligatione copiarum Andreae Bathorii et ipso in castrum Echeth incluso, non dubito vram. Dtionem. aliunde etiam jam intellexisse. Ego etiam Dtioni. vrae. haec per dnum. Thomam, capellanum meum, nuntiaveram. Audieramus tunc et illud, partem copiarum Petri Perenii ex Transsilvania egredientis fuisse profligatam, Maylad, dispensatorem olim divi regis mei Ludovici, in eo proelio interfectum: haec nunc quoque confirmantur pro re certa, ipsum autem Petrum Perenii, non ausum amplius tentare fortunam ex Transsilvania egrediendi, retrocessisse, territum exercitu regio, qui est in illis partibus prope ex XX[2]) milibus Rascianorum conflatus eorum, qui aliquando cum homine Nigro fuerant. Nunc sunt sub Radyth et ejus sociis Mti. regiae fidelibus. Praeterea Dtio. vra. potuit intellexisse, fuisse congregatum non contemnendum exercitum Ferdinandi regis contra copias, quae erant sub ductu castellani castri regii Wychel[3]) Simonis, literati, inter quos debebat fieri conflictus. Nunc hac ipsa hora venit ad Mtem. regiam nuntius, non postremae conditionis homo, qui proelio interfuit et omnia oculis vidit: exercitum iilum per nostros esse penitus deletum, castra etiam, in quae post primam fugam confugerant, capta et direpta, omnes fere, qui in castris fuerunt, occisos, bombardas omnes et quidem pulchras acceptas. Exercitus iste erat conflatus ex copiis Pauli Strigoniensis, Thomae Agriensis, Thurzonis et Nanderyspanii et quorundam aliorum adversae partis, item Cassoviensis et aliarum civitatum; erant et CCCC[4]) lancigerii Germani. Ante proelium hortati sunt eos nostri, ut proelium omitteretur, ne fieret tanti christiani ac fraterni sanguinis effusio, ad quae illos, dicit iste nuntius, superbissime atque insolentissime respondisse convitiis etiam et probris turpissimis additis. Haec volui Dtioni. vrae. rmae. ita, ut accepi, esse nota, quae pro eo amore ac favore, quo sermum. regem meum prosequitur, scio quod super his ex corde laetabitur. Cui servitia mea unice commendo. Quae optime valeat. Ex castro Tharnowiensi 28 Septembris 1528.

V. rmae. Do. servitor deditissimus S. Brod. sst.

Supervenit et alius nuntius domini Francisci Homonnaii idem affirmans. Venerunt literae domini Jacobi Thornalii, in quibus scribit, allatum esse ad se de Transsilvania octingentos equites

[1]) Kod. Karnk.: apud imperatorem Turcorum. — [2]) W Tekach i w kodeksach Karnk. i Sap. jest II przekreślone poziomą kreską, w kodeksie Wojcz. XX. — [3]) W kod. Sap. Wylzet; w kod. Wojcz.: Vylczek. — [4]) W kodeksach IIII c.

equites P. Perenii debellatos, capita Francisci Erdelii et illius Mayladi, de quo supra esse ablata.

Propter occupationes coactus sum haec aliena manu scribere, quare veniam peto.

Allata sunt et alia nova, sed ista non audeo affirmare, versus partes Slawoniae per copias epi. Zagrabiensis et fidelissimi omnium Hungarorum Joannis Banfii, item nonnullorum comitatuum, qui simul pro rege nostro conspiraverant, copias regis Bohemiae esse profligatas.

Teki Górskiego, nr. 988 (minuta z poprawkami Tomickiego.)
Kod. Karnk. X, 211.
Kod. Sap. VII, 208.

407. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, St. Broderico, epo. Sirmiensi.

Reverendissime domine, frater et amice charissime ac honorande. Dominus Thomas, Dtionis. vrae. rmae. capellanus, diligenter mihi omnia exposuit, quae a Dtione. vra. reverendissima in mandatis acceperat, quae quidem mihi auditu fuerunt jucundissima, uti et cetera semper alia, quae in rem sermi. dni. regis Joannis dicuntur, gratissima et jucunda esse consueverunt. Faxit omnipotens Deus, ut ea omnia, in quibus spem et exspectationem suam fixit Mtas. sua, felices sortiantur et habeant exitus. Hoc enim mihi et illius Mtis. et Dominationum vrarum., quae cum illa periclitantur, causa optatius et magis gratum vel jucundum nihil accidere posset.

Quod autem scripsit Dtio. vra rma., ut illi monetae Cruciferae, vel quae in Pannonia in usu haberetur, florenos centum mitterem, equidem habere hic aliam monetam praeter nostram non potui, ex qua centum florenos nostrates permutari feci in septuaginta aureos Pannonicos, quos Dtioni. vrae. gratissimo animo mitto, et praeterea pellem sobellinam, de qua mihi dnus. Thomas dixerat et quam ego ad usum meum selectam habueram. Equos etiam, quos habere a me optabat, in Radlow misi, quos illic, cum fuerit opus, Dtio. vra. rma. accipi faciet. Quae omnia Dtio. vra. rma. eo animo, quo a me dantur, accipiat, nempe liberali et grato, etenim uti saepe pollicitus sum, ego etiam nunc id prae me fero, ut in ea fortuna et egestate Dtio. vra. quantum in me est non deseratur. Cujus benevolentiae et amori fraterno me plurimum commendo eamque felicem esse et incolumem vehementer desidero. Dat. Cracoviae die Scti. Michaëlis. Anno dni. 1528.[1])

Teki Górskiego, nr. 1037 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 224.
Kod. Sap. VII, 225.

408. P. Tomicki, epus. vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Sacra regia Mtas. et dne., dne. clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Summa ratione et prudentissimo consilio fecisse mihi videtur Mtas. vra. serma., quemadmodum et cetera solet omnia, quod comitiorum et conventus futuri diem atque locum communi consiliariorum suorum consensu statuere et indicere velle non est dedignata; namque vel hoc solum tractatibus et negotiis publicis bene constituendis plurimum commoditatis et celeritatis afferre potest. Ac me quidem acceptis Mtis. vrae. literis diu volutantem animo, quem locum potissimum conventus celebrandi Mti. vrae. proponere et suggerere debeam, ratio ipsa in hanc duxit sententiam, ut existimem Varsoviam esse prae ceteris capessendam et illuc negotiorum omnium congeriem conferendam. Nam

[1]) D. 29. 8. 1528.

Nam cum maneat adhuc inchoata et imperfecta ducatus Mazoviae cum regno conjunctio et nuntii terrarum regni suspicionem mihi afferant: nulli rei assentiri prius in futuro conventu debere, quam ad aequalia munia Reipublicae praestanda illi quoque ex Mazovia accedant vel trahantur, commodissimum factu videri debet, ut Varsoviae coram et una omnes istius rei curam suscipiant et agant. Ita enim et occasionem optimam negotii cito perficiendi dedisse et intulisse Mtas. vra. judicari poterit et tueri id atque a se depellere, quod multorum iniquissimis jam vocibus est in vulgus sparsum et disseminatum, Mtis. scil. vrae. nimia vel indulgentia et facilitate vel conniventia accidere, quod hactenus Mazoviae nobiles ad onera Reipublicae communiter et aequanimiter ferenda non fuerint adacti. Tempus autem conveniendi commodissimum mihi videretur ad diem festum Sctorum. Trium Regum, cum et ante illum diem maneret adhuc Mti. vrae. opportunum spatium ad absolvenda isthic in ducatu Lithuaniae Reipublicae negotia et decreta publica explicanda, et post sit futurum etiam non paucorum dierum intervallum, quibus ante veris initium necessitati Reipublicae regni succurri et consuli possit.

Et haec ego pro captu meo et fide, qua summa in Mtem. vram. et Rempublicam teneor, reperi tractandis rebus et negotiis publicis commodissima et idonea futura. Quae eodem animo suscipere dignabitur Mtas. vra., quo a me excogitata sunt et scripta. Ipsa vero pro summa sua sapientia et in rebus gerendis peritia statuere et decernere dignabitur, quicquid sibi suaeque Reipublicae salubre ac frugiferum futurum existimabit. Nam omnia recte facta censebuntur, quae ab auctoritate Mtis. vrae. prodibunt et descendent. Ego me servitutemque meam iterum atque iterum in gratiam Mtis. vrae. sermae. commendo, quam et felicissimam esse et optime cum illmis. suis liberis et serma. conjuge incolumem vehementer desidero et opto.

409. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Jo. Chojenski, archidiacono Crac., secretario.

Teki Górskiego, nr. 1068 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 225.
Kod. Sap. VII, 226.

Venerabilis domine, frater in Christo charissime. Quae fuerit sententia nostra de die et loco futuris comitiis praestituendo, ex literis, quas ad Mtem. regiam scripsimus, plenissime cognoscetis et quod ad diem quidem attinet, bona ratione Sctorum. usque Trium Regum festum proposuisse et designasse nobis videmur; nam et Mtas. regia commodius res Lituanae reipublicae interea temporis componere poterit et nos, qui diem dictum negligere non solemus, minore sumptu et minore molestia eum ipsum diem obibimus et observabimus, quam si non longe sub natalem diem Domini tempus indicatur, cum illud totum, quod medium esse solet inter festa natalis et diem conventui dictum, negligere et deserere plerique soleant nosque eorum adventum non sine molestia post ipsa usque festa praestolari soleamus. Locum autem, prout res ducatus Mazoviae exigent, mutare Mti. suae conveniet; nam si forte Mazovitae per Mtem. suam interea ad praestanda, quae debent, aliquo pacto adduci possint, Pyotrkoviae locus esset conventui celebrando magis idoneus. Sin minus autem illi reduci possint in ordinem, non potest sane quidquam consultius esse ad omnia, quae tractari debent, quam ut Varsoviam concedatur et conveniatur ab omnibus.

Ceterum quod a nobis edoceri postulatis, in quam sententiam literas conventuales et convocationis concipere et ad quem inscribere debeatis, nos quantum his literis praestari potest, breviter vobis exponemus, si hoc tamen primum vos monuerimus, ut, si diem vel locum

locum mutari a Mte. regia aliter, quam nos constituimus, contigerit, ea etiam, quae ad rem non videbuntur accommodata, ita, uti conveniet, ad tempus aliud et locum per vos adaptentur et sane in hunc modum scribendum videretur.

Quod cum superesse adhuc multa sciat Mtas. sua, quae Reipublicae causa proponi in mediam omnium consultationem denuo oporteat et videat nondum perfectam esse fundorum et bonorum regni publice decretam aestimationem, item etiam quod neque jurium et constitutionum publicarum sit adhuc reformatio absoluta neque cum hoste Tartaro aliquod pactum vel indutiae initae, necessarium visum est Mti. suae, ut hac hieme instante conventum de more regni in aliquo loco publice ageret ibique communi omnium consensu, quae ad Reipublicae commodum et defensionem pertinere videbuntur, sanciret et constitueret. Ad quam quidem rem cum et locum et tempus idoneum diutina meditatione quaereret Mtas. sua, quasi medium omnium rerum, quae urgent, callem tenens, Varsoviam locum et Trium Regum convenientem diem fore arbitrata est, quippe quod existimaret et eo praesertim loco repugnantes et dissentientes adhuc Mazoviae nobiles in consonam et unanimem cum regno observantiam adducere et illo usque etiam tempore a negotiis publicis ducatus Lithuaniae se posse esse liberam ad reversionem in regnum.

Quare hortatur Mtas. sua, ut ad conventum particularem de more celebrandum in suo quique territorio conveniant, unde postmodum Varsoviam, vel ubi decretum erit, publice consultaturi accedant.

Cetera si quae erunt necessaria, pro industria vra. vos, ut conveniet, collocabitis et si forte vos haerere et addubitare in aliquo contigerit, dominum Camenecensem consuletis, qui erat earum rerum quandoque scriba peritus.

Mittimus autem vobis et nomina omnium per dignitates et districtus distincta et dies indicendorum particularium conventuum in calendario perscriptos, ex quibus facile vos omnium literarum seriem concipere poteritis, dummodo rationem loci et temporis, ut Mtas. sua jusserit, tenueritis. Et haec nos vobis, ut melius literis istis licebat, exposuimus; vos reliqua prudentia et sedulitate vestra perficere curabitis.

Habemus vobis gratiam, quod miseritis nobis copiam literarum dni. archiepiscopi, in quibus nodosam omnium rerum sententiam exponit et in sinus ambagesque multas contortam orationem faciens suadet alia, alia item dissuadet Mti. suae., quae tantum abest, ut Mtem. suam complecti debere arbitremur, ut etiam ne simplici et rerum humanarum parum perito cuiquam homini id posse persuaderi existimemus. Etenim Mtas. sua pro sapienti suo consilio facile illa involucra potius quam consilia agnoscere potest, neque dubitamus Mtem. suam cogitationibus ejusmodi et rebus, quae sibi invicem non constant, nunquam se et regnum suum esse implicaturam.

Fama ea nunc circumfertur, quod Turci ad Varadinum Petri arcem copias suas admoverint et illuc ad se regem Joannem accersant, qui etiam dicitur propediem istud iter auspicaturus, quam feliciter, nescimus, speramus tamen, nos ex rerum eventibus postea cognituros, quae ad vos, uti posthac erunt, perscribemus. Bene valete et felix sitis. Datum.

Teki Górskiego, nr. 2862 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 213.
Kod. Sap. VII, 210.

410. P. Tomicius, eps. Crac., vicecancellarius, Antonio Rinconi, regis Galliae oratori, et Stephano Broderico, epo. Sirmiensi.

Spectabilis ac mgce. reverendissimeque in Christo pater, domini et amici honorandissimi. Magnam mihi attulerunt voluptatem et gaudium literae Dtionum. vrarum., quas ad me cum exemplo

cum exemplo literarum sermi. regis sui miserunt; cognovi enim ex illis, Mtem. suam secunda fortuna in omnibus rebus uti, quam ego, ut antea semper Mti. suae ex animo cupiebam, ita nunc propitiam et prosperam factam, sincerius quam possum faveo dominumque Deum oro, ut Mtas. sua in dies magis ac magis spe bona et victoriis illustribus cumuletur, quae et Mtem. suam autoritate et splendore et rem communem christianam commodo et dignitate vel augere vel sublevare possint. Verum illud, quod de Turcorum adventu erat illic adscriptum, Ferdinandici non credunt. Hodie enim Buda a Carolo, mercatore Cracoviensi, ad dominum castellanum Cracoviensem sunt allatae literae, quibus scribit, illic de Turcis, quod veniant, nihil afferri. Quod utcumque sit, ego certe multum gratulor Mti. suae, quod Petrum Perenii, perennem inimicum suum, ceperit, quodque reliquis belli successibus optimis fruatur. Dtionibus. autem vestris magnas habeo et ago gratias, quod me tanti gaudii sui fecerint participem, majores autem agam, si deinceps id, quod prosperum de rebus sermi. regis sui audierint, mecum communicare non praetermittent. Interea me illarum benevolentiae et amori fraterno commendo easque felicissimas esse et optime incolumes vehementer desidero. Datum.

411. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Lucae de Gorka, cast. Posnaniensi.

Kod. Karnk. X, 194.
Kod. Sap. VII, 185—186.

Magnifice domine, domine et frater honorandissime. Literas magnifici domini palatini Cracoviensis, quas scribae mei unius culpa et oblivione is Magnificentiae vrae. nuntius, cum paulo ante hic esset, non acceperat, ferendas iterum ad Magnificentiam vram. alii dedi, quas jam illam accepisse nihil dubito. Quare si quid in eo, quod illic scribitur, deliberavit, mihi perscribat velim.

Hic novi habetur aliud nihil in praesentia, praeterquam quod dominus Laski tandem est reversus, ferox animi et novarum cupiditatum plenus. Dicitur autem jactitare multa et minacibus verbis in eos invehi, quos sibi adversarios fuisse vel nunc esse velle cognoverit. Cujus generis literas etiam hic ad dominum castellanum Crac. scripsit, ex quibus ego excipi verba ejus jussi.

Mitto etiam una et literas rmi. domini episcopi Sirmiensis, ex quibus Magnificentia vestra perspiciet, quid spei rex Joannes hoc tempore ceperit de rebus suis, nam dominus Laski spem sibi attulisse firmam dicitur auxilii non modici a Turcis ferendi. Et praeterea etiam dicuntur aliquot Ungarorum cohortes, quae pro parte regis Joannis duobus in locis cum adversariis nuper fuerant congressae, feliciter pugnasse et magnam ex hostibus suis reportasse victoriam, quae omnia fortunet illi ita Deus, ut tamen exinde respublica christiana et item nostra non patiatur detrimentum.

Terret nos hic pestilentiae metus, quae identidem in plerisque urbis regionibus exoritur et non cessat; hujus gratia jam filia Majestatis regiae post aliquot dies hinc discedit in arcem Checzinensem[1]) profectura. Quam et ego fortasse cum domino castellano Cracoviensi in relinquenda hac urbe sequar et in aliqua salubriora loca me conferam. Interea me amori et benevolentiae fraternae Magnificentiae vrae. commendo illamque cum suis omnibus felicem esse et optime incolumem vehementer desidero. Datum Cracoviae.

Verba

[1]) Kod. Sap.: Chaeczinensem.

Verba ex literis Laskii descripta:

Pro facto autem ipso vel meritis meis non aliud exspecto, nisi quod iterum Mtas. sua aliquo me conficiat levipendio, sicuti contra sua regia verba, promissa et privilegia in negotio Marienburgi facere dignata est. Quae Majestatis suae adeo evidens ingratia accidit mihi non ex illius natura, quae virtuosissima est et sanctissima, sed artificio quorumdam, qui catulos a qua volunt esca repellunt, parvi pendendo illos ceu juvenes. Sed jam mihi sentio progredi dentes et non solum ad latrandum, verum etiam ad mordendum aptos. Majestatem domini mei veneror, recognosco uti subditus genialem esse mihi dominum, qui mecum et cum meis pro arbitrio suo agere potest, reliqui autem sunt mihi in alea pares, a quibus opprimi nollem, nec hoc ipsum pati possibile est.

Archiwum Wiedeńskie, (list oryginalny).

412. Christ. Szydłowiecki, castell. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Sacra et serenissima Majestas et domine domine clementissime.

Post perpetuae servitutis commendationem. Nullis verbis explicari potest, quantam voluptatem cepi ex clementissimis ac jucundissimis literis sacrosantae Majestatis vestrae datis ex arce regia Pragensi decima septima die Septembris, quibus sacrosancta Majestas vestra pro sua erga me, perpetuum ac sincerum servitorem suum, indicibili gratia hoc, quod de gloriosissima victoria et triumpho sacratissimae atque catholicae caesareae Majestatis nuper parta accepit, in sinum meum effundere dignata est. Quamobrem ago et habeo sacrosanctae Majestati vestrae immortales gratias et dominum Deum precor, ut Majestas vestra serenissima hujuscemodi novis et significationibus saepius nos bonos servitores suos inviset et consoletur; sum enim is, qui sacrosanctae et inclitae domui Austriae quaeque sublimia ac felicissima precor et ex animo faveo.

Literas autem, quas sacrosancta Majestas vestra dignata est mittere ad manus meas, serenissimis et clementissimis dominis meis nec non reverendissimo domino episcopo Vilnensi e vestigio mittendas curavi, nec dubitare dignetur Majestas vestra serenissima, quin citra moram ad manus Majestatum dominorum meorum gratiosissimorum salvae et incolumes perferentur.

Novarum rerum nihil habeo, quod esset dignum scripto sacrosanctae Majestati vestrae, quam quod serenissimi domini mei reges (gratia Deo!) rectissime valent, res suas in magno ducatu Lituaniae ex sententia componentes, quibus bene compositis in mense Decembri feliciter sunt redituri pro futuro regnicolarum conventu, quem puto circa sacra natalis Domini indicendum.

Commendo me sacrosanctae Majestati vestrae, quam optime ac felicissime valere ac regnare desidero. Datum in arce Cracoviensi, prima Octobris, anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

Ejusdem sacrosanctae Majestatis vestrae humilis servitor Cristoforus de S., c. et. c. Cracoviensis ac r. P. cancellarius manu sua.

413. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 3227 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X. 197.
Kod. Sap. VII. 189.

Sacra regia Majestas et domine, domine clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Superioribus diebus scripsi ad Mtem. vram. per cubicularium Steinkircher, qui proxime hic apud nos fuerat, quae mea sententia esset in assignanda die et loco habendi publici hic in regno conventus, quam hucusque non muto secus. Nam tametsi mihi et ceteris ad victum et alias id genus commoditates Pyotrkowiam aptissimum et accommodatum locum esse sciam, Warsoviam contra mihi et plerisque cum longinquam tum sumptuosam urbem futuram prospiciam, publicae tamen causae majorem rationem quam privati commodi habens, Warsoviam amplectendam esse censui. Idque nunc pro meo in Mtem. vram. officio iterum repeto et suadeo, ut, si nobiles Mazowiae ad conjunctionem cum regno et onerum ferendorum aequanimitatem non possent per Mtem. vram. aliqua ratione adduci, Varsoviam tunc demum Mtas. vra. descendere dignaretur et omnes reliquos suos consiliarios illo convocare. Quorum consilio freta et subnixa auxilio Majestas vestra tandem posset rem pro voto et utilitate publica bene et feliciter conficere. Si vero Mtas. vra. intelligat transigi cum illis bene posse de omnibus absque sua apud illos praesentia, Pyotrkowiam tum censerem convenientiorem esse ad habenda comitia. Mtas. tamen vestra pro sua prudentia aget, quod putabit Reipublicae et gerendis rebus commodissimum.

Ceterum et illud me tum scripsisse memini ad Mtem. vram. sermam., quod multa restant adhuc in regno loca et praesertim in Majori Polonia, quae non sunt aestimata, item etiam quod jurium et constitutionum regni reformatio non fuerit perfecta et absoluta, quae omnia quidem ex publico senatus consulto perfici et consumari debere sciunt, qui ad id sunt constituti, sed detrectant propterea munus et subtrahunt operas ab hoc suas, quod sumptibus et viatico nullo fuerint hactenus provisi. Dare enim in sumptus consueverat Majestas vestra palatinis marcas 60, castellanis 40 et reliquis ecclesiasticis et saecularibus inferioris conditionis 30. Quare Mtem. vram. ego plurimum rogo, ut eam rem authoritate publica coeptam deseri, quantum in se esset, non patiatur, quinetiam dare dignetur operam, ut perfici et absolvi ante futurum regni conventum possit.

Hic novi aliud est nihil, nisi quod dominus Laski ex peregrinatione sua et longinquo atque difficili itinere rediit, isque dicitur magnam attulisse spem sermo. domino regi Joanni affuturi illi non mediocris a Turcis subsidii. Sed ex Ungaria quoque laetum nunc idem rex Joannes accepit nuntium; prostratae enim dicuntur aliquot in locis a suis adversariorum suorum copiae, quas equidem res cuperem ego illi ita faustas esse, ne tamen ex iis et communi et nostrae Reipublicae detrimentum afferatur.

Accepi multos ex subditis Mtis. vestrae accingi ad profectionem in Ungariam cum sermo. rege Joanne, sollicitantur enim et invitantur magnis munerum et praemiorum promissionibus, quod quia ego intelligo contra edictum et animum Mtis. vrae. futurum, item etiam praeter exspectationem sermi. regis Ferdinandi, si subditi Mtis. vrae. adversum se stipendia facere debeant, admonendam de hoc Mtem. vram. pro officio meo censui et id priusquam adhuc sit factum aliquid; ideo perscripsi Majestati vrae. sermae., quam puto prudenti aliquo consilio isti rei obviaturam esse. In vigilia S. Francisci.[1])

[1]) D. 3. 10. 1528.

Teki Górskiego, nr. 990 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 198.
Kod. Sap. VII, 190.

414. P. Tomicki, epus. vicecancellarius, Joanni Chojenski, archidiac. Cracov., secretario regio.

Venerabilis domine frater in Christo charissime. Accepimus literas vestras cum mandato capiendi sceleratum illum doctoris Niescovitae occisorem, una etiam et ceteras literas, quas habere a Majestate regia cupiebamus, accepimus, in quibus curandis opera et officium vestrum, quod praestitisset, est nobis gratissimum idque vobis benevolentia et gratificatione nostra vicissim referre studebimus.

Nova haec nunc de rege Johanne circumferuntur, quod hesterno die ex Tharnow discesserit in Ungariam abiturus, cui nuper dominus Laski rediens spem recuperandi auxilio Turcorum regni dedit et proelia etiam aliquot non multo ante a suis in Ungaria feliciter nec sine victoria commissa exspectationem illius auxerunt et confirmarunt. Sed dominus Laski, nescio qua fretus audacia et cujus persuasione animatus vel incensus consilio, interminatur multa impotenter vel potius impudenter iis, quos causae suae sub ipsius absentia adversatos esse intelligit. Quos spiritus unde tam repente hauserit vel quid fuerit in causa, quod in tantum hac fuerit vana gloria inflatus et inani cupiditate supra modum intumescat, suspicari satis non possumus; certo tamen credimus Mtem. regiam pro auctoritate et gloria sua daturam esse diligentem operam, ne haec perniciosa hominis audacia et perpetrata nequiter contra Mtis. suae dignitatem multa sint ita, quemadmodum illi videtur, impunita.

De praepositura Bistricensi magnopere dolemus ita accidere, quod dominus episcopus concupiscat hanc ad arbitrium suum vendicare et efflagitet tantopere a Majestate sua, ut anteriorum regum vel principum majorum suae Mtis. donatio in irritum deducatur. Neque tamen credo, Mtem. suam tam cupidae et imprudenti petitioni assentiri debere, quin etiam apud summum Pontificem istius generis eversiones fundationum scio non solere confirmari. Ac vos quidem, quantum ad id attinet, plurimum rogamus, ut intercedatis et resistatis ei rei, quantum in vobis est et explicetis diligenter Majestati suae, non esse id ex dignitate suae Mtis., ut ad cupiditatem alicujus judicia et donationes majorum suorum se auctore interverti debeant, et propter unius vel duorum nefandum facinus ordo omnis fratrum suis commodis et proventibus bene quaesitis privari debeat. Referetis etiam Mti. suae., hanc esse sententiam nostram et quod censuerimus reis sceleris potius irrogandam poenam pro delicti gravitate, quam insontes praeter aequitatem opprimendos. Vos tamen pro industria vestra cetera, uti res postulabit, curabitis, in quo rem et officio vestro dignam et nobis plurime gratam praestabitis. Cracoviae die Sancti Francisci, 1528.[1])

Teki Górskiego, nr. 1047 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X. 216.
Kod. Sap. VII. 213.

415. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Sacra regia Majestas et domine, dne. clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Cum hac iter faceret dnus. Franciscus, sermi. regis Joannis secretarius, exposuit mihi, se missum a Mte. dni. sui et recta isthuc ad Mtem. vram. proficisci, puto ut et discessum ejusdem sermi. regis sui ex regno Mtis. vrae. declaret et nomine Mtis. suae dominum Laski in iis, quae adversus Mtem. vram. perpetravit, excuset et defendat

[1]) D. 4. 10. 1528.

et defendat. Quas res cum ille aget apud Mtem. vram., plurimum illi supplico, ut se clementem ei et benevolum in attentione praestare dignetur,[1]) ut in hac novissima regis sui Joannis legatione concipi et agnosci possit aliqua Mtis. vrae. in illius miseram et afflictam fortunam misericordia et pietas. Atqui etiam multum ad liberalitatem Mtis. vrae. et grati animi magnitudinem arbitror pertinere, ut per eundem nuntium munusculo aliquot quadragenarum ex sabellinis pellibus regem Joannem, ita jam peraegre abeuntem, Mtas. vra. sibi conciliare dignetur atque probabilibus aliquibus et legitimis rationibus hoc apud illum excusare, quod hospitalitatem aliam, cum hic esset, Mtas. vra. illi declarare non potuerit. Namque ego multorum literis et nuntiis certior sum factus, magnam illum acerbitatem et dolorem animi ex eo contraxisse, quod per id tempus, quo hic exulabat, nullam significationem piae hospitalitatis a Mte. vra. acceperit. Quem quidem dolorem repetitis querelis crebro iterat et renovat. Regni vero recuperandi spem indubitatam omnes, qui eum comitantur, illi afferunt et ad nos hic assidue nuntiant, causas et argumenta ad opinionem suam probabilia subjicientes. Quae eadem cum ego ex multorum literis Mtem. vram. didicisse et perspexisse confido, adduci, ut dubitem, non possum, Mtem. vram. ita sapienter ad haec se accommodaturam esse, ut et nunc et in posterum eundem regem Joannem amicum sibi regnoque suo habere possit.

Doctor Rzeczycza, poenitentiarius noviter in urbe Roma factus, per multos hic dies reditum Mtis. vrae. in regnum operiebatur, immortales illi gratias agere unaque et servitutem suam offerre atque devovere cupiens pro hoc poenitentiariae ornamento ex autoritate et commendatione Mtis. vrae. sermae. sibi quaesito. Quia tamen adventum huc Mtis. vrae. in longum adhuc produci videbat, et fortasse magis, quam venia ad absentandum sibi data se pati posset abesse, redire jam ad munus et officium suum decrevit. Cui cum ego nonnullas commendatitias Mtis. vrae. literas ad Summum Pontificem et rmum. dnum. Cardinalem fore putabam necessarias, conscripsi illas easque nunc ad Mtem. vram. mitto atque illi supplico, ut eas subscribere dignetur; namque ex re et commodo praenominati poenitentiarii esset, ut quam primum hae literae ad me huc remitterentur. Ac eam quidem Mtis. vrae. gratiam et singularem beneficentiam ille diligentissimis officiis et servitute, fide etiam et integritate sua promereri studebit, ego vero ita illum in hoc dirigam et comparabo, ut et charum et utilem Mti. vrae. servitute sua se praestare possit. Cui ego me et servitutem meam iterum atque iterum commendo optoque, ut et felicissima sit vra. Mtas. serma. citoque ad nos cum liberis et serma. conjuge sua sospes et incolumis revertatur.

416. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Bonae Sfortiae, reginae Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 1035 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 237.
Kod. Sap. VII, 250.

Sacra reginalis Majestas et domina, domina clementissima.

Quum esset hic per hos dies dnus. Nicolaus Niszczycki, capitaneus Plocensis, declaravi illi amplissimam Mtis. vrae. liberalitatem et munificentiam in eum conceptam, quod scilicet pro sua gratia reginali Mtas. vra. finito tempore administrationis suae et exactis pecuniis suis, quibus arcem Plocensem cum nonnullis bonis ad illam spectantibus redemerat,[1]) annum nihilominus

[1]) W kodeksach: ut illum clementer et benigne audire dignetur. — [2]) W kod. Karnk.: quas ad redimendum capitaneatum Plocensem impenderat.

nihilominus adhuc illi muneris et gubernationis illic prorogare decreverit. Quod cum ille cum summa jucunditate et gratitudine animi audivit et excepit et cum etiam hoc nomine immortales Mti. vrae. sermae. egisset gratias, haec verba simul prolocutus est: se omni studio et cura cum omnibus etiam cognatis suis et amicis operam esse daturum, ut hoc Mtis. vrae. de se judicium et liberalitatem diligentissimis officiis suis et servitute sua, tum denique optima illius capitaneatus administratione semper demereatur et ut illi, qui famam et innocentiam suam iniquis et impiis criminationibus apud Mtem. vram. traducere et comminuere sunt conati, eo ipso injurii et injusti calumniatores agnoscantur.

Ad haec petiit perscribi a me et exponi Mti. vrae., hanc esse in ampliandis et augendis commodis capitaneatus Plocensis deliberationem suam et institutum, si hoc idem Mti. vrae. videri et placere possit: ut oppidum Mlava ad bona Plocensia[1]) pertinens et grandi aere alieno hypotecatum[2]) propria pecunia redimeret et eliberaret traderetque illud in potestatem Mtis. vrae. cum omnibus reditibus exinde provenientibus,[3]) ipse vero eam pecuniam solutam[4]) haberet sibi ascriptam in arce Plocensi propter habitandi illic cum uxore et liberis commoditatem; Mti. autem vrae. exinde in singulos annos ducentas marcas penderet, reditibus Mlavae ad haec Mti. vrae. relictis. Quare rogat Mtem. vram., ut habita super eo deliberatione diligenti, faciat eum deinde instituti et voluntatis suae per me certiorem et hoc sibi de se polliceri dignaretur, quod hanc conditionem proponat in medium non tam commodi sui quaerendi gratia, quam ut Mtis. vrae. gratiam sibi conciliare et cumulare possit. Nam et de florenis sexingentis per XXX grossos computatis, quos illi Mtas. regia adhuc in Ploczko deberi non ignorat et ego sum testis, constituet cum Mte. vra. serma., quum feliciter in regnum redierit, unde accipere illos debebit. Quod quidem studium suum et observantiam erga Mtem. vram. ille gerendis rebus et officiis administrationis per decursum temporum locupletius declarabit. Ego tamen interim, quia confido omnia ex commodo et voluntate Mtis. vrae. diligenter illum esse facturum, plurimum eum commendo Mti. vrae. et supplico, ut quod sibi jam admittere velle annuum munus administrandi destinarit, ratum et firmum etiam esse dignetur.

De me et quo hinc sum discessurus, ea quae vulgo inclamatur pestilentia gliscente, nihil adhuc certi scribere possum Mti. vrae., quocunque tamen abire me contigerit, faciam posthac Mtem. vram. certiorem, nam hic esse me, labe et contagione hac durante, non fuerit tutum. Interea loci me et servitutem meam in gratiam Mtis. vrae. suppliciter commendo illamque esse felicissimam, sospitem et incolumem cum omnibus suis charissimis liberis et serenissimo conjuge vehementer desidero.[5]) Datum.[6]).

Archiwum Wiedeńskie (minuta).[7])

417. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Ferdinandus etc. Serenissimo etc. Paucis ante diebus Serenitatem vestram de successu victoriae caesarianorum prope Neapolim contra Gallos obtentae, ut acceperamus, admonuimus, de qua cum in praesentiarum supervenerit altera monitio, rem luculentius aliquanto, ut gesta

[1]) W kod. Karnk.: ad capitaneatum Plocensem. — [2]) W kod. Karnk. opuszczono: et grandi aere alieno hypotecatum. — [3]) W kod. Karnk.: cum omnibus ejus reditibus. — [4]) W kod. Karnk.: sic expositam. — [5]) W kod. Karnk. tylko: Interea me et servitutem meam commendo etc. — [6]) Na marginesie minuty i w kod. Karnk.: Cracoviae. — [7]) Na brzegu minuty uwaga: fiant literae eo majores propter inclusionem majorum.

gesta est, explicans nobisque per agentem nostrum in regno Neapolitano literis suis hispanice scriptis, quas de verbo ad verbum latinitate donari jussimus, transmissa, operae pretium simulatque ex honore non tam sacrae caesareae et catholicae Majestatis, domini et fratris mei charissimi, quam nostro quoque esse censentes, eidem illam quoque communicandam duximus eo quidem nomine, quod compertam habeamus suam affectionem et amorem in caesaream Majestatem et nos, quae et hanc felicitatem caesaris nonnisi prodigiose editam divulgari curabit, maxime cum et illi rerum nostrarum prosperitatem glutino quodam cohaerere videat. Hoc omne vero, quod feliciter cecidit, bonitati et omnipotentiae divinae acceptum ferimus, quae ut caesarem et nos pro sua in utrumque et justitiam nostram pietate et patrocinio deservit, nunquam nequetiam, uti unice speramus, deseret. His Serenitatem vestram felicissime valere precamur. Datum Viennae, quinta Octobris 1528.

In simili ad reginam Poloniae.

418. Christ. Szydłowiecki, castell. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny własnoręczny).

Sacra et serenissima Majestas et domine, domine clementissime. Post perpetuae servitutis commendationem. Erat hic Cracoviae d. Hendricus Ribisch, servitor s. Majestatis vestrae, antiquus meus, cum quo ad longum locutus sum de his, quae putabam non modice pertinere ad scientiam sacrosanctae Majestatis vestrae. Supplico eidem humiliter, dignetur eum exaudire et me fidelissimaque servitia mea commendata habere. Dominus prosperet omnes actiones sacrosanctae Majestatis vestrae. Datum in arce Cracoviensi, die quinta Octobris 1528.

Ejusdem ss. Majestatis vestrae humilis Cristoforus de S., castellanus etc. Cracoviensis ac r. P. cancellarius manu sua.

419. Joannes Dantiscus, orator, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Kod. bibl. Ks. Czartor. nr. 242 (list oryginalny).

Serma. Mtas. regia et dne. dne. clementissime. Humillimam perpetuae meae servitutis commendationem. Scripsi novissimas Mti. vrae. sermae. ex Caesaraugusta X m. Augusti praeteriti, ex quibus, cum eas salvas Antverpiae applicuisse sciam, omnia ad longum intellexit, quae tum se offerebant, unde ea ad praesens repetere supervacaneum censui, prosequar itaque, quantum per temporis angustiam licet, coeptam historiam ab illo tempore hucusque, in qua omnia perstringam, quae hic hactenus evenerunt.

Cum exirem Caesaraugustam, assecutus sum dnum. Mg. cancellarium in itinere, cui adventus meus non fuit ingratus; postulavit a me ob antiquam nostram familiaritatem, ut secum profectionem hanc usque Madrit conficerem, quod ob multas causas, praesertim cum nihil in curia mihi erat agendum, non difficulter obtinuit. Ferebatur bonus senex aeger in lectica, sicque usque Madrit me apud eum continui. Dixit mihi multa inter eundum, quomodo caesar eum aliquoties visitaverit et cum eo de multis rebus consultaverit; sed tamen gratia haec esset extrinseca et quod nihilominus intus nullum sentiret profectum et quod

hucusque

hucusque in rebus suis non posset habere finem. Venerat etiam inter eundum novum scriptum per Alarconem ex Neapoli, quomodo filius viceregis Siciliae, collectis II milibus Hispanorum et Siculorum, applicuisset cum suis navibus Calabriam, ibidem subinde ad eum quosdam primores, qui prius ad hostes defecerant, confugisse et intercepisse aliquot oppida et arces. Quod cum capitaneus Gallorum, qui in propinquo agebat, intellexisset, statim se cum V milibus contra eum armasse et in campum prosiluisse, unde filium viceregis, ne obsideretur cum his, qui ad eum confugerant, se etiam in campum locasse et cum Gallis justo proelio conflixisse, quos fere omnes fuderat et cepit plurimos de primis, cum reliquis captivis tres triremes armaverat. Item quod classis Gallica applicuisset circa Neapolim cum novis gentibus, quas cum exponere voluisset, frater marchionis Mantuae cum quibusdam aliis egressis Neaopolim in castra Gallorum propius, et in eos, qui exponebantur, magnam stragem edidisse et quod si capitaneus Alarcon stratagema tunc novisset, creditur, quod de castris Gallorum actum fuisset, quandoquidem ab alia parte, cum essent vacua praesidiis, impeti per Alarconem potuissent. Item quod aliquot vexilla de expositis et quidam primi capitanei de Gallis in hac excursione sint capti. Quod novum ad hoc tendebat, quod postea mortuo dno. de Lautrecht est subsecutum. — Venit etiam interea, quando in itinere fuimus, missus a Pontifice ad caesarem generalis ordinis S. Francisci, aenobarbus et Hispanus, qui paulo post cum multis ceremoniis praesente caesare cardinalitio pileo fuerat insignitus. Is, ut mihi retulit dnus. cancellarius, habuit quasdam commissiones pro componendo hoc bello et pace aliqua stabilienda et concilio generali indicendo, quod non alia in re, quam in loco, ubi secure statui potest, haereret. Scriptum etiam fuit dno. cancellario, imperatricem post partum coepisse febribus tertianis graviter laborare, et cum primum ab his liberaretur, caesarem hinc Toletum abiturum, cum hic aura et suspecta sit et ex febribus multi moriantur. Tandem d. XXIX Augusti praeteriti huc ad Madrit intravimus. Dnus. cancellarius, ne in hac sua aegritudine negotiis molestaretur, continuit se extra oppidum hoc in monasterio S. Hieronymi et ego in hospitium meum, quod priusquam abieram habui, diverti. Postero die, quae fuit dominica, exivi mane cum illmo. dno. marchione Brandeburgensi et dno. epo. Oscensi Cabrero ad S. Hieronymum, visitavimus dnum. cancellarium, qui nobis retulit, quomodo hodie huic generali Franciscano pileus cardinalitius dari debeat, quod non omnimodo omnibus placet. Inde cum dno. marchione ivi ad dnum. comitem de Nassaw pransique fuimus cum eo et inde vidimus caesarem, cui nihil aliud dixi, quam quod sua Mtas. non velit remissionis Adohae oblivisci, ad quod humaniter respondit, ut solet, se id velle curare, ut expediretur, quam primum esset possibile; quod tamen hucusque habere non potui. Datae mihi fuerunt eodem die literae a venerabili dno. Joanne Levicio, cantore Plocensi, quae quanto me gaudio affecerint, scribi nequit, cognoscens tum demum redemptionem meam appropinquare, unde magno cum desiderio illius adventum ex Biscaya, ubi per mare applicuit, praestolabar; molestum tamen mihi fuerat, quod tam diu in itinere sit immoratus, cujus mihi postea morae dignam dedit rationem, qua de re subinde coepi expeditioni huic meae intendere.

Transeo hoc, quod, cum jam auditum esset, me hinc abiturum et id, quod mihi caesar dixit, se dolere de meo discessu, et quomodo passim ad me amici omnes, quos in rem vrae. Mtis. sermae. hic paravi, confluebant, quorum post me non parvum moerorem relinquam. Venit tandem huc dudum a me desideratus dnus. Levicius d. IX Septembris novissime praeteriti, qui suo adventu me non secus atque Christus in limbo patres sanctos effecit, fuitque tum apud me in prandio secretarius Arragoniae Petrus Garcia cum filio suo et plerisque aliis, cum quo

cum quo feci dno. Levicio familiaritatem, illius enim opera in literarum expeditionibus pro statu Barensi non parum egebit. Inde mihi reddidit sermae. Mtis. vrae. literas, datas Petricoviae XXVIII Februarii, quae mihi totum restituebant, cum alias hucusque dispersus a me vagabar habeoque Mti. vrae. sermae., quas pectoris mei exiguitas potest, amplissimas et immortales gratias, quod tandem mei miserta, ab hoc tam diuturno exilio me revocare dignata fuerit. Qua in re adeo magnum mihi praestitit beneficium, quod vix majus unquam mihi conferre poterit, unde praeter id, quo pro debito et fide mea Mti. vrae. sermae. sum obligatus, fecit me sibi perpetuo auctoratum mancipium, dedi itaque omnem, quam potui, operam, ut me hinc quemadmodum mandat, visis his sermae. Mtis. vrae. literis, quam honorificentius et commodius possem, absolverem. Contulique cum dno. Levicio de omnibus, quae colloquium habendum cum caesare et dno. cancellario concernunt, et quoad ejus a me fieri potuit. pro ista, ut vocant, audientia elaboravi, et imprimis cum eo conveni dnum. cancellarium, cui literas vrae. regiae et reginalis Mtis. reddidit et eum nomine utriusque Mtis., ut conveniebat, salutavit. Bonus senex habuit gratias immensas et licet adhuc in sua aegritudine in lecto decumberet, omnem tamen favorem et operam dno. Levicio pollicebatur.

Paulo post XIII praeteriti (nam citius colloqui caesarem, qui tum fuit per istos dies in venatione, non licuit,) conveni ejus Mtem. et exposui, quomodo mihi a vra. Mte. serma. successor missus fuisset, rogans, ut ei benignam daret audientiam. Quae respondit, quia in laudem meam sunt, taceo. Inter alia tamen dixit, quod die Martis sequenti libenter collegam meum audire vellet. Quapropter die XV ejusdem mensis admissi fuimus a Mte. ejus in colloquium. Ibidem dnus. Levicius graviter commissiones suas retulit, et humanum responsum nomine caesaris per consiliarium dnum. Nicolaum Pernottam recepit, relicto Mti. caesareae memoriali scripto. Sicque humaniter a caesare dimissi. Postea in nihil aliud intendebam, quam ut remissionem Adohae mecum reportarem convenique ea de re non semel dnum. comitem de Nassaw, ut caesarem induceret, quod mihi de ista Adoha, quam jam a tribus hic annis tracto, clementer responderet meque cum eadem et cum gratia sua clementer ad Mtem. vram. sermam. remitteret. Fuitque mihi promissa de die fere in diem hucusque istius rei absolutio, quam tamen adhuc non habeo neque videtur rebus reginalis Mtis. integrum, ut eam sic in dubio relinquam, ne novissimus error pejor fieret priori. Ideoque cum jam multis diebus institissem pro colloquio habendo cum caesare et ut ei valedicerem, vix penultimo die, quo hinc discessit, fui admissus, eratque VII dies Octobris; hujus octava una cum imperatrice, quae adhuc non recte convaluit, abiit. Cum itaque ad caesarem venissem, congratulatus ei fui in primis de victoria, quam nuper contra Gallos habuit in regno Neapolitano, de quo inferius scripturus sum latius, deinde quod jam a tribus annis negotium Adohae apud Mtem. ejus tractassem et hucusque quam gratiam facere vellet, non respondisset; rogavi, ut in hoc meo exitu per me Mtem. vram. sermam. certiorem redderet, quid de hac Adoha decrevisset, quodque hac in re ad praesens magis, quam in quacunque alia re, Mti. vrae. sermae. ejusque conjugi gratificari posset et eandem Mtem. vram. ultra necessitudinis conjunctionem sibi facere devinctissimam. Ad haec mihi respondit, quod his diebus tot habuisset occupationes, quibus impeditus nequaquam negotio Adohae intendere potuisset, praesertim dno cancellario aegrotante. Qua de re deberem ei dare memoriale; curaturum se, antequam hinc abiret, ut me cum bono responso dimitteret, et non fore necessarium, ut ad Toletum, quo proficiscitur, sequerer. Sic cum mihi injunxisset salutem ad Mtem. vram. et ut dicerem, quod Mtas. vra. serma. eum pro bono fratre et amico haberet semper, quod sibi vicissim de

Mte. vra.

perlata, perscribam in compendio, sic habuit. XXVII mensis Septembris praeteriti, quae fuit dominica et dies S. Stanislai, hora VI mane in septem diebus ex Neapoli per mare hucusque venit quidam a principe de Orangos missus per postas, qui retulit, exercitum regis christianissimi, cui praefuit paulo ante mortuus dnus. de Lautrecht, profligatum et caesum, neminemque ex eo vivum evasisse, nisi qui captus fuit, et quod Andreas Doria cum aliis, qui mari se commiserunt, conflixisset. Ex quibus IV triremes, II naves magnas onerarias et II galeones cepit, IV triremibus submersis. Hocque novum subinde caesar per unum de camera sua mihi significavit et deinde rmo. dno. epo. Pistoriensi, qui hic fuit orator Pontificis, ut prius etiam ex Caesaraugusta scripsi, factaque erat ex hoc novo hic non parva laetitia. Nihil hic certe minus sperabatur, quam haec victoria, cum paulo ante hic fama venisset, pedites Germanos, qui cum duce Brunsvicensi ingressi fuerant Italiam, ob defectum pecuniarum, quae eis debebantur, rediisse aliquos in Galliam et reliquos in Germaniam. Unde hinc ad praesens caesar aliquos capitaneos cum pecuniis mittit in Italiam estque nescio quis rumor, quod ipse recta collectis suis viribus ingredi vult omnino Galliam, retulitque mihi nuper dnus. episcopus Pistoriensis, qui est nepos cardinalis Sanctorum IV, protectoris regni Mtis. vrae. sermae., quod caesari hic quaedam pacis media proposuisset, inter quae haec fuissent potissima: quod caesar habere deberet Mediolanum, ut habet, et quod ei reddi deberet regnum Neapolitanum cum Genua, quodque rex Christianissimus ei dare deberet duas milliones auri pro liberis redimendis, ut sic pax fieret; caesarem vero respondisse: quoad restitutionem regni Neapolitani, nihil esse dicendum, illud se brevi recuperaturum et se jam in sua potestate habere Genuam, non solumque Genuam et regnum Neapolitanum se recuperaturum, immo etiam Galliae partem, quae est citra Alpes. Hinc non obscure liquet, quid de pace sperare debeamus, quae his duobus principibus viventibus nunquam est futura.

Discessit hinc XXVIII Septbris. praeteriti dnus. epus. Pistoriensis rogavique eum, quia ivit per postas in Galliam, ut mihi a rege Christianissimo salvum conductum impetraret, quo per Franciam terra ire possem, ostendique ei literas, quas ea in re mihi Mtas. vra. serma. misit ad regem Christianissimum. Promisit mihi omnem operam, quo istiusmodi salvus conductus cum primis ad praefectum, qui Bajonnae est in finibus Franciae, perferri possit. Nunquam magis mare timui, quam nunc et hoc inde provenit, quia illius pericula expertus sum saepius maloque omnia extrema in terra perpeti, quam crudis illis fluctibus me credere.

Ista caesaris victoria licet non fuerit cruenta, nihilominus non caruit detrimento, quos enim gladius non tetigit, pestis absorpsit. Mortui sunt Neapoli et in aliis Italiae partibus plurimi boni et praestantes viri, inter quos Mtas. vra. serma. nepotem habuit ex sorore, illmum. olim dnum. Gambertum, marchionem Brandeburgensem juniorem inter fratres natu, optimum juvenem, qui Romae fuit, dum diripiebatur et ibidem eo tempore, ut evasit mortem, contulit se deinde cum aliis Neapolim, ut serviret caesari et hoc illi fuit postremum. Hic bonus princeps illmus. dnus. marchio Joannes Albertus in tribus annis tres fratres in servitio caesaris amisit diversis in locis: primum hic in Hispania, alium in Hungaria et hunc tertium in Italia. Cumque ista scriberem, venit ad me cras iturus Toletum et rogavit maximopere se Mti. vrae. sermae. commendari, non enim abs re, cum jam aliquoties offerens operam suam Mti. vrae. sermae. scripserit, ut ei responderetur; nemo hic est, qui Levicio melius facere poterit et qui libentius rebus sermae. Mtis. vrae. inserviret, quantum in ejus situm est facultate, idque multis et magnis experimentis edoctus sum. Mortui sunt praeterea comes de Egmont et filius dni. de N... cum plerisque

aliis

aliis, in summa nemo illorum vivit, adeo infaustus fuit Minerval vicerex, qui cum eo ex Granata iverunt ex hac curia in Italiam. Sic Deus utramque partem castigat.

Expediturus sum, antequam ex curia abiero, non eas, quas Lalemant viceregi Neapolitano scribi jussit, sed novas pro statu Barensi observatorias privilegiorum et commendatitias a caesare ad principem de Oranges, qui jam in Italia omnem rerum summam est habiturus in sua manu, adeo sibi caesarem in hac victoria devinxit. Interea fortassis vel ex Neapoli aut (a) reginali Mte. literae mihi seu dno. Levicio venient, quomodo in hac Adoha status Barensis stante hoc bello tractatus sit, et qualiter officiales reginalis Mtis. se erga caesarem et hostes gesserint. Venerant huc superiori die post hoc novum de victoria quidam nobiles, missi a principe de Oranges ad caesarem, qui in isto contra Gallos conflictu fuerunt, confirmantes hanc victoriam collocutusque sum cum uno de illis, a quo quaesivi multa de statu Barensi. Inter alia mihi dixit: Scipionem de Summa fuisse in castris Gallorum et quod capitaneus illorum generalis dnus. de Lautrecht mortuus ejus consilio et opera in multis usus fuisset, castrum tamen Barense mansisse in fide caesaris et Mtis. vrae. sermae. seque ab eo plures Neapoli habuisse literas, de quo satis mirari non possum, Colomariam de Summa, castellanum, fratrem Scipionis germanum, castrum tenuisse pro caesare et Scipionem, de quo hic tanta praedicata sunt per Sigismundum Loffredum, defecisse ad hostes, unde sum in magna exspectatione literarum a reginali Mte., quomodo haec habuerint et quid in his fieri velit. Nunquam magis instructiones fuerunt necessariae, quam ad praesens, si forte de crimine laesae Mtis. diluendo foret agendum. — Scripsi Mti. vrae. sermae. ex Caesaraugusta veram historiam una cum literis hinc inde missis ratione duelli inter caesarem et regem Franciae concepti, quam adhuc prosequi non ingratum Mti. vrae. sermae. futurum arbitror. Heraldus caesaris, qui fuit missus cum responso in Galliam, est is, qui Mti. vrae. sermae. superioribus annis cum dno. de Bredam vellus aureum a caesare attulit fuitque diu in finibus Galliae, antequam habito salvo conductu ingredi fuit permissus. Tandem cum jam esset in Gallia, — sicut comes de Nassaw, cum ei valedicerem, mihi recensuit, — sic illi successit. Postquam venisset V miliaria a Lutetia seu Paris voluissetque in eam ingredi sub armis caesaris, ut heraldorum mos est, dictum fuit ei, ne sic vestitus ingrederetur, quandoquidem non posset non a plebe occidi. Qua de re coactus fuit se continere, donec cum quibusdam nobilibus, qui ultra salvum conductum securitatis causa eum conducebant, ingrederetur, cumque sic per aliquot dies fuisset Lutetiae, tandem opera dni. Granmaytre assignatus ei fuit dies audientiae perductusque ad quandam magnam aulam, in qua fuit rex in sede eminentiori collocatus, septus corona multorum suorum ducum et primorum, inter quos fuit etiam sedens cardinalis Salviati. Facta reverentia cum loqui decrevisset, rex prior coepit, dicens: heralde, scis, quid ad me scripsisti et qua conditione te admisi atque quid ferre debeas, habesne campum et campi securitatem? Ille respondit: se habere, acceptisque in manum literis suis patentibus, manu caesaris signatis, voluit eas publice legere, quod rex non admisit, dicens, ut plane diceret ea, quae campum securitatemque ejus concernunt. Ille vero inquit: commissum est mihi, ut ea legam ex his patentibus, in quibus et campus et securitas ejus continentur, — cumque legere vellet, rex proripuit ex sede et abiit. Subsecutus fuit eum dnus. Granmaitre, qui heraldo fecerat audientiam, nescio quid cum rege collocutus, qui tamen deducta manu dixit clare multis audientibus: non posse fieri. Inde heraldus coram omnibus protestatus est, quod rex eum audire noluisset et petens desuper processus publicos rediit ad hospitium, cumque perseveraret, ut ei tales processus darentur, negatum fuit primitus, demum ad improbitatem ejus

ejus datus fuit processus rei gestae contrarius, quem accipere noluit; bene tamen donatus a rege huc septima hujus rediit, et cum postero die in publico caesari relatum facere debuit, tanta se congesserat hominum frequentia ad palatium, quod caesar ea frequentia exclusa solus mansit cum consiliariis. Quid ibidem actum et conclusum, adhuc me praeterit. Hinc patet, quid ex eo duello futurum est. Caesar, ut fertur, vult campum quaerere in Gallia videturque in eo, quod aliquid magni apud se molitur, licet superiori die post hanc victoriam mihi dixerat, se nihil aliud, quam pacem aliquam in orbe christiano universalem, et cupere et cogitare, tamen non video aliud, quam quod ab utraque multa de pace loquimur eamque in ore habemus semper, et longe ab ea diversum in pectore habemus et facimus. Plaga Dei est.

Alia ad praesens non restant. Ego daturus sum omnem operam, ut dno. Levicio bene instructo confectisque his rebus, quae mihi adhuc summe necessariae videntur, ne videar hic oleum et operam perdidisse, redeam Deo bene favente quamprimum, quod cum mihi in votis fuerit semper idque a Deo atque a Mte. vra. serma. efflagitaverim saepius, brevi mora conficietur. Commendo me humillime Mti. vrae. sermae. Deus o. m. eam quam diutissime felicem et incolumem conservet. Dat. ex Madrit XII Octobris. Anno dni. 1528.

Sermae. Mtis. vrae. regiae humillimus servus Joannes Danticus.

Kod. bibl. Ks. Czartor. Nr. 242 (list orygin.).

420. Joannes Dantiscus Bonae, reginae Poloniae.

Serma. reginalis Mtas. et dna., dna. clementissima. Humillimae fidelis meae servitutis commendationem. Congessi in literis meis ad sermam. regiam Mtem. omnia, quae a Caesaraugusta, unde scripsi novissimas, hucusque se obtulerunt. Ex his Mtas. vra. serma. omnia habunde intelliget, in quibus hic versemur angustiis et quae molimina adversus statum Barensem hic fabricantur post victoriam, quam nuper caesariani contra Gallos habuerunt, quae ne succedant, totis viribus inniti nobis oportet.

Quanto me gaudio cum literis sermae. Mtis. vrae. datis Radomiae II Martii venerabilis dnus. Joannes Levicius, cantor Plocensis, affecerit, neque scribi neque dici potest habeoque igitur Mti. vrae. sermae., quas tenuitas mea potest, immortales gratias, quod me tandem ex hoc ergastulo in quinto anno revocare dignata sit, studeboque promereri eam erga me gratiam Mtis. vrae. sermae., quamdiu in me est halitus. Nullum beneficium, nullus episcopatus, nihil denique, quod a Mte. vra. serma. praestari potest, unquam mihi gratius futurum est, quam haec revocatio, unde dedi omnem operam, ut quantocius a Mte. caesarea absolverer. Quod licet jam factum sit, valeque dictum et manus data, tamen ultimum responsum de Adoha et de officialibus sermae. Mtis. vrae., quorum aliqui in hoc bello ad hostes feruntur defecisse, ne in crimen laesae Mtis. cum statu Barensi incideremus, me adhuc licet valde invitum retinuerunt, nollem enim, quod tantae expensae Mtis. vrae. et tot mei labores, quos hic a IV annis et duobus mensibus fidelissime impendi, per nescio quas sycophantias amitterentur. Qua de re, ut scripsi in literis ad Mtem. regiam, adhuc hic, quod re vera mihi durissimum est, cum dno. Levicio aliquamdiu manebo, ut videam, quid sibi ista nova molimina velint, quibus me, quoad ejus a me fieri potest, opponam nihilque praetermittam, ut feci hucusque semper, quod fidelem servum concernit.

Timeo, ne novus iste vicerex princeps de Oranges vestigia praedecessoris sui Minerval sequatur, inductus fortassis per quosdam, qui Mti. vrae. sermae. et statui Barensi adhuc malevolunt, habetque ad hoc in hac curia magistrum satis improbum, Joannem Lalemant, de quo

de quo jam scripsi toties, qui mihi pridie nomine caesaris respondit de Adoha, ut est in literis ad Mtem. regiam, ad quas me refero, vereorque, ne suboleat LX milia ducatorum, quos illma. olim mater Mtis. vrae. in ista Adoha retinuit, et quos Sigismundus Loffredus voluit, ut dnus. Mg. cancellarius a caesare peteret, ut sic cum ista summa et defectione Scipionis de Summa novas Mti. vrae. super statu Barensi ingererent difficultates. Cum haec apud me perpendi, ne istiusmodi technae rebus Mtis. vrae. sermae. incommodarent, non potui pro eo affectu, quem habeo ad servitia Mtis. vrae. sermae., mihi temperare, quin adhuc hic maneam, quo et dnus. Levicius in rebus agendis in hac curia fieret instructior et negotia Mtis. vrae. securiora a me relinquerentur.

Redire ad Mtem. vram. sermam. ex tam gravibus expensis et meos tum demum quantum invisere desidero, testis est mihi Deus, qui et cor et lacrimas meas in eo vidit saepius, sed cum hanc necessitatem, quae rebus Mtis. vrae. incumbit, apud me reputo, omne redeundi desiderium, quantum possum, ad tempus rejicio speroque, quod in paucis diebus opera dni. cancellarii et dni. comitis de Nassaw, quos semper rebus Mtis. vrae sermae. reperi propensos, sycophantias istas retundam et cum aliqua gratia a caesare in Adoha et sine detrimento rerum Mtis. vrae. ratione defectionis Scipionis de Summa brevi ad Mtem. vram. sermam. revertar.

Scripsi in novissimis ex Caesaraugusta, quomodo provisio ex Bario, qua hic vixi, ob haec bella cessaverit, cum Velzeri neminem suorum ibidem habeant, effeci tamen cum eis, quod ad meam fidem ea mihi datur et daturi sunt, quo et servitium Mtis. vrae., quamdiu adhuc hic ero, sustentare et reditum meum maturare possim. Idem feci pro dno. Jo. Levicio, quousque Mtas. vra. aliter provideat, ipse certe XXV ducatis per mensem neque pro simplici sollicitatore hic vivere poterit, de quo, Deo bene favente, brevi coram latius.

A secunda die Martii, cujus sunt novissimae literae Mtis. vrae. sermae., nihil huc scripsit Mtas. vra., cum tamen instructio Mtis. vrae. in his rebus, quae nunc prae manibus sunt, plus sit necessaria, quam prius unquam, spero tamen, quod paulo post literas hic Mtis. vrae. sermae. simus habituri.

Quod reliquum est, cum alia omnia sint in literis ad Mtem. regiam, me suppliciter Mti. vrae. sermae. commendo et rogo, fidelis ac durae meae servitutis aliquando rationem habeat. Datum celerrime ex Madrit, d. XII Octobris 1528.

Sermae. reginalis Mtis. vrae. humillimus servus Joannes Dantiscus.

421. Joannes Dantiscus
Lud. Aliphio cancellario, reginae Bonae.

Kod. bibl. ks. Czartor. nr. 242 (list orygin.)

Mgce. et praestantissime dne. Salutem et commendationem plurimam. Reddidit mihi hic literas Mgciae. vrae. venerabilis Jo. Levicius humanitatis et amoris in me plenas, datas Radomiae II Martii, quibus, cum tempus mihi deficit ad praesens, abundius, Deo bene favente, brevi coram respondebo. Interea quaeso, ut scripsi ad longum in novissimis ex Caesaraugusta, faciat mihi, ubi potest, gratiam reginalis Mtis. auctiorem, ego in hoc meo exitu ex hac curia nihil omissurus sum, quod videbitur rebus Mtis. ejus expedire. Haecque sibi de me certo persuadeat.

Indultum, de quo scribit Mgcia. vra., misi per dnum. Cornelium, oratorem caesaris, aliud duplicatum habet Scipio de Summa et apud me est tertium, quod ipse Mgciae. vrae. sum daturus, ut in Deo meo spero, intra paucos dies. Si quid adhuc hic foret agendum pro Mgcia.

Mgcia. vra, nihil est, quod facerem libentius. De infula et gratia in me reginalis Mtis. et propensione ad augendas fortunas meas Mgciae. vrae. habeo quas possum gratias neque dubito in benevolentia erga me, persuadeat sibi de me vicissim Mgcia. vra., si quid unquam erit, quod ex mea tenuitate praestare possem, me id oppido quam libentissime praestiturum. Infula et spiritualis ista me diu morantur, vereor, ne, cum ad vos applicuero sospes, pro infula pastorali puellarem accipiam. Sed haec omnia in manu Dei sunt.

Quod reliquum est, me ex corde et maximopere Mgciae. vrae. commendo atque rogo, ut consuevit, semper rebus meis faveat, quod omnino factura est Mgcia. vra., cum animum meum coram et affectum liquidius perspexerit. Dat. celerrime ex Madrit XII die mensis Octobris 1528.

Alia, quae hic aguntur, Mgcia. vra. ex meis ad Mtem. regiam et reginalem habunde intelliget, adhuc hic nodi in scirpo quaeruntur et non inveniuntur.

Magnificentiae vrae. deditissimus
Joannes Dantiscus.

Archiwum Wiedeńskie
(list orygin. własnor.)

422. Christ. Szydłowiecki, castell. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Sacra et serenissima Majestas et domine, domine clementissime. Post servitutis meae commendationem. Carolus Cotzer venit ad me huc ad arcem Novae Civitatis cum literi sacrosanctae Majestatis vestrae, quas fidei vocant, quibus lectis intellexi singula. Ago et habeo sacrosanctae Majestati vestrae immortales gratias de tam clementissima ac (ut ajunt) confidenti significatione. Ego etsi postpositis omnibus et pollicitationibus quorundam favi et studui rebus Majestatis vestrae sinceriter certe et ex animo, usque etiam ad nonnullorum suspicionem et indignationem, videns tamen tantam gratiam sacrosanctae Majestatis vestrae, qua me non modice prosecuta est et prosequitur semper. Tantumque mihi credere dignetur, eo propensiore animo illa omnia per Carolum significata curabo et observabo, et cum Carolus ad sacram Majestatem vestram redierit, fusius ad singula per eundem ss. Majestati vestrae significabo. Commendo me rursus ss. Majestati vestrae, quam optime et felicissime valere ac regnare desidero. Datum ex arce Novae Civitatis Korczin, die 14 Octobris anno 1528.

Ejusdem ss. Majestatis humilis servitor.

Cristoforus de S., castellanus et c. Cracoviensis ac r. P. cancellarius manu sua.

Serenissime rex, post scriptas literas significatum est mihi, qualiter quidam Petrus, fortassis Trancinii agens, debuit recognitionem fecisse et in literas redegisse, quod licet illustris dominus dux Casimirus Tessinensis nullos nuntios ac literas ad adversarium Majestatis vestrae mitteret, solitus tamen clam hujusmodi nuntios ac literas ad me mittere, ego vero deberem illa omnia ad adversarium Majestatis vestrae transmittere etc. Invictissime et inclyte rex, si hoc vel Petrus vel Paulus aut quispiam alius dixit vel scripsit, dixit certe et scripsit ad summam injuriam illustrissimi domini ducis Casimiri et meam, et si praesenti mihi diceret quispiam alterius et majoris conditionis homo, quam Petrus ille, aut de me scriberet, audiret idoneum et sufficiens responsum. Dico bona fide, ut virtuosum virum decet, quod talia ab utroque nostrum nunquam facta aut cogitata sint. Verum est, serenissime

nissime rex, quod ego cum illustri domino duce Casimiro a 30 annis vivo amantissime, commeantque inter nos nuntii et epistolae, nihil tamen hic agitur in damnum sacrae Majestatis vestrae et in commodum adversarii.

Supplico igitur sacrae Majestati vestrae, non dignetur credere relationibus et scriptionibus levissimorum ac (salvo sacrae Majestatis vestrae honore et debita veneratione) mendacissimorum, ita enim fieri posset, ut homines nihili, si illis fides habenda esset, prout credo non habebitur, alienarent bonos et fideles servitores a sacra Majestate vestra, domino meo clementissimo, cui ego me iterum (quantum mihi cum honore licet) dedidi ac dedi. Datum, ut in literis, raptissime.

Scripseram proxime domino Zdenkoni Terczka, reverendissimo domino Tridentino, spectabili etiam domino Vilhelmo Truczes etc. ea, quae ad scientiam ss. Majestatis vestrae videbantur pertinere, credo, quod jam nota sunt omnia Majestati vestrae serenissimae. Significavi etiam quaedam eidem Majestati vestrae serenissimae per doctorem Rybysch. Libenter viderem, ut cito perlata essent ad sacram Majestatem vestram, cui iterum atque iterum diligentissime me commendo.

Sacrae et serenissimae Majestati Hungariae et Boëmie etc. ad proprias manus.

423. Sigismundus primus, rex Poloniae, Mauritio, epo. Varmiensi.

Kod. bibl. Zam. (list oryginalny).

Rnde in Chro. pater, sincere nobis dilecte. Propter varias et multiplices Reipublicae necessitates statuimus conventum generalem regni in civitate nostra Varschoviensi pro festo Ss. trium Regum agendum, in quo possemus una cum consiliariis nostris ad occurrendum adversis casibus et turbulentiis, quibus nunc universus ferme orbis concutitur, ordinem debitum et salubrem instituere ac de aliis necessitatibus Reipublicae consulere. Quia vero ea ipsa negotia et necessitates etiam terras istas nostras Prussiae concernere videntur, indiximus etiam conventum earundem terrarum in Marienburg pro feria V post fest. S. Luciae [1]) proxima celebrandum. Hortamur tuam Ptem., ut constituta prius in eodem conventu et de rebus necessariis in eo et in his, quae per nuntium nostrum proponentur, diligenti consilio habito demum ad generalem regni veniat, debitum suum et nobis rem gratam factura. Dat. Vilnae in die S. Galli. Anno Domini M. D. XXVIII.[2])

Commissio regiae Mtis. propria.

424. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny).
Teki Górskiego, nr. 991 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 200.
Kod. Sap. VII, 196.

Serenissime princeps et domine clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem in gratiam Majestatis vestrae serenissimae. Accepi his diebus literas Majestatis vestrae serenissimae, quibus significare mihi dignata est ea, quae mihi referret Carolus Cotzer, civis Cracoviensis, esse ex voluntate et desiderio Majestatis vestrae serenissimae, quibus ego uti par erat honorem et animum obsequentem detuli, ipsumque Carolum narrantem ea, quae acceperat in mandatis, attente et cum summo studio audivi, et ex ejus equidem verbis hanc esse summam voluntatis et desiderii Majestatis vestrae serenissimae

[1]) D. 17. 12. 1528. — [2]) D. 16. 10. 1528.

serenissimae intellexi, ut scilicet ego pro mea in Majestatem vestram observantia agerem cum Majestate domini mei, ne quempiam ex subditis militatum abire ad adversarium Majestatis vestrae patiatur, intelligat siquidem Majestas vestra, plurimos id jam aggredi et parare. In qua quidem re ego parebo Majestatis vestrae voluntati diligenter et dabo operam, ut iterum atque iterum haec hominum audacia et temeritas reprimatur, namque scio superioribus diebus frequenter et severissimis edictis inhibuisse passim omnibus Majestatem domini mei, ne externa subditi illius facerent stipendia, neve alieno mereret quisquam aere. Quod ut deinceps repetatur, ego dabo quantum in me erit diligentissimam et fidam operam, utque illi, qui fuerint praetergressi, impune non evadant. Namque ego plurimum cupio, ut me ad voluntatem et desiderium Majestatis vestrae serenissimae accomodem non in hac re solum, sed in ceteris quoque omnibus, quas mihi demandare et committere dignaretur. Quam ego plurimum rogo, ut id sibi de me et studiis meis confidenter dignetur persuadere et me servitutemque meam habere apud se commendatam. Quam ego quidem vestram Majestatem serenissimam opto esse felicissimam et diutissime cum liberis et serenissima sua conjuge incolumem. Datum Cracoviae die XVIII Octobris anno domini M. D. XXVIII.

Ejusdem sacratissimae Majestatis vestrae humilis servitor et capellanus Petrus, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny).

425. Christoph. Szydłowiecki, castell. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Sacra et serenissima Majestas et domine, domine clementissime. Post perpetuae servitutis commendationem. Non multo ante acceperam literas sacrosanctae Majestatis vestrae de memorabili et gloriosa victoria sacratissimae caesareae et catholicae Majestatis de Gallis apud Neapolim parta et relata, egique gratias domino Deo, quod Majestates vestras pro earum justitia et nos servitores Majestatum vestrarum fideles hoc nomine consolari dignatus est, im praesentiarum vero ex literis ejusdem sacrosanctae Majestatis vestrae, datis Viennae quinta praesentis, et copiis illis injectis hanc ipsam victoriam fusius accepi, agoque et habeo sacrae Majestati vestrae gratias, quantum possum maximas, quod dignetur tam jucundissimorum novorum me servitorem suum participem facere. Precor dominum Deum, omnium bonorum et victoriarum largitorem, ut similia nova saepe accipiamus et ex illis Majestati vestrae serenissimae et sacratissimae caesareae Celsitudini gratulemur. Futurum enim est, quod hoc modo potissimum bene consuletur communi tranquillitati rei christianae, quae nonnisi in manibus Majestatum vestrarum ab impetu hostium vindicari poterit. Literas autem serenissimis dominis meis inscriptas sine mora mittendas curabo. Commendo me rursus et perpetua servitia mea sacrae Majestati vestrae quam optime ac felicissime valere et regnare desidero. Datum ex arce Novae Civitatis Corczin, vigesima prima Octobris, anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.

Ejusdem sacrae Majestatis vestrae humilis servitor Cristoforus de S., castellanus et c. Cracoviensis ac r. P. cancellarius, manu sua.

426. Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1. fol. 65b).

Post fidelem et officiosam observantiae servitiorum, et fidei meae exhibitionem. Sacratissime rex et domine, domine clementissime.

A cognitione sacrae regiae Majestatis vrae. alienum non est id, quod superioribus mensibus de quodam consule et cive Elbingensi, Bartholomaeo Vogt dicto, sacrae regiae Mti. v. scripseram. Quoniam is homo mali exempli, Lutheranae haereseos studiosus, toti Elbingensi civitati offendiculum praebuerit, animorum dissidia cum in plebe tum in senatu plurima severit, constitutiones sacrae regiae Majestatis v. per se juratas praevaricatus fuerit, contemptor Dei et hominum neque confessionem fecerit neque dominico corpori communicaverit, compluraque alia contra veterem ecclesiae observantiam fecerit, quemadmodum et hodie facere non cessat, visum mihi tunc erat ad retundendam hominis pervicaciam a justitia non abhorrere, si ad praesentiam s. Mtis. v. personaliter evocatus fidei ac vitae suae rationem redderet, et ubi christianae religionis desertor ac. s. r. Mtis. vrae. constitutionum praevaricator convictus fuisset, per s. Mtem. v. regiam severiter in ipsum juxta constitutionis regiae tenorem animadverteretur, ita ut unus omnibus aliis justae severitatis et salutaris disciplinae exemplum foret. At quoniam tum magis s. r. Majestati vrae. probatum iri videbam, ut aut coram me ordinario suo comparens de haeresi responderet aut ad evangelistas suos Elbingo relicto transmigraret, juxta sententiam s. r. Mtis. vrae. ad certum terminum coram me comparendi ipsi Bartholomaeo Vogt diem dixi In quo ut comparuit, articulos illi haereseos suae praelegi feci atque ut illis responderet admonui. Sed ut est homo praefractae frontis et haeretica perversitate obstinatus, omnia praelecta, paternam praeterea admonitionem meam contemptui habens, Lutheranorumque more risu excipiens, nihil nisi quod merum Lutheranismum sapiebat, respondit, abiensque alteram partem propositionis a sacra Majestate v. illi propositae deligens, Elbingo posthabito, in Konigesberg ditionis illustris domini in Prussia ducis commigravit, liberisque domi suae in Elbingo remanentibus. Quo fit, ut frequenter Elbingum revisat, ecclesias ingrediatur, Lutheranae farinae homines tum privatis conventiculis tum publicis confulationibus colligat, haeresim suam praedicet et disputet, socios, ut fortiter Lutheri evangelium teneant in eoque perdurent, commonefaciat, et ita civium animos alioqui satis pacatos et tranquillos scindat, seditione turbet et inquietiores reddat. Tantum quippe odiorum ignem ac animorum acerbitatem in senatu Elbingensi excitavit, ut haud facile fuerit exstingui ac tranquillari et nisi in tempore huic pesti per sacram Mtem. vram. succursum fuerit, maximopere verendum, ne homines parum evangelici et vix semel auctoritate sacrae regiae Mtis. v. compressi in pristinam tumultuandi et religionis vastandae recidant licentiam. Mihi itaque necessarium visum est, ut hic Bartholomaeus Vogt, publicae tranquillitatis turbator, penitus et in totum ab Elbingo perpetuo proscribatur. Id quod ubi per sacram Majestatem v. factum fuerit, (ut autem fiat, fideliter consulo) bonis civibus in pace et unitate stare volentibus optime consulet, malis vero, ne tam licenter et impune rem publicam inquietare et religionis christianae metas transgredi audeant, terrorem incutiet sacra Mtas. v. salvo tamen ejusdem s. Mtis. v. in his omnibus excelso consilio. Ceterum magistratus et quidam cives Elbingenses conniventibus oculis et sub ignorantiae praetextu eos sacerdotes et monachos apostatas, quos ego una cum ceteris s. Mtis. vrae. consiliariis et commissariis, ad id muneris obeundum in Elbingum missis, ob religionis vastationem

tionem, rei publicae turbationem ac cetera sua flagitia proscripseramus, permittunt civitatem ingredi, in ea versari, symposia instruere, secreta conventicula cogere, in quibus Lutheranismum suum, et nescio quid aliud (ut autem conjectari licet, nihil boni) ipsos tractare aequo animo ferunt. Idque totum in magnam sacrae regiae Mtis. v. ac commissariorum ejus et ab ipsis nomine Mtis. vrae. sancitorum levipensionem fieri, certo certius est. Unde s. Mtem. v. regiam iterum atque iterum devotissime precor, quatenus (quoniam ego nihil possum et ecclesiastica censura apud eos ludibrio habetur) his principiis obstare non differat, sed severis et acribus mandatis ad Elbingensem magistratum datis inhibeat, ne de cetero ad talia conniveant, sed constitutionibus s. Mtis. v. diligentiorem rationem habeant, rem suam publicam inquietare ac christianam religionem temerare non permittant, de hujusmodi apostatarum congressibus serio inquirant et in ipsos vigore constitutionum Mtis. vrae. severius animadvertant, ne deterius quid illis contingat. Haec, serme. rex, pro mea fide et observantia in s. r. Mtem. v. communis pacis et religionis zelo ductus, non scribere non potui, ne si posthac (quod tamen Deus avertat) vel adversi quid, vel insperati emergeret, meae incogitantiae possit impingi per s. r. Mtem. v. Quam deus Opt. Max. pro nostra omnium pace et salute ac totius sui incliti regni felici incremento diu salvam ac bene florentem conservare dignetur, idque in plurimos annos, sedulo precor. Ex arce Heilsberg feria quarta vigesima prima Octobris. Anno 1528.

Teki Górskiego, nr. 993 (list orygin. z własnoręcznym podpisem).
Kod. Karnk. X, 219.
Kod. Sap. VII, 221.

427. Joannes, rex Ungariae. P. Tomicio, epo. vicecancellario.

Joannes, Dei gratia rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. nec non marchio Moraviae ac Lusatiae et utriusque Slesiae dux etc. Reverendissimo in Christo patri domino Petro de Thomycze, episcopo Cracoviensi ac regni Poloniae vicecancellario, amico nostro charissimo salutem et felicitatem. Reverendissime in Christo pater, amice noster charissime. Scripseramus his diebus ad dnos. Bohemos, Moravos, Slesitas ac Luzatianos, offerentes nos pro pace eis ab imperatore Turcarum, si vellent, impetranda, admonentes eos id, quod res se habet, difficillimum esse et quasi impossibile, rebus praesertim christianis ita turbatis, armis cum eo contendere. A quibus quidem nullum habuimus responsum, id tamen ex eo credimus evenisse, quod tyrannide adversarii nostri oppressi, ne respondere quidem ad literas nostras sint ausi. Nos nihilominus egeramus apud imperatorem pro hoc habuimusque illius optatum responsum, sicut vra. Dtio. ex hoc articulo ex literis a continuo oratore nostro apud imperatorem, non parvae autoritatis homine, ad nos missis de verbo ad verbum excerpto intelliget. Articulus est in haec verba:

> Feci intelligere praefatum mgcum. Bassam, si contentaretur caesarea Mtas., quod tractaretur pax cum Bohemis, Slesitis, Moravis et Luzatianis tanquam cum subditis vrae. sermae. Mtis., a quo mihi est responsum, ut debeam scribere vrae. Mti. certificando vram. sermam. Mtem., quod omnes illi, qui erunt subditi vel amici illius, erunt similiter caesareae Mtis. Ideo quo ad hoc vra. Mtas. dirigat rem, sicut melius videbitur.

Ex quo Dtio. vra. intelligere potest, eis paratam esse pacem cum imperatore, de quo nos eos admonebimus; duximus tamen hoc vrae. Dtioni. etiam perscribendum, testatum facere volentes apud vram. Dtionem., nos nihil obmittere, quod non solum ad regni nostri Hungariae

gariae, sed etiam ad aliarum provinciarum tam potenti principi vicinarum salutem pertineat. Si hoc beneficio nostro uti et rebus suis in tempore prospicere neglexerint, si quid damni inde in futurum patiantur, non erit nostra culpa. Vram. Dtionem. bene ac feliciter valere optamus, cui nos uti amico charissimo plurimum commendamus. Ex oppido Sthryso in festo Sanctarum XI milium Virginum. Anno dni. millesimo quingentesimo vigesimo octavo, regnorum vero nostrorum anno secundo.[1])

Joannes Rex manu propia.

Reverendissimo in Christo patri domino Petro de Thomycze, episcopo Cracoviensi ac regni Poloniae vicecancellario etc. amico nostro charissimo.

428. Steph. Brodericus, epus. Sirmiensis, Andreae Tęczyński, palatino Cracoviensi, Belzensi, Chelmen., Ratnen., Crasnostavensi capitaneo.

Teki Górskiego, nr. 992 (list oryginalny). Kod. Karnk. X, 220. Kod. Sap. VII, 220.

Mgce. dne., dne. mihi observandissime. Salutem et servitiorum meorum commendationem. Nihil mihi ab eo tempore, quo in Polonia sum, acerbius accidit, quam quod negata sit mihi, nescio quo meo malo fato, contrahendae cum vra. Mgcia. majoris notitiae occasio. Cujus rei consequendae licet fuerim et Petrkoviae et postea cupidissimus, tamen compos esse non potui. Quod nunc est negatum, fortasse adhuc dabitur. Interim rogo Dtionem. vram. mgcam., dignetur me in numerum aliorum suorum reponere et obsequiis meis, quae illi cupio esse dicata, pro omni animi sui libito uti.

Nova non sunt alia, nisi quae Dtionem. vram. jam intellexisse arbitror: primum de Andrea Bathory apud Bathor, postea de Stephano Rheway, generali regis Bohemiae capitaneo, apud Patak per nostros profligato. Novissime Petrus Pereny cum Valentino Therek a Rascianis nostris foede discedere sunt coacti, ille in Soklyos, hic Budam. Nos recta in regnum Ungariae intramus. Intelligimus, regem Bohemiae indixisse dietam Posonium pro festo Sancti Martini, sed quomodo nunc habent se negotia, nisi Deus velit facere miraculum aliquod a multis saeculis inauditum, frustra omnia cadent, quaecunque ille molitur. Vrae. Mgciae. servitia mea plurimum commendo et rmus. dnus. meus Colocensis commendat. Et eam cupimus optime valere. Ex Stryso, 22 Octobris. Anno dni. 1528.

V. Mciae. servitor deditissimus S. Brodericus Sirmiensis sst.

Magnifico domino Andreae Thenchenczky, palatino Cracoviensi, domino mihi observandissimo.

429. Sigismundus primus, rex Poloniae, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae.

Archiwum Wiedeńskie (list oryginalny z własnor. podpisem).

Serenissimo principi domino Ferdinando, dei gratia Hungariae et Bohemiae etc. regi, infanti Hispaniarum, archiduci Austriae, duci Burgundiae, Brabantiae, comiti Flandriae, Tirolis etc. et imperii locum tenenti generali, fratri et consanguineo nostro charissimo. Sigismundus, eadem gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviaeque etc. dominus et heres, salutem et mutui amoris continuum incrementum. Serenissime princeps

) D. 21. 10. 1528.

princeps, domine frater et consanguinee noster charissime. Accepimus nuper una cum literis Majestatis vestrae exemplum literarum, quibus palatinus Siradiensis subditis regni Hungariae *et Mtis. v.*[1]) inimicitias et hostilitatem iterum denuntiavit, quod factum ejus, ut et alia, vehementer nobis displicet improbaturque, quid tamen de *eodem* constituere debeamus, in praesentiarum nos nihil ejusmodi occurrit, propterea quod et nos ipsi nunc a regno nostro Poloniae longe absumus *et quibus* locis palatinus ipse nunc agat, quicquam certi sive explorati habeamus, et consanguinei ejus negant hoc factum illius, sed ab alio clanculum subministratum dicunt. Indiximus subditis nostris regni Poloniae conventum ad Trium regum festum, ad quem (si deus volet) ipsi quoque venturi sumus. Quo cum pervenerimus senatumque super ea re consuluerimus, faciemus illud, quod digne facere debemus. — De victoria gentium caesareae Majestatis ex Gallis in Italia habita, de qua nobis etiam Majestas vestra significavit, tametsi nobis jucundum fuit intelligere, multo tamen jucundius esset, si a deo immortali precibus nostris impetrari posset, ut pacatis cristianorum principum animis inimicitiisque depositis ferrum et vires, quae in visceribus cristianis grassantur, in resistendo furori et insaniae hostium fidei nostrae exercerentur, quam ad rem ut ambas Majestates vestras summus deus excitet easque felices et incolumes quam diutissime servet et tueatur, optamus nosque fraterno amori Majestatis vestrae commendamus. Datum in civitate nostra Vilnensi, feria sexta ante festum Simonis Judae proxima, anno domini M. D. XVIII.[2])

Sigismundus rex ss.

Archiwum Wiedeńskie (list orygin. z własnor. podpisem).

430. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Bernardo, episcopo Tridentino.

Reverendissime in Christo pater et domine, frater et amice honorande. Doctor Mayses Judaeus, qui has literas reddet Dominationi vestrae reverendissimae, indiget serenissimi regis Ferdinandi publicae fidei literis, ut per dominia suae Majestatis tuto in Germaniam et Italiam ire et inde redire possit, in quibus obtinendis, ut illum adjuvet reverendissima Dominatio vestra, majorem in modum illam rogo. Est enim hic Judaeus gratus Majestatis domini mei subditus et de me etiam in multis benemereri solet, quod ego officium Dominationi vestrae reverendissimae mutuis benivolentiae officiis et fraterna gratificatione per occasionem referre curabo, felicissimamque esse Dominationem vestram reverendissimam et optime incolumem vehementer desidero ae eidem me ex animo commendo. Datum Cracoviae vigesima tertia die Octobris anno domini M. D. XXVIII.

Vestrae reverendissimae Dominationis Petrus, episcopus Cracoviensis et vicecancellarius, scripsit.

Reverendissimo in Christo patri et domino, domino Bernardo, Dei gratia episcopo Tridentino et serenissimi principis et domini domini Ferdinandi, Hungariae et Bohemiae etc. regis, supremo cancellario, fratri et amico honorando.

[1]) Wyrazy kursywą drukowane są uzupełnione, w tych miejscach bowiem oryginał uszkodzony. — [2]) D. 23. 10. 1528

431. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 994 (list oryginalny).
Kod. Karnk. X. 235.
Kod. Sap. VII, 215.
Kod. Kórnicki pism Krzyckiego, nr. 192.

Rme. in Christo pater et dne. mi colendissime. Mitto hunc puerum meum ad invisendam Dtionem. vram. rmam., quam plurimum rogo, ut de suo statu et valetudine me certiorem facere dignetur, perferuntur enim hic rumores non satis boni cum de pestilentia Cracoviae et circumcirca invalescente, tum etiam quiddam de veneficii suspicione, quae omnia me non parum multum conturbant. Ceterum quia significatum est mihi ex aula regia, conventum generalem futurum Warsoviae, jubere dignetur vra. rma. Dtio., quid hic pro se ordinari velit, non secus quam in bonis propriis. Nobilem istum,[1]) cui olim dnus. Zamboczki poenitentiarius locaverat proventus canonicatus sui Plocensis,[2]) neque inveniri neque resciri a me potest; opus est, ut executores nomen ejus mihi perscribant, in qua re impendam libens omnem meam operam et diligentiam. De anno gratiae admonebo etiam modernum possessorem, cum primum illum videro, sed fortasse excusabit se lite, quam habet pro ipsa praebenda cum Gąthkowski. Est autem is frater germanus domini Adriani, capitanei Warschoviensis, homo cordatus et litigator non ignarus, cui ego praebendam ipsam de consilio juris peritorum meorum contuli, quando prope biennium vacavit et nemo hactenus cum jure suo circa ecclesiam meam comparuit et dicebatur illam Germanus quidam post defunctum dominum Zamboczki impetrasse et post cladem Romanam in reditu ad patriam obiisse, neque hactenus aliquid aliud comperti habemus, nisi quod dnus. scholasticus Cracoviensis mihi scripsit, Gąthkowski jus illius apud Schucz acquisivisse. Qui cum sit servitor vrae. rmae. Dtionis., faverem ei ego hoc sacerdotium libens; sed profecto habebit magnas difficultates, antequam litibus illud evolvat, nam et adversarius ejus quaedam jam pridem apud sedem apostolicam pro roborando jure suo obtinuit; verum induxi eum ad hoc, ut simpliciter traderet hanc causam suam in manus Dtionis. vrae. rmae., ut illa vel inter eos componere, vel juste decernere dignareutr, alioqui jam ad Urbem accinctus erat. Dignabitur itaque mihi vra. rma. Dtio. animum suum in hac re declarare. Ceterum rogo plurimum eandem rmam. Dtionem. vram., ut, si quid de rebus Ungaricis et aliis novi habeat, mihi impartiri dignetur. Cujus bonae gratiae me etiam atque etiam humiliter commendo. Ex oppido meo Vishkow die XXIII Octobris. Anno MDXXVIII.

Stor. Eps. Plocensis.

Ego hodie hinc in Zlothoriam proficiscor, quo iterum ad me venire vult mgcus. dnus. thezaurarius regni et fortasse dnus. epus. Luceoriensis. Erit Varschoviae multarum rerum et praesertim feni maxima penuria, cujus et ego in plerisque bonis meis et multi alii ne stipulam quidem habent ex illa praeterita inundatione.

432. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Kod. Karnk. X, 236.
Kod. Wojcz. nr. 258.

Rme. mi domine. Exuitur officio capitaneali dnus. Nicolaus Nisczicki, capitaneus Plocensis, per dnum. Felicem Srzenski, castellanum Dobrinensem, qui proficiscens ad reginalem Mtem. petiit a me commendari, quod homini utcunque erga me bene merito denegavi, ut tum ejus

[1]) Tak w oryginale i w kodeksach, zam. Nobilis iste. — [2]) Na marginesie listu w Tekach zanotował Górski: De canonicatu Golinski.

tum ejus literae, quas ob hoc mitto, tum dnus. Choienski, cui contrarium scripsi, et ipsamet reginalis Mtas. testimonio esse possunt. Haec ideo scribo, quia nonnulli ex servitoribus rmae. Dtionis. vrae. dixerunt alicubi, me illam offendere inimicitia cum ipso dno. capitaneo, quasi, quum illa fuit, non ille causam praebuerit, non habita ratione vrae. rmae. Dtionis. Propterea ego veritus, ne vel illa suspicetur, vel aliquis persuadeat aliquid operae meae in hoc negotio intercessisse, supplico, dignetur hanc fidem mihi praestare: me prorsus immunem esse. De quo latius coram.

Teki Górskiego nr. 995 (list oryginalny). Kod. Karnk. X, 238. Kod. Sap. VII, 235. Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 193.

433. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Rme. in Christo pater et dne. mi colendissime. Hactenus me quantum potui compressi, ne quid eorum, quae inter me et dnum.[1]) capitaneum Plocensem eveniebant, vrae. rmae. Dtioni. declararem, partim quod sciebam, eum esse illi apprime dilectum, partim etiam, quod ille quotiescunque animadvertebat me re quapiam offensum, semper blanditiis et commendationibus suis me demulcebat, ut homo sum vincibilior uno blando verbulo etiam falso, quam universis machinis et terroribus. Nunc eo res processit, ut facere nequaquam possim, quin vrae. rmae. Dtioni. rationes utriusque nostrum detegam obturemque aures ad literas ejus, quas continue mihi scribit blandiores, ne quid aliud addam, quam cantus est Syrenarum.

Primum autem, mi rme. dne., non ignorat ipsa magna ex parte: quanto conatu dnum. capitaneum et domum ejus demerere mihi studui, qua sedulitate illis in causa contra dominam Sieprska astiti, ut bona mea Gorzno cum magno meo dispendio et subditorum fletu hactenus ab illo non abstuli, in decimis et numusculis plus conjugi et necessariis ejus dedi, quam omnibus hic aliis; verum jam pridem duae intercesserunt causae, quibus ab illo avelli fortasse, etsi nollem, cogar, una privata altera publica, in his tamen uti volo consilio et praecepto rmae. Dtionis. vrae. et proinde res omnes, uti sunt, in sinum ejus fidelissime deponam et quam brevissime potero perstringam. A causa privata ordiar.

Quum antecessor meus Raphaël[2]) aliquamdiu nec vivus erat nec mortuus, frater ejus dnus. Joannes[3]) multa ex decimis et agris episcopalibus partim donavit partim vendidit oblato quopiam lucello. Ejus rei consultorem et praedae participem habuit dnum.[4]) capitaneum. Quas concessiones suas quum a capitulo confirmari petebant quasdam in vita, nonnullas etiam post decessum episcopi summo conatu et largitione, et capitulum eo flecti non potuisset, in scholasticum primum et Dzirgowski[5]), demum in multos alios, qui integro animo mihi et ecclesiae prospiciebant, magnae irae succensae et tragulae intentae. Accessit oeconomia nomine regio, vigore cujus scholasticus intrepido animo et decimas et bona tyrannice occupata evicit, multorumque, sed potissimum dni. capitanei odium in se derivavit. Accesserunt novissime bona Kiyniki, quae in hoc dudum captabantur a domino capitaneo[6]) per viam exemptionis,[7]) ut a me pro illis et bona mea Gorzno ad vitam et villam

[1]) W kod. Karnk. dnum. Nisczicium; w kod. Sap. i w kod. Kórn. Krzyck. dopisał Górski: Nicolaus Nisczicki. — [2]) W kod. Karnk.: Raphaël de Lesszno, epus. Plocensis. — [3]) W kod. Karnk. Joannes Lesczinski. — [4]) W kod. Karnk. dopisał Górski: Nisscicium. — [5]) W kod. Kórn. pism Krzyckiego: et Dzirgowski canonicum. — [6]) W kod. Karnk.: per ipsum dominum capitaneum. — [7]) W kod. Karnk. i Kórnickim: redemptionis.

villam quandam aliam per commutationem extorqueret, nam ipsa bona Kiyniki ita subjacent oppido meo Raciąssz, ut nullo modo absque illis consistere posset, ubi eorum possessor vellet: quae dnus.[1]) Dobrinensis emit ab heredibus feminis, quae solae supersunt, ut de illis mihi gratificaretur, uti gratificatur libenter in omnibus, et villam quandam per commutationem a me obtineret. De quo lis pendet in conventum[2]) talis in omnibus et per omnia, ut fuit filiarum dominae Sieprska, unde etiam in scholasticum omnis redundavit suspicio.

Siluit res aliquandiu mutua simultate, donec ad mensam ex sermonibus quibusdam in contentionem venientes dnus. capitaneus nulla habita mei et ordinis ecclesiastici reverentia magno contemptu et probris inhonestissimis scolasticum incessivit. Ego, qui alioqui tum summo moerore affectus eram ex allata fama primum de conclamata valetudine vrae. rmae. Dtionis., deinde de miserabili interitu nepotis mei in Lithuania, multum etiam diuque illum precatus, ut a conviciis abstineret, tandem, ut furor esse solet, laesa saepius patientia, illum acerrime verbis coërcui non tamen sine applausu magno totius civitatis et omnium ordinum ejus terrae. Quod magis ussit hominem, quam ipsa mea cum illo velitatio. Qui quidem applausus dum undique in dies magis personaret, concurrentibus ad me quotidie cum magnis gratiarum actionibus non solum alienis, sed etiam necessariis et gentilibus ejus compluribus, impulit illum partim conscientia partim etiam amicorum consilium, ut reconciliandi mei causa ad me veniret. Quo facto reditum fuit inter nos in concordiam abrasa et abolita omnis iracundiae nota, mansit nihilominus in scolasticum et Dzirgowski fomes inimicitiae non exstinctus.

Orta est interim lis inter ipsum scolasticum et dnum. Joannem Lesczynski super praepositura S. Michaëlis Plocensi, quam privigno suo Sokolowski ordinaverat sub quibusdam conditionibus, quas sibi non servari scolasticus querebatur. Ego plus sex menses producebam rem, ut interim componere inter se potuissent; ubi urgente scolastico amplius producere non potuissem, advocato capitulo et jurisperitis omnibus cognitoque, quod Sokolowski praeposituram obtinebat nulla provisione vel titulo, sed ex solo contractu, cui nec accessit approbatio Sedis apostolicae neque est ex utraque parte satisfactum, ipsum contractum rescidi et scolasticus ad bona praepositurae, cujus possessor jure et titulo esse non desierat, rediit. Appellatum fuit per nuntium dni. Joannes Lesczynski ad dnum. archiepiscopum; responsum a me pro apostolis tantum, fecisse me id, quod juris fuit, et functum me officio meo. Unde constare non posset, admiserimne an refutaverim appellationem ipsam. Interim dnus. Joannes[3]) scribit in me literas famosas ad plerosque hujus terrae, orat dnum. capitaneum, ut bona praepositurae e manibus scolastici vindicet. Consulit me capitaneus ipse, quid faceret; ego sedulo dehortor, quod res agatur jure et ad officium ejus minime pertineret. Discedo interim Pultoviam. Venit ad me visendum dnus.[4]) thesaurarius regni, epulamur et convivamur triduo suavissime. Supervenit nuntius, Sieprski,[5]) succamerarium Plocensem, instinctu et cum familia dni. capitanei possessionem praepositurae vi occupasse, fruges et omnia abduxisse. Tulit indigno animo cum dnus. thesaurarius tum et multi insignes, qui tum affuerunt, certatimque ad tuendum scolasticum unusquisque cum capitaneo meo Poltoviensi sese accingebat. Ego, ne quid fieret per tumultum,

continui

[1]) W kod. Kórn.: Felix Srzenski castellanus. — [2]) W kod. Karnk.: in conventum regni. — [3]) Kod. Karnk.: Joannes Lesczinski. — [4]) W kod. Karnk.: Szidlovicius. — [5]) W kod. Karnk.: do. Andream Sieprski. W kod. Kórn.: succamerarium Andream Golczewski. W kod. Sap. było pierwotnie: succamerarium Sieprski, co Górski zmienił na: Andream Golczewski, succamerarium Plocensem.

contiuni meos, solum a dno. castellano Dobrinensi postulavi, qui tum etiam aderat, ut non deesset praelato et servitori meo, ubi res exigeret. Idem postulavit et dnus. thesaurarius. Dnus. Dobrinensis domum rediens, bona praepositurae accessit, famulos succamerarii abegit colonisque, ne cui praeter scolasticum obedirent et illi soli de censu responderent, praecepit.

Observabat succamerarius, quando iterum dnus. Dobrinensis illuc rediret; accepto documento de illius adventu, vires omnes quas potest conflat, sed potissimum ex familia dni. capitanei, insequitur Dobrinensem commodum abeuntem. Aderat illi forte fortuna meus Vosniczki, quem mihi Dtio. vra. rma. applicaverat, juvenis oleo tranquillior; mittit eum ad succamerarium quaesitum, an se insequeretur et quid secum rei haberet? Ille nullo dato responso, hastam in nuntium innocentem torquet, ac: ut mactetur, quod episcopalis esset, cum multis in me conviciis conclamat. Vulneratur, ut intellexi, letaliter Wozniczki.

Postridie Dobrinensis cohortem ingentem e vestigio comparat, ad bona illa redit, censum a colonis recipit et in succamerarium diram vindictam parat. Res ad me fama sola et quidem serius perfertur. Audio filium palatini Mazowiae et multos alios tendere in subsidium Dobrinensi et Vosnicio. Rursus quos possum dehortor et contineo. Mitto nocte intempesta celerrimum nuntium ad suffraganeum meum, ut Dobrinensem citra moram accedat, illum verbis meis sistat, tamdiu saltem, donec mutuo consulamus, quid facto opus sit; quandoquidem contumelia mihi facta et injuria servitoris mei reddat causam meam cum ejus communem et conjunctam. Quid facturus sit, adhuc nescio, licet ambae partes scribant, se velle obtemperare voluntati meae.

Appenditur paulo ante scheda famosissima in Poltowsko nomine A. B. C. in scolasticum[1]) et capitaneum Poltoviensem,[2]) mihi etiam comminando, si utrumque longius in arce mea servarem et eorum adulteria tolerarem. Quae improbitas me valde et dnum. thesaurarium exacerbavit. Subornatus erat et ante declamator primi nominis, qui me secreto de hoc ipso adulterio admoneret. Respondi homini: me hactenus adulterium ullum apud me neque scire neque considerare manente viro bono cum uxore sua, et neque illo neque fratribus et amicis utriusque aliquid considerantibus aut querentibus; audire me quidem multos multa loqui, sed loqui de multis, et si omnes excludere et vitare deberem, de quibus hujusmodi rumores ad me perferuntur, et illum maxime me vitare oporteret ob famam constupratae ab eo virginis sacrae. Adulterium lege divina accusari non posse, nisi deprehensum; sed etsi deprehensam vetuit Dominus lapidari nisi ab his, qui immunes essent a peccato; me conscium humanitatis meae et nemine vel deprehendente vel accusante non posse neque velle aliquem temere judicare, servosque meos insignes nihil de me mali meritos nulloque unquam crimine notatos nolle me pati ullo pacto abigi a me istis technis in hostium et obtrectatorum gratiam et eorum ignominiam, quam eos subire oporteret. Subornatus deinde et alius ex collegio fratrum meorum, sanctulus quispiam:[3]) eadem illi respondi et quae fama esset de illo quoque et de productis ab eo duobus pueris in thoro alieno, me scire exposui. Uterque rubore perfusus posthac ne mutivit quidem. Et profecto, mi rme. domine, res est toleratu indigna. Mansit in ea arce Raphaël, episcopus, cum publica concubina et grege muliercularum et amasiorum. Tot erant concubitus, quot congressus. Tacitum et dissimulatum est. Toleravit dnus. Lubranski epus.

[1]) W kod. Kórn. dopisek Górskiego: Petrum Gamratum. — [2]) W kod. Kórn. dopisek Górskiego: Nicolaum Dzirgowski, cujus uxorem amabat Petrus Gamratus scholasticus. — [3]) W kod. Kórn. dopisał Górski na marginesie: Petrus Brolis.. (reszta nazwiska obcięta przy oprawie: ? Broliski.)

epus. Posnaniensis, publicam et transfugam adulteram passim sese omnibus prostituentem in praefectura bonorum suorum citra notam ignominiae suae, et isti exigunt a me, ut ad quorumlibet suspicionem modo excludam, modo revocem quoslibet; neque Joannes non bibens vinum nec panem comedens neque Christus bibens et comedens et cum mulierculis convescens, ut ait scriptura, obtrectationes vitare potuerunt; tantum abest, ut nos infirmitate nostra circumdati occasionem obloquentibus subtrahere possimus. Sed haec et alia multa eorsum fiunt, ut servitores mei, qui, ut hactenus novi, integerrima fide mihi servire et de damnis meis admonere me solent, avelli a me possent. Ita est mos hujus gentis, ita apud duces, ut quisque magis gratia valuit, ita maxime odiis et obtrectationibus exponebatur. Idem etiam utinam non fiat apud nos.

Venio ad causam publicam. Quando eram in Ploczko, nullus dies praeteriit, quo non aliquis vel nobilium vel plebejorum venisset ad me, lamentatum sive de injuria sive de raptu sive de aliquo alio. Excusavi, non esse muneris mei officiales regios dirigere et coërcere, haberent communem dominum, cujus correctioni talia subessent. Audiebam rursus, in hoc esse primarium senatorem terrae atque adeo pastorem et pontificem, ut publica crimina et excessus corriperet pro communi bono et oppressorum injuriae sese opponeret. Fecisse hoc illos, qui vere episcopi fuerunt, etiam adversus reges et principes. Objiciebatur mihi, me videre plane, ut quidam non magistratum sed venatum gerant, ut quando oboleat vel marsupium, vel equus, vel quippiam tale apud aliquem, qui tueri se non posset, praesertim apud sacrificos, eatur quaesitum sal, aut moneta Swidnicensis, reperiatur etiam si non fuerit, damnetur et deglubatur innocens et id genus sexcenta. Monebar, ut vel saltem vrae. rmae. Dtioni. hoc declararem, quasi illa patrocinio suo horum malorum esset causa, id quod etiam multorum literis et testimonio comprobare possum. Comminatum est mihi a plerisque, nisi me eum praestarem, quem publica omnium vox exigeret, me et meam existimationem nullius apud omnes pensi futuram. Ego tamen interea neque Mti. regiae aut reginali, ut mihi utraque testis est locupletissima, neque vestrae rmae. Dtioni. quicquam scripsi, admonebam tantum quae potui salva amicitia, et puditum est facere me praesente multa. Unde abeuntem me e Ploczko ingens communis dolor et fletus est prosecutus, prosecutae illae voces sacrorum Martinalium: cur nos pater deseris? aut cui nos desolatos relinquis? ut et mihi ipsi lacrimas exciverint. Video passim omnes hoc meditari, id agere, uti se ab his Verribus vindicent, qui et suis necessariis et in commune omnibus praeter paucos similes sunt invisi.

Nunc tam in privata quam etiam publica causa consilium imploro vrae. rmae. Dtionis., quae secundum Deum est mihi instar numinis. In privata causa non consulet, opinor, deesse servitoribus meis tam indigne caesis et contumeliis affectis et qui haec omnia odia et adversitates mea causa sustinent innocenter, quas tamen ipsi sine me et repellerent statim facile et par pari abunde referrent, nisi ego continerem.

De publica causa et seditionibus, quae hic vigent, non est opus, ut me admoneat: demerendos esse mihi magistratus et officiales regios, factionibus non me immiscendum; communem omnium patrem agendum, omnibus ex aequo benevolentiam exhibendam, neminem laedendum. Quae officia sunt veri christiani et ecclesiastici praesidis. Nam etiam is unicus est vitae et actionum mearum scopus, tantum abest, ut repugnem aliquid. Et quod ad magistratus et officiales regios attinet, de quo me jam saepius vra. rma. Dtio. admonuit, equidem exhibetur illis a me suus honor, quamvis digniorem me magistratum gerere in hac terra quam ullos alios arbitrer, et fiat quodammodo praepostere, ut, qui primarii sunt consiliarii et cardines Reipublicae, officialibus regiis quibuslibet, qui ministri sunt

sunt Reipublicae, et tales praesertim, quales expediret non esse, ancillari et subservire cogantur, unde sensim omnis decor et autoritas ordinis senatorii et pontificalis interiit et non aliunde magis odia et seditiones intestinae prodeunt. Verum factionum in hac terra ea est natura et ratio, ut sive integritate sive etiam ea arte, qua utitur in bello grammaticae participium, vitari a me nequaquam possint citra rerum et dignitatis meae jacturam, quando vel meum vel ecclesiae meae negotium agitur, et sycophantismi ac impietatis notam, ubi officium meum ab omnibus et publicae privataeque hominum querelae exigunt. Neque ulla alia res displicet in me magis dno. capitaneo, quam quod omnium aeque esse vellem in commune ejusque partibus non totus adhaeream, nam solo vrae. rmae. Dtionis. patrocinio hic omnis ejus existimatio et potestas fulta est. Unde sibi et aliis persuadebat, me sibi futurum in omnibus ad nutum. Neque ego esse dedignarer, nullum dispendium meum privatum respiciens, si fieri posset, ut placendo illi omnibus non displicerem et existimationem bonam non amitterem. Fit tamen a me sedulo, ut motus et seditiones, quae in illum fiunt, non prodeant ulterius, sed ut domi sopiantur.

Scribo haec impudentius fortasse tam prolixe, non eorsum, ut me adversitatibus oppressum sentiam, — nam et dnus. capitaneus et succamerarius reliquique eorum sequaces sese mihi per literas officiosissime commendare et dedere non cessant majoremque habeo difficultatem in continendis amicis agminatim mihi se et meis offerentibus, ne quid patrent, quam ut arceam hostilitates aliquas, — sed ut vra. rma. Dtio. fontem et rationem eorum omnium, quae et prius permanarant ad illam et deinceps permanare poterunt, intelligens, mihi paternum consilium praestare dignaretur, quo pacto possim et dignitatem meam retinere servitoribusque meis ac publicae causae non deesse, ne nimia levitate mea pro episcopo Ursibranca vocer, et dni. capitanei conditionem non laedere: qui qualis qualis est versatilis et inquietus plus nimio, semper necesse habens moliri et terebrare aliquid, nollem tamen illi per me quicquam incommodari. Hoc unum a vra. rma. Dtione. etiam atque etiam vehementer oro et exposco, cujus gratiae me et servitia mea humiliter commendo. Dat. in oppido meo Wyshkow die XXIII Octobris. Anno Domini MDXXVIII.[1])

Servitor Eps. Plocensis sst.

Archiwum Wiedeńskie (koncept).

434. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Ferdinandus etc. Serenissimo etc. Exposuit nobis fidelis nobis dilectus Caspar Cotwitz, qualiter magnificus N. dominus in Scharffenort, regnicola Serenitatis vestrae, bona quaedam in regno ejusdem existentia, a quodam Christophoro Cotwitz ad eundem Casparem devoluta et hereditarie pertinentia, de facto et contra voluntatem supplicantis occuparit eaque adhuc detineat et relaxare nolit, tametsi amicabiliter antea saepius ab eodem Caspare pro relaxatione eorum fuerit interpellatus, nosque propterea humiliter requisivit, quatenus pro assequenda et administranda sibi contra praefatum dominum de Scharpfenort justitia apud Serenitatem vestram intercederemus. Cujus quidem precibus tamquam justis et rationi consonis inclinati, eandem Serenitatem vestram affectuose hortamur et rogamus, ut intellecto

[1]) Na marginesie oryginału w Tekach zanotował Górski mylną datę: 24 Octobris 1528, gdyż w tekście wyraźna data XXIII Octobris. — W kodeksie Sap. na końcu listu dopisek Górskiego: lege sequentem epistolam, (w kodeksie list Tomickiego do Krzyckiego, umieszczony w druku pod nr. 445.)

ut intellecto jure et justitia, quod idem Caspar ad bona praedicta habere dignoscetur, eundem nostri intuitu commendatum, adjutum et promotum habere velit, in iis maxime, quae sibi juste competere videbuntur, adeo quod habeamus nostrae intercessionis gaudere, sibique illam proficuam fuisse sentire valeat. In quo eadem s. Majestas vestra nobis rem gratam faciet, nostra in eam affectione et amore fraterno sedulo conpensandam, quae feliciter valeat. Datum Viennae 25 Octobris 1528.

435. Steph. Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo. vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 996 (list orygin. własnor.)
Kod. Karnk. X. 221.
Kod. Sap. VII. 219.

Reverendissime dne., dne. observandissime. Salutem et servitiorum meorum commendationem. Rediit rursus dnus. Thomas cum optatissimo et humanissimo vrae. Dtionis. rmae. ad optata mea responso. Deus faxit, ut possim hoc quoque inter alia benefacta vrae. Dtionis. rmae. eidem reservire, quod totis viribus, dum vivam, facere conabor. De publicis negotiis nescio quid aliud scribere, quam quod et scripsi jam saepe et nuntiavi satis aperte, videor mihi plane videre, quorsum ista tendant. Utinam autem optatum et reipublicae christianae utilem finem sortiantur.

De Mte. regia intelligo, quae vra. Dtio. nuntiat, quae me praesente ita, ut nuntiata sunt, retulit dnus. Thomas suae Mti.; grato animo accepit sua Mtas. Scit sua Mtas., verum esse illud: Res est solliciti plena timoris amor. Videt ista procedere ex singulari amore vrae. Dtionis. rmae. erga se. Sed, mi reverende dne., necesse esset, nos illa occulta apertius intelligere; itaque rogo vram. Dtionem.: velit nobis aliquid apertius significare, quod facere poterit secure per has notulas occultiores, quas ad vram. Dtionem. mitto hanc solam ob causam. Dtio. vra. rma. dignabitur habere excusatam regiam Mtem., si desperata jam penitus omni cum adversario tolerabilioris concordiae ratione, cogetur regnum injuste occupatum illis modis, quibus poterit, recuperare, de quo quid ego sentiam, Mtas. sua novit, et vra. quoque Dtio. rma. ex his, que toties cum ea locutus sum, suspicari potest. Sed meum sentire vel etiam prohibere, nescio, si tantum ponderabit, ut ille malit vitam miseram ac turpem perpetuo in exilio agere, quam in regno nobilissimo atque opulentissimo adjutus opera eorum, qui sunt ei ad nutum, regnare. Dtio. vra. rma. scio quod intelligit haec omnia, quae scribo, et ex illis, quae ex Stryso ad vram. Dtionem. XXI hujus mensis sunt scripta, potuit funditus omnia intelligere.

Nos hodie, id est 28 hujus mensis, venimus huc ad Homonna salvi et incolumes, quo nuntiantur nobis omnia prospera ex omni parte. Non possumus intelligere hostes habere aliquas copias in ulla parte regni, nisi non longe a Vienna duo milia equitum et peditum, ea etiam male soluta; regiae autem Mti., postquam ad hoc ventum est, non deerunt multa milia et equitum et peditum, quibus facile possit esse hoste superior. Sed utinam ne in nemore Pelio! quod veteri proverbio dicebatur. Haec, quae scribo ad vram. Dtionem. rmam., scribo similiter ad praefectum[2]) illrem. dominum meum dnum. castellanum. Et cum his servitia mea vrae. rmae. Dtioni. et eidem dno. meo dno. castellano unice commendo. Et rmus. dnus. meus dnus. Colocensis commendat. Quae optime valeat. Ex Homonna 28 Octobris 1528.[1])

V. r. D. servitor deditissimus S. Brodericus Sirmiensis sst.

Reverendissimo in Christo patri, domino P. Thomicio, episcopo Cracoviensi, vicecancellario regni Poloniae etc. domino mihi observandissimo, Cracoviae.

[1]) Na stronie adresowej zapisał Tomicki: Redditae in Kyelcze 20 Novembris. — [2]) W kod. Sap.: praefatum.

436. Ad Petrum Tomicium, epum. Crac., vicecancellarium, Stephani Broderici, epi. Sirmiensis,[1] Carmen.

Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 836.

Quas tibi nunc referam, praesul dignissime, grates?
Unde petam meritis praemia digna tuis?
Tu me, dum patriis longe exulo pulsus ab oris
Et medicae infirmus quaero salutis opem,
Complexus vero patriae pietatis amore es,
Tu pater et dominus, tu mihi frater eras.
Nil passus tunc deesse mihi, cum cuncta deessent,
Cum premerint variis me mea fata malis.
Ergo cum nequeam quas vellem solvere grates,
Persolvant meritis Numina sancta tuis.
Illa tibi optatam tribuant longamque salutem
Et tribuant votis omnia fausta tuis.
Sis columen patriae, sis tanti gloria regni,
Sis patrum et regis cura benigna tui.
Atque utinam iratos potuisses jungere reges,
Laus erat haec titulis annumeranda tuis;
Hos quoque sollicita versantem mente labores
Vidimus: in magnis et voluisse sat est.

437. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Stefano Broderico, epo. Sirmiensi.

Teki Górskiego, nr. 1034 (minuta z poprawkami Tomickiego.)
Kod. Karnk. X, 215.
Kod. Sap. VII, 212.

Reverendissime in Christo pater et domine frater et amice charissime ac honorandissime. Accepi binas eodem tempore Dtionis. vrae. literas, unas quidem mihi inscriptas, alteras vero mihi cum dno. castellano Cracoviensi. Et ex illis equidem meis cognovi Dtionem. vram. jam ante post reditum sui ad se capellani literas alias ad me dedisse, quas ego non accepi. Quia tamen conjicio in illis Dtionem. vram., quod et in istis facit, egisse mihi gratias ob pecuniam et alia sibi a me missa, utrisque nunc simul respondeo, ita videlicet, quod ea, quae hactenus liberalitatis officia (utcumque exigua) rmae. Dtioni. vrae. praestiterim, ab optimo meo in illam animo et ab humana atque fraterna charitate fuerunt profecta, quibus etiam deinceps, si opus fuerit, ita uti volo, ut nihil illi in meo officio et liberalitate desiderandum relinqui possit. Libenter enim ego me in his praesto officiosum et benevolum, quae vel observantiam in serenissimum regem Joannem meam, vel amorem in vos ceteros singularem declarare et testari possent. Quibus ego invicem omnibus praesentem reditum in patriam faustum esse opto et felicem, simulque precor, ut et prospere

[1]) Przypisek Górskiego: Hic relinquens Hungariam, vitans bella inter Ferdinandum et Joannem reges gesta, in Polonia aliquamdiu commoratus est, quem cum tota familia dnus. Tomiczki fovebat, alebat et vitae necessaria ei suppeditabat. Is postea ad Hungariam reversus, adducta regi suo Joanni sponsa Isabella, paulo ante mortem Joannis regis est mortuus in Hungaria. Doctus, sapiens et integerrimus hic vir erat.

pere pugnetur a parte vestra, ubi fuerit opus, et Mtas. sua ita regno potiatur, ut et vos voti vestri et amissarum fortunarum compotes esse possitis. Valeat felix et optime incolumis Dtio. vra. rma. meque et servitutem meam, item fidem et observantiam serenissimo regi suo commendet. Ceteris autem comitibus et consiliariis suae Mtis. salutem dicat et benevolentiam atque amorem fraternum declaret. Dat.

438. Sigismundus primus, rex Poloniae, Consiliariis terrarum Prussiae.[1)]

Kod. bibl. Zam. (list orygin.)

Rndi., mgci., generosi, sincere nobis ac fideles dilecti. In negotio Kukernesze declaravimus vobis mentem nostram satis abunde per ultimas literas nostras et commisimus, ut dnus. electus Kioviensis descendat videndum locum et opus illud, quod tanto impendio exstructum asserit illris. dnus. dux, neque vellemus, ut hanc commoditatem negligerent hi, quos in eam rem designastis.

Paucitatem novae monetae non est quod accusetis, cum nil fit subito summum et principium omnium ferme rerum defficile est, nos tamen mandabimus, ne quid desit operae et impendii ad rem bene et pro commodo subditorum nostrorum gerendam; quamvis et hujus novae monetae officiales nostri partem non contemnendam coacti sunt Posnaniam deferre, cum illam incolae terrarum nostrarum Prussiae renuere viderentur, quae tamen ab illis subditis dominiorum nostrorum et ab exteris etiam hominibus non sine aviditate recipiebatur.

In accisae nobis debitae exactione nullam pati volumus falcidiam novae istius vestrae constitutionis praetextu, quam ut in vestris, ita in nostris quoque proventibus observari aequum et honestum est.

De Mathiae Lange et aliorum civium Gedanensium negotio et causa non haec fuit nostra voluntas neque etiam nunc est, ut partes sibi deligant jurisperitos, qui cognoscere debeant de justitia partium, cum nos effecerimus, quod illris. dnus. dux per se audiat controversias partium et finiat sententia sua et illi periti juris, quos ut deputassetis, mandaveramus, debuerunt videre et audire, quomodo res acta procederet, ut postea nos plene informare possent juste, ne subditi nostri ad nos cum querelis confugerent, si illos item ad nos redire necesse foret; ea mens fuit nostra, quam etiam in scriptis dari jussimus generoso Achatio Czemae, capitaneo nostro. Datum Vilnae ultima Octobris. Anno Domini M. D. XXVIII.

439. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Christofero de Szidlovecz, castell. Crac., cancellario.

Teki Górskiego, nr. 1051 (kopia Górskiego). Kod. Karnk. X, 227. Kod. Sap. VII, 228.

Magnifice dne., dne. et amice honorandissime. Literae Mgciae. vrae., quas ad me dedit, manu sua scriptas, perjucundae mihi fuere et gratae, tum quod proprii illius caracteris lituram ostendebant, tum etiam quod prudentissimae deliberationis et singularis in rebus providentiae silvam atque ratiocinationem mihi exhibuerunt. Ad quas quidem res, etsi puto difficile absolutam responsionem adaptare, summatim tamen ad literarum argumentum respondebo. Atque principio quod scribit Mgcia. vra., se et amicorum literis fieri certiorem

[1)] W kod. bibl. Zam. jest list ten zaadresowany do Maurycego Ferbera, biskupa Warmińskiego.

tiorem, et ipsam etiam ex verisimilibus argumentis deprehendere, regem Varschoviae ad conventum proxime indictum non adfuturum, sciat, hoc idem etiam mihi suspicandum intulisse literas domini Chojenski et fratris mei dni. castellani Gnesnensis, qui quo judicio quibusque verbis de ea re mihi scribunt, Mgcia. vra. ex schedis praesentibus inclusis cognoscet; verum tamen adduci ego nequaquam possum, ut id certo credam. Nam si in animo esset Mti. suae, velle pro illo tempore abesse, Pyotrkowiae nobis satius praescripsisset conventum, cum intelligere potuisset, congregationem sine se nostram ad negotium Mazoviae conficiendum inutilem fore. Praeterea non arbitror, quemquam in tantum gratia apud Mtem. suam et autoritate valere, cui hoc suum consilium et institutum, si verum est, neglectis celatisque nobis debeat detegere. Atqui et illud minime mihi persuaderi potest, ut ad persuasionem et libitum alicujus in eam sententiam declinare Mtas. sua debeat, ne veniat, sed si manendum illic decreverit, in causa esse puto filii sui principis nostri auspicia, ad quae illum illic evehi et sublimari reginalis Mtas. sedulo contendit. Fieri tamen potest, quod subornati dni. Lithuani ex industria negotium producent, ut moram regi faciant. Quomodocunque tamen cedet ista res, mihi profecto stat sententia proficiscendi ad conventum; nam alioquin absentia nostra invidos ac inimicos contra nos animare et efferre posset periculumque fieret, ne quidpiam alieni sub absentia contra nos dicatur vel fiat. Quibus omnibus nos, ubi aderimus, ipsi prospicere et, si opus fuerit, strenue poterimus resistere; neque enim adeo sumus vel consilio vel amicis vacui, ut hos, qui nos oderunt, superiores fore censeamus. Et assentior quidem ego opinioni Mgciae. vrae., quud absente rege sint futura turbulenta conventus negotia et quod annonae ceterarumque rerum charitas erit nimia, sed contra, puto, celerrime, quae debent, confici et absolvi posse, utileque fore rebus nostris et decorum nobis, si locum consultationis in Republica non deseramus, sed dignitatem autoritatemque nostram publice et animose sustineamus tueamurque. Ad quod et illud mihi probatur, quod videtur vrae. Mgciae. fore non inutile, si aliquo in loco ad conferendum invicem congrediamur et in hac plane sum ego sententia, ut, si colloqui, priusquam Gerstorff remittatur, velimus, ego ad Dobrowodam concedam idque faciam libenter sine aliqua cunctatione, modo mihi suam de hoc voluntatem et sententiam explicet vra. Mgcia.; nam etsi quoque differre ad diocesanum [1]) conventum rem voluerit, complectar etiam non invitus. Utcumque tamen erit faciendum, ego decrevi dare ad Mtem. regiam in hanc sententiam literas: quod hic jam sit rumor iste pervulgatus, Mtem. suam cogitare et velle abesse a conventu indicto neque hoc in bonam partem eos, qui amant Rempublicum, accipere contendamque Mti. suae persuadere, ut si consultum velit saluti et tranquillitati regni sui, non nos relinquat solos de subsidiis pacis consulere, cum absente se per nos aliud, quam bellum, decerni non possit, ex quo rediens, quod solatium sit Mtas. sua habitura, scribam, ut circumspiciat.

Ea omnia, uti sunt, per dnum. Andream filium, qui apud me fuit, dno. castellano Posnaniensi nuntiavi, ut et ipse, quid in his sit consilii capiendum, cogitet et nobiscum per literas saepius colloquatur.[2])

[1]) W kod. Karnk. dopisał Górski: particularem. — [2]) W kodeksach list powyższy wraz z następnym umieszczony jest jako jeden list. Z Tek atoli, w których są 2 oddzielne minuty, okazuje się, że były 2 listy. Na słowach: saepius colloquatur kończy się minuta w numerze 1051 Tek Górskiego.

440. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Christ. Szydłowiecki, castell. Crac., cancellario.

Teki Górskiego, nr. 1036 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 227.
Kod. Sap. VII, 228.[1])

Quod mihi manu propria scripsit Mgcia. vra., probe intellexi et cognovi, ad id tamen, quid respondeam, plane nescio, cum prospicere vel augurari adhuc nequeam, quid vel metuendum vel sperandum de eo foret, quod et cum reginali Mte. in Radom sum locutus cujusque orationis et sermonis illinc feceram Mgciam. vram. participem, et cum Mte. regia cum antehac saepius tum non pridem per literas manu mea propria scriptas egi; nam utraeque Mtes. optimam spem dabant pollicebanturque, se omni studio esse facturos, ne vel ii promoveantur ad dignitates et officia regni, qui in conventu Pyotrkoviensi praeterito et aliis prioribus conventibus turbabant optimatum salubria consilia, vel ad paucorum hominum potestatem plurimi Reipublicae honores et magistratuum emolumenta deferantur, ut et hi redigere non possint ad oppressionem Rempublicam et illi temeritatis suae vindictam pro merito accipiant. Et sane nihil dubito id, quod nunc fecit Mtas. regia contra multorum sententiam et rectum judicium, victam precibus reginalis Mtis. et invitam fecisse, attamen quorsum id emerget et ad quem exitum res deducetur, videbimus, idque exspectabimus non inviti, utinam salvi et bene incolumes. Recordatio enim aegritudinis meae me admonet, quam sit vita gravis et molesta Reipublicae curam gerenti, morbo aliquo esse impeditum, recuperataque haec firmitudo e diverso docet, quam sit illo carere jucundum. Etenim ita est, ut et saepius scribo, me praeter tumorem pedum ex descensu in reliquis corporis partibus Dei benignitate esse restitutum. Quae recta valetudo quanto magis ad cumulum accedit, tanto mihi gratior est, quod ut alios plurimos bonos, ita et Mgciam. vram. id mihi plurimum et ex animo favere video. Cui ego vicissim nihil est, quod non optem optimum, siquidem et nunc et in longum adhuc tempus illam felicissimam esse et optime incolumem cum suis charissimis et uxore et liberis vehementer desidero. Datum etc.

Iste vir optimus[2]) titulis novis auctus non alia ratione mihi videtur devitare, ne veniat isthic in praesens in consilium cum vra. Mgcia. et ceteris regni consiliariis, nisi quod regia Mtas. id illi non committat hactenus et ut illi integrum esse quandoque possit, culpare nostra consilia, si forte contingat illa, quod Deus avertat, consequi malos eventus.

441. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Teki Górskiego, nr. 1046 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 228.
Kod. Sap. VII, 229.

Sacra regia Mtas. et dne., dne. clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Accepi literas Mtis. vrae. sermae. de conventu Varsoviae publice constituto et indicto, ad quem obeundum ego procul omni cunctatione ita, ut Mtas. vra. scribit et mandat, proficisci atque descendere, Deo bene juvante, volo, non tantum ut Reipublicae operam et officium meum praestem, sed ut etiam jussioni Mtis. vrae. pro more ac debito meo obtemperem diligenter, praecipue tamem quod illic Mtem. vram. videre me et excipere posse salvam et incolumem confido. Neque enim ego ita de Mte. vra. sentio, cujus

[1]) W kodeksach list powyższy umieszczony jest jako dalszy ciąg poprzedniego. — [2]) W kod. Karnk. dopisał Górski: Andr. de Tanczin, palat. Cracoviensis.

cujus novi prudentissimum esse judicium, uti hic jam invulgari et fere pro certo haberi coepit: quod scil. Mtas. vra. abesse a generali conventu proxime futuro decreverit; namque hoc non modo nobis molestiam et regno jacturam, verum et Mti. vrae. summum incommodum et difficultatem in omnibus rebus afferre posset, cum nos absente Mte. vra. neque ad unionem ducatus Mazoviae cum regno inducendam neque ad bona forte jam ubique aestimata et jura ac statuta, quae corrigi sunt coepta, in debito fine collocanda et perficienda, neque etiam ad constituendum pro defensione Reipublicae tributum soli sufficiamus satis. Ac si forte quidem ea absentandi a regno et futuro conventu deliberatio animum Mtis. vrae., ita ut fertur, versare coeperit, vel quispiam illi hoc conetur persuadere, ego magnopere rogo et obtestor Mtem. vram., ut priusquam apud se constituat, ut his, qui id suadent, assentiatur, ipsa diligenter reputet prudentissimaque consideratione sua disquirat et expendat, quantum hoc tempore detrimentum respublica regni ex absentia Mtis. vrae. capere possit et quam diuturnam molestiam et difficultatem sit habitura Mtas. vra., si ita negotium ducatus Mazoviae non perficiatur et nos profectionem in bellum publice decernamus. Mihi equidem si suadere licet Mti vrae., sapientissimo principi et domino, videtur haec causa majoris fore momenti et ponderis et cui interesse vram. Mtem. utile esse et expedire magis possit, quam vel Magni. ducatus Lithuaniae imperfecta negotia vel quicquam aliud, propter quod fortasse nonnulli Mtem vram. istic remorari et detinere vellent. Sed tamen Mtas. vra. non ut suasionem et sententiam meam admittat, verum ut regni sui saluti subveniat et commoditati suae prospiciat, dignabitur, uti prudentissimus princeps, id quod saluberrimum videbitur, statuere et amplecti.

Quod ad rationem ab exactoribus publicis reddendam et qui subducendae illi praeesse debeat, habeo in memoria, ita fuisse constitutum, ut exactores publicarum contributionum apud dnum. thesaurarium regni accepti et expensi ferant reddantque rationem. Quare illi Mtas. vra. demandare dignetur, ut id jam curare et examinare incipiat diligenter.

Illma. princeps et dna., domina Hedwigis, filia Mtis. vrae., a qua non longe hic habito, cuique omne benevolentiae et hospitalitatis vicinae officium defero et praesto libenter, optime, Deo sit gratia, valet et est incolumis petitque summis a Mte. vra. precibus, ut altare, quod nunc per obitum Benedicti, apud beatam Virginem Cracoviae altaristae, in salifodinis Vielicensibus vacat, Alexio, capellano suo, conferre dignetur, qui et vir probus est et diligenter Illti. suae servit. Et sane cum illma. Dtio. sua non habeat, unde provideat servitores suos, pertinet hoc ad pietatem et clementiam vrae. Mtis., ut ejus vices sustineat, cum possit.

Ego propter pestilentiam, ultra modum ingravescentem, Cracoviae nuper emigravi et in ea solitudinis loca secessi, ut meos domesticos tanto melius a contagione servem, a quorum grege et numero doctor unus, vitae integritate et innocentia praestans, morte immatura est mihi sublatus, ubi, donec non erit eundum ad conventum, semper ero, ut vicinus domino castellano Cracoviensi fiam praestoque sim semper, si quid invicem cum illo curandum mihi demandare Mtas. vra. voluerit.

442. Joannes Karnkowski, epus. Premisliensis, P. Tomicki, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 997 (list orygin. własnor.)
Kod. Karnk. X, 251.
Kod. Sap. VII, 246.

Reverendissime domine, domine mi et patrone colendissime. Post debitam perpetuamque obsequiorum meorum in gratiam rmae. Dtionis. vrae. commendationem. Quum sciam Dtionem. vram. rmam. non habere isthic cervisiam suo palato fortasse respondentem, mitto de Premisliensi duo vasa, quae utinam placeat sitque ei salutaris. Quam Dtionem. vram. rmam. praestet incolumem Deus in longum aevum, cui me officiumque meum, si cui est futurum usui, commendo ex corde.

Hic non habemus novi quicquam, quod enim dnus. de Lasko inter Polonos praesertimque in terra Siradiensi gloriabundus jactet inque sidera efferat suas operas apud Turcum Reipublicae nostrae plus quam utiles, itidemque quantum valeat gratia et autoritate apud imperatorem ipsum idque genus, ubi etiam oblique invehitur in vram. Dtionem. rmam., reor haec apud eam non haberi inter nova. Haec autem mihi nuper retulit dominus judex Cracoviensis, qui venit de Siradia remque habuit compertam quum ex aliis, tum vero etiam ex ipsius domini palatini literis ad quosdam illius provinciae indigenas, praesertimque ad dominum Gomolinski, notarium terrae Siradiensis, ubi et nomen Dtionis. vrae. rmae. expressit in haec verba: si, inquit, haec episcopus Cracoviensis fecisset, cantaretur per universum regnum: Te Deum laudamus etc.

Haec ego pro fide et observantia mea, quam rmae. Dtioni. vrae. debeo, reticere nolui, cujus gratiae me iterum iterumque commendo.

Intelliget etiam rma. Dtio. vra. ex literis Augustini ad me datis et praesentibus inclusis, quot et quantae copiae gentium Germanorum veniant ad sermum. dnum. Joannem. regem Ungariae; siquidem vera haec sint, quae scribit ille manu propria. Cracoviae, die septima Novembris. Anno domini 1528.

Reverendissimae Dominationis vestrae perpetuus servitor Joannes episcopus Premisliensis.

Reverendissimo et amplissimo domino, domino Petro, dei gratia episcopo Cracoviensi et regni Poloniae vicecancellario dignissimo et domino et patrono incomparabili.

443. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Joanni Karnkowski, epo. Premisliensi.

Kod. Karnk. X, 252.
Kod. Sap. VII, 247.

Reverendissime etc. Et nuntius et literae vrae. Dtionis., quibus mihi salutem perscribit et nuntiat, fuerunt mihi gratissimae, pro quo illius officio et una pro duobus vasis cervisiae Premisliensis mihi dono missis plurimas ago et habeo gratias vrae. rmae. Dtioni. curaboque vicissim et ego, ut par gratia a me tantae vrae. rmae. Dtionis. benevolentiae habeatur et referatur. Sed et illud, quod de dno. Jeronimo Laski, minus aequa de me sentienti, Dtio. vra. rma. adscripsit, tametsi prius jam ex literis dni. judicis Cracoviensis ad me datis cognoveram, pergratus et lubens legi vel proterea solum, quod exinde me honoremque meum charum esse vrae. rmae. Dtioni. perspexi. Praedicat ille, quod sentit quodque sibi licere putat, quia a nemine prohibetur, cujus me sermones qualescuque tanto minus movent, quanto magis ego sim mihi conscius me a recta et honesta vitae ratione non aberrare, sed hunc prae me fero semper animum et voluntatem, ut et principi meo et Reipublicae fida quaeque et proba, uti me decet, subministrem consilia et officia deferam.

Kod. Karnk. X, 257.
Kod. Sap. VII, 223.

444. P. Tomicius, epus. Cracov., vicecancellarius, Petro de Dambrovicza, cast. Chelmensi.

Generose domine, amice charissime. Optime fecit vra. Dtio., quod ad mandatum regiae Mtis. etiam nullo viatico provisa se isthuc contulerit, volens obire munus corrigendorum jurium sibi injunctum, si alii ad id deputati etiam convenissent. Quam vrae. Dtionis. erga Mtem. regiam et Rempublicam propensionem et observantiam volumus suo tempore diligenter Mti. suae commendare et curare, ut is sumptus, quem in hoc itinere fecit vra. Dtio., de publica pecunia illi resartiatur. Plurimum autem miramur, quod neminem isthic offenderit vra. Dtio., qui ad corrigenda jura de omnibus palatinatibus et terris sunt designati; nam ante aliquot dies fuerunt istic sex, qui miserant ad nos declarantes se isthuc convenisse et cum alii non adessent, postulantes a nobis, ut illis, quid facere in eo casu deberent, consuleremus. Nos vero certo nobis persuadentes, quod ad omnes datae sunt literae regiae , postulavimus ab eis, ut parumper exspectarent, quoad alii, praesertim vero, majores, advenirent. Quia igitur et illi non exspectarunt, nec consilio nostro acquieverunt, immo omnes isthinc abierunt, non videtur nobis consultum, ut vra. Dtio. sola, quae sine aliis nihil non solum perficere, sed ne inchoare quidem posset, durare et manere isthic deberet, nisi certo sciret, alios quoque suos collegas mox isthuc esse venturos. Valeat et sit felix vra. Dtio. Dat. in Kielcze.

Teki Górskiego, nr. 1033 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 239.
Kod. Sap. VII, 236.

445. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, epo. Plocensi.

Rme. in Christo pater et dne. nepos charissime. Et literae Dtionis. vrae. rmae. et nuntius qui illas reddidit, plurimam mihi salutem nomine rmae. Dtionis. vrae. attulerunt, valetudinem insuper meam amica et accurata invisentes oratione. Quod equidem mihi et legere et audire supramodum fuit jucundum, ob idque tam benevolum officium et amoris non vulgarem significationem plurimas ago et habeo rmae. Dtioni. vrae. gratias, quam vicissim illi mutuo amore et benevolentia mea cumulate et sedulo referre curabo.

Quod autem scire cupit rma. Dtio. vra., qui nunc sit valetudinis meae status, uno atque altero verbo accipiat, me quidem cum iis, qui mecum nunc sunt, optime valere, sed non sine gravi pestilentiae metu Cracovia emigrasse, amisso etiam illic uno ex familia, viro equidem miti et innocente, ex nomine doctore Mathaeo de Szamotuli. Secessi vero in hunc locum ista ductus ratione, ut et longius ab omni suspicione pestilentiae abessem et cum paucioribus in ea solitudine viverem et versarer, non prius hinc discessurus, quam ad conventum particularem obeundum me oporteat proficisci, de quo jam uti et de publico, quo sit loco futurus, literis regiis sum certior factus. Ac quum ita quidem sit decretum, quod Varsseviam publice coire omnes debeamus, praemittendi jam mihi erunt quoque aliqui, qui hospitia pro me deligant et occupent, quos dum ego expedire paro, Dtio. rma. vra. faciet mihi rem gratissimam, si per ministros suos, quos Varsseviae habebit, mei quoque in designandis et occupandis hospitiis habere rationem curaverit.

Ceterum quod ad dnum. capitaneum Plocensem attinet, vehementer doleo, eum ita se adversum Dtionem. vram. rmam., uti illa scribit, inhumaniter et non satis amice gerere, quem et commodi sui et publicae honestatis causa expediret diligentem dare operam, ne in ulla

re a rma.

re a rma. Dtione. vra., quae primum in ista provincia locum secundum regem obtinet, dissentiret. Quod quam ob rem ille negligat et utrum volens aut sciens officio rectae administrandae provinciae abutatur, me penitus latet, — illud certe non latet, sed est mihi perspectissimum, homines eos plurimum opinione falli et sententia decipi, quod Dtio. vra. rma. mihi attribuere scribit, dnum. capitaneum meo fretum patrocinio acerbiorem se et insolentiorem, quam par est, in provinciales sibi commissos praestare. Nam et ego mihi satis sum conscius, quod non soleam unquam injustam alicujus causam et iniqua atque inhonesta studia vel fovere ipse vel apud principem promovere aut commendare, et vra. Dtio. rma. quoque est locupletissima testis, me semper recti et honesti rationem atque fines tenere et observare consuevisse, cum in reliquis omnibus causis tum et in illa quoque lite et contentione, quam astante sibi Dtione. vra. rma. dnus. capitaneus cum gentilibus suis contra filias dominae Sieprska publice susceperat. Sed ut ad prima redeam, mirifice, ut scripsi, doleo, eundem dnum. capitaneum, ut scribit Dtio. vra., et privatim et publice alium se, quam oporteat, istic agnosci passum esse; sed sane illud curo magis, quod privatim ad Dtionem. vram. rmam. pertinet; nam quod publicitus et vulgo fit contra illum querimonia, non usque adeo me movet. Sum etenim plurimis jam expertus argumentis, praefectorum regiorum officia et compendiosas operas in magna invidia apud populares et odio haberi et positas esse solere. Hoc tamen prae me fero et apud me statuo, ne illi in aliquo, in quo accusatus reus inveniatur, uspiam adsim, quod idem quoque ad Dtionis. vrae. rmae. officium pertinere arbitror, ut in iis, quae judicio eorum, ad quos pertinet, non recte egisse fuerit agnitus, aperte illum arguat et querentibus de illo assistat. Ceterum, quae vel ambigua, vel ex invidia hominum contra illum prolata existimari possunt, non ita illi extemplo attribuat vel ascribat, ut ipse postmodum consulto se et data opera a rma. Dtione. vra. oppugnari credere et suspicari possit. Nam hoc pari ratione convenit, ne rma. Dtio. vra. cuilibet contra ipsum dnum. capitaneum dicenti credat, atque illud, quod dicentibus nonnullis odiosa quaedam contra servitores suos[1]) fidem dare noluerit.

De contentiosa controversia dni. Gamrati cum Sokolowski, adolescente lectissimo et laudato, audire fuit mihi molestissimum, nam ea res non modo mihi videtur ipsum dnum. Gamratum in multorum suspicionem reprehensionis plenam adducere posse, quod in exturbando hoc adolescente de praepositura ecclesiae S. Michaëlis Plocensis se declaret ingratum esse beneficiorum, quae a dno. Jo. Lesczynski et dno. Raphaële proxime praemortuo epo. Plocensi acceperat, — verum et ordinem nostrum ad obtrectationem et invidiam aemulorum et malevolorum obnoxium magis ex eo facere, quod clerici armis et dimicationibus indecoris de re ecclesiastica experiri non vereantur, qui humaniorem prae ceteris et magis modestam juris sui prosequendi tenere debeant rationem. Et eorum quidem causam et contractum fateor mihi esse incognitum, sed quantum ex literis rmae. Dtionis. vrae. perspicere potui, possessionem sacerdotii, de quo fit contentio, penes Sokolowski fuisse invenio, de qua illum depelli et ejici minime conveniebat, quum a sententia rmae. Dtionis. vrae. provocationem, quae illi, uti arbitror, competebat, legitime interposuerat. Quare opinor ego operae pretium in hac re Dtionem. vram. rmam. facturam esse, si pro autoritate et prudentia sua utrumque adversarium ab ejusmodi inimicitiis exercendis contineat et odia eorum

[1]) W kod. Karnk. dopisał Górski: contra Gamratum et Dzirgowska adulteram in arce Poltowsk.

eorum interea temporis leniat, concitatosque ad vindictam animos sistat, donec a necessariis et conjunctis utriusque res amice componatur aut transigatur.

Ceterum executores testamenti dni. Joannis Zamboczki, poenitentiarii, jam pridem defuncti, scire ad usque nequeunt, qui conductor praebendae illius Plocensis isthic fuerat, quare illorum causa ego rmam. Dtionem. vram. rogo plurimum, ut inter canonicos ecclesiae suae, quibus hoc occultum esse non poterat, perquiri de hoc ipso conductore seu redemptore fructuum diligenter faciat eumque autoritate sua ordinaria compellat, ut de perceptis et solutis proventibus ejusdem canonicatus et praebendae rationem faciat ac id, quod debet in manus vrae. rmae. Dtionis. deponat. Annum autem gratiae is, qui fructus canonicatus et praebendae percipit et in possessione illius est, jure solvere tenetur. Eum autem esse intelligo dominum Golinski, fratrem dni. capitanei Varssoviensis, qui ex provisione rmae. Dtionis. vrae. canonicatum et praebendam hanc obtinet et de quo mihi vra. rma. Dtio. scripsit, quod velit ad arbitrium meum cum Ganthkowski, qui provisione Summi pontificis nititur hanc praebendam consequi, transigere. Ad quod illi vicissim cupio vram. rmam. Dtionem. meo respondere nomine: quod scil. voluntas Ganthkowski, transigere velit nec ne, in ea re non est mihi perspecta, me tamen velle illius in hoc explorare animum et per literas rmam. Dtionem. vram. postea facere de hoc certiorem. Si tamen ille jure suo uti voluerit, vetare hoc illi mihi non licebit; nam tametsi ille directe mihi non famuletur, est tamen mihi propterea addictus, quod praedecessori et patri meo rmo. dno. Jo. Conarski, epo. Cracoviensi, et ejus nepotibus officiose per multum tempus inservierat. Quam ob rem defendere eum in re justa et tueri puto esse officii mei. In hac autem causa planum jus suum esse, ipse ita ostendit, quod sacerdotii apud Sedem Apostolicam vacantis jus ex provisione Summi Pontificis tametsi non immediate quaesivit, de ejusmodi sacerdotiis ordinarii jure providere non possunt nec debent.

De rebus Hungaricis haec ad me afferuntur, quod rex Joannes pollicetur sibi indubie, se regnum suum esse brevi recuperaturum; nam et dnus. Laski de auxiliis Turcorum affuturis certam illi spem attulit, et Augustinus, quem huc veniens in Andrzeyow obvium habui, mihi retulit: Germanorum copias, de quibus jam toties erat dictum, instructas iter jam ad regem ipsum facere. Quod ipsum dnus. quoque castellanus Posnaniensis literis suis hodie mihi perscripsit.[1]) Italicarum rerum rationem ex eo exemplo cognoscet reverendissima Dominatio vestra, quod illi praesentibus inclusum mitto. Mitto et binas literas Desiderii Erasmi et Andreae Zebrzidowski, quae heri sunt mihi redditae. (Justus Decius Crac. me convenit et ostendit mihi literas a Desiderio Erasmo ad Dominationem vestram missas, quas ego Dominationi vestrae in . . . . . etiam mitto. Sed ostendit mihi praeterea suas ab Erasmo literas, in quibus ille ita scribit, quod ante, quam praesentes literas ad Dominationem vestram et ipsum Justum daret, miserit una multas in Poloniam literas, partim ad Majestatem regiam, partim etiam ad proceres regni et insigniores praelatos scriptas, de quibus an fuerint perlatae, plurimum dubitat).[2]) Quae Dominatio vestra scire hinc praeterea voluerit, ab hoc puero suo Morawiecz perquiret, qui et industrius est et Cracoviae novissimis his diebus erat. Ego vehementer opto Dominationem

[1]) Na tym ustępie kończy się tekst listu w kodeksie Karnkowskiego, — poczem idzie zakończenie listu odmienne od tego, jakie jest w Tekach i kod. Sapieżyńskim: Cupio vram. rmam. Dtionem. felicem et incolumem esse meque ita ab ea amari, quemadmodum amor et necessitudo nostra mutua postulat. W tekście kod. Karnk. jest wiele innych drobnych odmianek, pochodzących widocznie od Górskiego. — [2]) Ustęp włożony w nawias jest w minucie przekreślony, nie ma go też kodeks Sapieżyński.

tionem vestram reverendissimam felicem et incolumem esse meque ita amare, prout amor, conjunctio, benevolentia et necessitudo nostra mutua postulare videtur. Datum in Kyelcze feria III ante Martinum 1528.[1])

446. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Christofero Szidlovicio, cast. Crac., cancellario.

Kod. Karnk. X, 258.
Kod. Sap. VII, 224.

Magnifice domine, domine et amice honorandissime. Ingentes habeo Mgciae. vrae. gratias, quod literis, quas Gersthorff ad me attulit, plurimam salutem mihi nuntiat et cetera fausta omnia precatur. Quam ego Mgciae. vrae. in me benevolentiam mutuis officiis et amore fraterno referre illi et compensare diligenter studebo. Ceterum externarum rerum noviter allatarum seriem in literis Mgciae. vrae. descriptam grato et lubenti legi animo, non quod ea primum ipse ignorarem, sed quod majoris ponderis ad fidem habendam esse existimo, quae alicunde alio allata literis Mgciae. vrae. apud me confirmantur. Et equidem ea, quae de copiis Germanicis Mgcia. vra. scribit, non dissimili ratione mihi coram narravit Augustinus, cum mihi huc adventanti in Andrzeyow occurrisset; sed et dni. castellani Posnaniensis ad me literae, quas heri accepi, eadem ipsa mihi de hac re explicant. Quae res cum diversis e partibus ita jam non varie affertur, fidem omnimo mihi facit, quem tamen exitum portendat, prolixae et difficilis mihi adhuc conjecturae et divinationis videtur.

Nonnulli, qui ad reformanda corrigendaque jura regni Piotrkowiam convenerunt, nuntium ad me miserunt cum literis; consulunt, quid agant: praestolenturne reliquos an et ipsi domum redeant, cum et venire illos dubitent multum et sibi moram diuturnam, praesertim si frustra fiat, censeant esse et molestam et sumptuosam. Ego vero quoniam existimo turpe esse, ut id, quod ad Rempublicam adaugendam salubri consilio est repertum, inchoatum relinquatur, adhortatus sum illos et rogavi, ut aliquantisper adhuc, si forte et ceteri confluant, immorentur; ad quos etiam ego meos canonicos, qui ex eo sunt reformatorum numero, quamprimum mittere decrevi, tametsi nullo provisos in sumptus faciendos viatico.

Magnificentiam vram. etiam rogo, ut cum commode poterit, ad dnum. palatinum Sandomiriensem scribat de ea re literas et si quibus praetera huc pertinentibus facile potest, stimulum ad munus suum prosequendum adjiciat, quo et Reipublicae prodesse multum et suae dignitatis officium sustinere poterit vra. Mgcia. Cui ego summae cujusque laudis gloriam et diuturnae vitae amplitudinem et splendorem sine fuco et ambitione faveo meque illius benevolentiae et amori fraterno plurimum commendo eamque cum suis omnibus valere felicissime desidero. Datum in Kielcze in vigilia S. Martini. Anno domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.[2])

447. Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1 f. 73b.)

Post debitam fidei ac devotam servitiorum meorum exhibitionem, Sacratissime rex et domine, domine clementissime. Dignata fuit sacra regia Mtas. vra. consiliariis suis harum terrarum

[1]) D. 10. 11. 1528. — [2]) D. 10. 11. 1528.

terrarum Prussiae conventionaliter in Graudencz pro festo divi Michaëlis proxime lapso congregatis, per generosum Achatium Zcema significare, illustrem dominum Prussiae ducem theloneum Kukerness jam deposuisse quidem, attamen nihilominus instetisse ac ursisse, ut aliquos ad inspiciendum locum et opus illud tantis impendiis (ut Illustritas sua asserit) constructum, sacra regia Mtas. mittere dignaretur. Id quod tunc sacra r. Mtas. vra. facere distulit, donec ad consultationem consiliariorum harum terrarum Prussiae referretur, ut consultatione super hoc habita aliquos e medio suo designarent, qui cum his, qui ex Lituania ad hoc ipsum negotium mittendi forent, ad inspiciendum locum ituri essent. Volentes itaque consiliarii s. Mtis. v. mandatis pro debito suo facere satis, elegerunt quidem aliquos e medio suo ac operi exequendo destinaverunt. Sed venit tunc in mentem dominis consiliariis tum temporis instituti brevitas, tum instantis brumae rigor, quo flumina et aquarum decursus in illis locis glacie concreti tam illuc proficiscendi commoditatem quam loci revidendi facultatem impedirent, ne ita singula pro desiderio ac voluntate s. Mtis. v. inspici et confici valeant, ut ipsi plena fieri posset instructio. Commodum itaque tunc nec ab re dominis consiliariis visum fuit, ac ita sacrae Mti. v. consulendo responsum, quatenus istud inspiciendi negotium in proximum aestatis tempus ad festum S. Georgii de consensu Mtis. v. suspenderetur. Id quod s. Mtas. v. sic gratiose facturam, certo sibi persuaserunt consiliarii Mtis. vrae. Paulo post autem scripsit sacra Mtas. v. suis harum terrarum consiliariis, reverendum dominum electum Kioviensem cum legationis munere ad ill. dominum Prussiae ducem missum esse, qui legationis officio functo per locum Kukerness Lituaniam repedaturus esset, ac in eadem repedatione eum locum Kukerness cum per Prussiae consiliarios designatis inspecturus. Licet s. r. Mtas. v. responsum consiliariorum non percepisset, nihilominus tamen ego has s. Mtis. vrae. literas in festo Simonis et Judae apostolorum acceptas mandato Mtis. v. aperui, transsumptasque celeriter ceteris dominis consiliariis mittere curavi, ubi tamen tunc 3 Novembris nuntius meus fluvium Wistulae prae densitate glaciei tunc defluentis cum difficultate transire potuit. Paucis post diebus, utpote decima die Novembris, alterae item sacrae r. Mtis. v. literae ejusdem ferme tenoris mihi redditae sunt: nempe nolle sacram Mtem. v., ut his, qui a Prussiae consiliariis ad hoc designati essent, praesentiam rndi. domini electi Kioviensis ac eam conspiciendi loci commoditatem negligerent. Ego eas quoque literas s. r. Mtis. v. transscriptas dominis Prussiae consiliariis, quemadmodum superiores, citra omnem comperendinationem misi. Sed plurimum vereor, quod propter supra memoratas causas ac praeterea itinerum cum asperitatem tum difficultatem, hi, qui a dominis consiliariis ad hoc conspiciendi munus delegati sunt, illuc hoc tempore venire nec possint nec valeant, praesertim cum flumina, per quae transitus esse solet, constent, ea loca inspicienda aquarum inundatione perfusa sint, nec minus fortasse glacie concreta, ita ut nihil tum pro rei difficultate, tum pro sacrae r. Mtis. v. voluntate, bene et utiliter fieri posse putem. Ab ipsis tamen dominis consiliariis reliquis nullum hactenus (ex praedictis, ut arbitror, impedimentis) habeo responsum. Quod etiam rmo. domino electo Kioviensi per literas meas significavi.

Monetam novam Pruthenicam Thorunii in officina s. Mtis. v. cusam illustris domini Prussiae ducis subditi nec per XVIII novos denarios, quemadmodum Marienburgi constitutum erat, nec etiam per XXIII antiquos denarios, ut in proximo Graudenicensi edicto ordinatum est, recipere volunt. Qua autem ratione et quam ob causam id fiat, mihi hactenus incognitum est. Scripsi autem Illustritati suae, ut si quod hujus monetae occasione gravamen haberet, id ipsum in proximo Marienburgensi conventu ad feriam quintam post Luciae instituto

instituto vel per scripta vel per nuntios suos consiliariis Mtis. vrae. significare non gravaretur, ut utriusque dominii subditi hujus monetae causa in pace et tranquillitate vivere valerent et Marienburgensis conclusio suum debitum sortiretur effectum. Ego autem stricta observantia eam novam monetam per dominia ecclesiae meae a subditis meis recipi curo et efficio. Haec sacram r. Mtem. v., cui, ut feliciter vivat, vincat et triumphet, a Deo precor, latere nolui, sed pro mea in sacram Mtem. v. fide sedulo perscribere operae pretium duxi. Datum Heilsbergi 18 Novembris anno MDXXVIII.

His literis postea includebatur chartula hujus tenoris:

Serenissime rex et clementissime dne. Video multas disturbationes in ista nova innovatione monetae evenire. Quare mihi non ab re visum est, si Mti. vrae. consuluero, ut edictum per consiliarios Mtis. vrae. conventu Graudenicensi uniformiter conclusum sua regia autoritate confirmare et eandem monetam novam in ducatu Masoviae, qui omnibus nobis Prutenis vicinus est, publicare dignaretur.

448. Joannes Łaski, praepositus Gnesnensis, Antonio Rinconi.

Museum Britannicum. (Biblioth. Cotton Vespasion F. I, f. 47). Kuyper, Joannis a Lasco opera. t. II, p. 548.

Magnifice domine, amice observandissime. Essent mihi multa scribenda ad tuam Dtionem., quae negotium serenissimi Hungariae regis domini nostri concernerent, sed et cyfras illas mecum nunc non habeo, quibus omnia tuto scribi potuissent, et nunc vix tutum est quidquam literis committere. Haec tamen te scire velim, si quidem ad tuam Dtionem. pervenient. Imprimis illius Mti. omnia pro voto nutuque succedere. Cujus Majestas relicta nostra Polonia ingressa est regnum suum tertia Novembris, istic excepta ab octo milibus equitum Hungarorum, apud dominum Hommonaij, nuncque sua Majestas est Segedini una cum Turcarum exercitu copioso, ad servitium suae Mti. ab caesare Turcarum dato, operaque fatris mei domini palatini eousque deducto, qui quantus nunc sit, nescio, poterit tamen esse intra quatuordecem dies sexaginta milium equitum, si res ita poscat. Ita sunt per loca quaeque proxima dispositi, ut facile advocari possint per regiam Majestatem, si inquam res poscat. Nulla tamen sunt adhuc indicia futuri proelii, nam etsi Ferdinandus dicatur facere delectum militum Viennae, nihil tamen adhuc gentium habet. Ex tota Hungaria nobilitas omnisque populus agminatim convolant ad serenissimum Joannem regem partim Turcarum metu, partim etiam principis clementia, qui in suscipienda in gratiam nobilitate communique populo facilis est, in magnatibus recipiendis valde difficilis, neque id sine causa, quanquam et magnatum multi jam se in gratiam suae Mtis. submiserunt. Andreas Batthori, frater naderspani, captus est nuper in levi quodam proelio et detinetur in arce suae Mtis. Wyhel, quae victoria jam sexta est post ingressum suae Mtis. in Hungariam. Nuper etiam Simon quidam, literatus cognomine, Cassoviensium peditum tria milia, equites trecentos ad unum usque profligavit, ut ne nuntius quidem cladis superfuerit; sic illos inter montes incluserat arte quadam, ut nullus exitus illis pateret, caesi ad unum omnes, machinae viginti captae, advectaeque ad regiam Majestatem. Praeterea caesar ipse Turcarum conscripsit jam novum alium exercitum quadringentorum milium hominum peditum et equitum, cum quo ipsemet aestate proxima Austriam est invasurus perrecturusque per Danubium, adverso videlicet flumine, quousque poterit, ad fontes fluvii, cujus majorem jam partem parvo negotio se in suam ditionem subegisse gloriatur, idque futurum

turum est sine dubio, nisi hoc vere proximo, priusque se loco caesar moveat, res inter regiam Majestatem Hungariae et Ferdinandum regem aliqua concordia transigatur, quam tamen nullam acceptabit rex Joannes inconsulto Turcarum caesare; is est enim primus foederis articulus inter illum caesarem et suam Majestatem. Exercitus Germanicus suae Mtis. duce Nicolao Mynkwycz, qui jam dudum exspectabatur, nunc tandem Slesiam ingressus Swydniczam oppidum occupavit et sub nomine suae Mtis. possidet; speramus et reliquas Slesiae civitates in deditionem venturas, qua de re jam et nuntii habentur et literae. Vratislavienses miserunt ad Ferdinandum, ut fidem illorum, ut ipsi vocant, evangelicam jurejurando suo regio confirmaret, liberaretque eos ab illa obligatione, qua in summa quadringentorum milium oppignorati sunt coronae Hungariae, se fidem suam omnibus integram servare velle. Cassovienses item miserunt ad Ferdinandum non pro auxiliis ullis, sed ut illos intra duos menses pacificaret omnino, quod nisi faceret, se curaturos suum negotium, ut possent, neque sinerent se suaque diripi. A Petro Perenii, qui coronam ad Ferdinandum detulerat, sunt secreti nuntii rogantes veniam apud regiam dni. nostri Hungariae Majestatem; is pollicetur se una cum corona rursus ad suam Majestatem rediturum, quam se habere dicit, — multaque sunt circa eam rem mysteria, quae literis committere non licet, pollicentur tamen bona omnia regiae Mti. facilioraque futura omnia, quam speramus. Ferdinandus indixit comitia Hungariae in Presburg, ad quae tamen nullus ex Hungaria venit neque ex nobilibus neque ex magnatibus praeter Turzonem et naderspanum. In summa nostris omnia divino beneficio felicissime succedunt. Gentium copia summa, utinam non desit, quo illam alere possimus, qua in re principia sunt vehementer fere difficilia. Nunc tamen sufficiunt omnia et vestram interim operam nobis profuturam sperabimus, quae nunc multo, quam unquam alias, major adhiberi debebit. Cum his bene valeat diu incolumis et felix. Datum in Lubnicze XVIII Novembris anno dni. M. D. XXVIII.

Eidem vestrae Magnificentiae deditissimus Joannes a Lasco, Gnesnensis praepositus sst. manu propria.

Magnifico dno. Antonio Rynkon, consiliario et camblano christianissimi Galliarum regis etc. amico observandiss imo

Kod. bibl. Ks. Czartor. nr. 242 (autograf.). Kod. Kórn. (Epistolae Dantisci) pag. 114.

449. Joannes Dantiscus, orator, Bonae, reginae Poloniae.

Serma. reginalis Mtas. et dna. mea clementissima. Humillimam fidelis meae servitutis commendationem. Scripsi novissime ex Madritio XII Octobris praeteriti, cum dnus. Levicius primum nona Septembris a Belgis per mare ad me in Madritio applicuit, et omnia, quae tum agebantur et qualiter Mtas. caesarea per secretarium Jo. Lalemant cum responso valde inconvenienti me expediverit, quo non contentus — videbatur enim novam tragoediam et duriorem priori concitare — me huc conferre fuerim coactus, reluctans desiderio meo redeundi, quod certe fuit vehementissimum; nihilominus fides mea in Mtem. vram. sermam. id superavit et me hic hucusque retinuit, de quo essent plurima scribenda, si me tempus non deficeret, quandoquidem hac hora mihi indicatum est, postam in Flandriam ituram, quam nolim negligere; igitur priores meas literas duplicare non potui et non possum etiam, ut velim esse, copiosior, dabit itaque brevitati veniam.

In novissimis

In novissimis descripsi difficultates, quas timebam, de quibus credo, Mtem. vram. non parum fuisse turbatam. Et revera turbarant me plurimum. Qua de re, ut animum Mtis. vrae. sermae. reficerem et eum non sinerem pendere ulterius, cum hac posta literas has tumultuarias scripsi, quo sciret saltem in compendio, quomodo negotia Mtis. vrae. sermae. habeant. Perveni huc XVI Octobris novissimi et hucusque omnes intendi nervos et per opportunitatem atque importunitatem aliquoties conveni caesarem, conquestus de responso, quod Lalemant mihi dederat, unde meo maximo labore et jugi diligentia effeci tandem opera potissimum dni. Magni cancellarii, quod Mtas. caesarea remisit Mti. vrae. et ejus successoribus Adoham retentam et non persolutam tempore illmae. olim matris Mtis. vrae. sermae., quam hic taxarant ad summam LX milium ducatorum, quae dicebatur omni jure potuisse repeti, si caesar voluisset, cum de gratia et exemptione ab hujusmodi solutione nihil constaret. Et hinc illae lacrimae, quod Lalemant tantopere laborabat, sperans ex his etiam suam partem, qua ad praesens, Deo gratia, frustratus est. Dedit praeterea caesar Mti. vrae. sermae. in recompensam Adohae, quam officiales Mtis. vrae. solverunt per haec tempora, mille et ducentos ducatos in fiscalibus exigendis in ducatu Barensi promisitque deinceps in adohis futuris instituendis semper se gratiam Mti. vrae. sermae. facturum. Quod dimitteretur Mti. vrae. Adoha, non potui efficere, cum neque sermo. Bohemiae regi dimittatur, sed ex fiscalibus, quae pro caesare in dominiis Mtis. vrae. sermae. exiguntur, habitura est semper aliquam recompensam.

Obtinui etiam a caesarea Mte. literas commendatitias ad viceregem, principem de Oranges, et collaterale consilium pro statu Barensi et officialibus ejus; exprimitur tamen in eis, quod si qui contra suam Mtem. deliquerint, castigarentur et nulla Mti. vrae. culpa impingeretur. Item alias literas observatorias jurium et privilegiorum Mtis. vrae. etiam impetravi in amplissima forma sic, quod deinceps Mtas. vra. serma. secure in utramque aurem de statu Barensi dormire poterit. Relinquam hic etiam tot amicos Mti. vrae. sermae., qui, si quando opus erit, negotiis et rebus Mtis. vrae. non deerunt, et, ut reor, non erit amplius necessarium, quod aliquem in suis expensis hic habeat, cum jam omnia sint transacta, quae pro securitate status hujus Mti. vrae. fieri debuerant. In quibus si forte non servivi certe, ut potui, neque in his quicquam mihi arrogo, nam bonus servus, cum omnia fecerit, adhuc dicere deberet: servi inutiles sumus.

Quam primum caesar istas expeditiones et literas manu sua firmaverit et sigillatae fuerint Mti. suae, nomine Mtis. vrae. sermae. immensas habiturus sum gratias et dicto „vale“ recta ad Vallem Oleti me conferam, inde missurus in Galliam pro salvo conductu, qui si mihi dabitur, non diu immorabor, quo quantocius Mtem. vram. sermam. supplex videam et quam copiosissime de omnibus certiorem faciam, sin aliter, cum hoc tempore non commode navigatur, consilium nobis resque locusque dabunt.

Dnus. Levicius nullam mihi provisionem pro reditu a Mte. vra. serma. attulit, dixit duntaxat, mgcum. dnum. Aliphium dixisse, me bene scire, quomodo redire debeam, et cum id amiserim, quod mihi cum prima expeditione et responso promittebatur, nescio, quomodo aliter redire potero, nisi a Velzeris accipiam viaticum, quod non potest esse minus quingentis ducatis, quandoquidem nescio, quando ex Hispania ire possim, si salvus conductus in Gallia mihi negabitur et hoc durissimo hiemis tempore non audeo me Neptuno credere, quem prius crebro in maximis periculis expertus sum, nollem eum iterum stulte accusare.

In hoc expeditionis meae gaudio nihil est, quod me magis affligat, quam quod tempore, hoc est a IX mensibus, quo exivit dnus. Levicius, literas non acceperim cum ex ducatu Barensi tum etiam a Mte. vra., quum tamen prius Mtas. vra. serma. committere scribi solebat saepius

saepius et duplicatas et triplicatas in rebus interdum non admodum arduis; nescio, quo fit, quod in hac temporum metamorphosi, in qua summopere agebam instructione Mtis. vrae. sermae., nihil fuerit ad me scriptum et ne quidem dno. Levicio. De Adoha itidem nunquam fui bene edoctus. quid esset, quomodo exigeretur aut ad quantam summam ascenderet, de quo aliquoties me caesar interrogavit. Quod si scivissem, quantum post mortem illmae. dnae. matris Mtis. vrae. fuisset solutum, efficacius in rem et commodum Mtis. vrae. egissem cum caesare, quem, me hercle, nunquam antea adeo propensum rebus Mtis. vrae. sermae. offendi, quam in hac mea expeditione. Ideo in his ex toto caecutiens id feci, quod videre et intelligere potui. Dictum fuerat caesari, quod Adoha haec quoties imponeretur, efficeret in dominiis Mtis. vrae. sermae. octo milia ducatorum et ultra. Ad ea quid responderem, non habebam, quam quod intellexerim, non excedere summam quingentorum ducatorum. Sic tandem dedit sua Mtas. caesarea ex fiscalibus mille ducentos ducatos, quibus fortassis et me hinc expediet. Qua de re si in his a me est erratum, non potest mihi non dari venia, quum nesciverim, quomodo ista habeant. Ignorantia excusat peccatum.

Sermae. Mti. regiae ad praesens ob temporis angustiam scribere non potui, ut tamen Mtes. vrae. sermae., quomodo omnia hic habeant, non nesciant, hoc est compendium.

De duello, quomodo non successit, serma. Mtas. regia ex literis caesaris, quae ad Ferdinandum regem missae sunt, accipiet. Natus est mus iste ex his montibus, quem praedixeram. Caesar pro futuro Martio vel Aprili omnino in Italiam se parat. Colligitur ingens classis, gentes, commeatus et pecuniae, sed quum toties sim deceptus, non credam, nisi digitos immisero. Aliqui dicunt, quod cum hac classe ad Belgas trajicere debeat. Quocunque ierit, erit nostris terris propinquior, hinc est, quod nuper mihi dnus. Mg. cancellarius dixit: quamvis jam discedo, tamen nos paulo post non fore multum disjunctos.

Caesar cum suis liberis dno. Philippo et dna. Maria optime valent. Non est, quod ob postae celeritatem addere possim amplius, quam quod istam veteris Adohae remissionem et benevolentiam caesaris Mtem. vram. sermam. latere nolui. Cui me suppliciter commendo. Deus omnipotens sermam. regiam et vram. reginalem Mtem. quam diutissime cum liberis et actionibus suis felices et incolumes conservet et contra omnia adversa tueatur. Dat. celerrime ex Toleto ad Tagum d. XIX Novembris. Anno dni. 1528.

Has literas jussi ferri ex Augusta per proprium nuntium ad Mtem. vram. sermam. et rogavi Georgium Hegel, ut solveret expensas. Supplico Mti. vrae. humillime: committat, ut Georgio Hegel reddatur, quod dederit tabellario. Feci has expensas non alia de re, quam ut[1]) Mtas. vra. serma. ulterius ob causas Barenses turbaretur et diutius animus pendeat; boni, quaeso, consulat.

Kod. Kórn. (Epistolae J. Dantisci, pag. 118.)

450. Joannes Dantiscus P. Tomicio, epo. vicecancellario.

Rme. in Christo pater etc. Humillimam servitiorum meorum commendationem. Quanto me gaudio literae Dtionis. vrae. rmae. affecerint, quas ex Radomia dnus. Levicius IX Septembris in Madrit mihi reddidit, neque scribi neque dici potest. His ad praesens velim copiosisime respondere, si me tempus non deficeret ob istius postae celeritatem, in qua neque regiae Mti. scribere potui. Ad reginalem Mtem. nescio quas tumultuarias exaravi, in quibus compendiose absolutionem meam a caesare recensui neque eam Dtionem. vram. rmam.

[1]) Powinno raczej być: ne.

rmam. latere volui. Postquam in primo responso a Jo. Lalemant mihi in Madrit dato frenum momorderim et illud pro expeditione habere renui, iterum hic conveni caesarem, cui jam valedixeram reluctatusque fortiter obtinui a Mte. caesarea remissionem Adohae, quam mater reginalis Mtis. obtinuerat et nunquam solverat. Eam dicunt excedere summam sexaginta milium ducatorum potuitque a reginali Mte., ut hic multis argumentis mecum disputatum crebro est, omni jure repeti, quandoquidem debitum, quod vasallus debet principi, nunquam proscribit.[1]) Eripui eam summam, Deo gratia, adversariis nostris, qui adhuc ad statum Barensem inhiabant, in quo nunc reginalis Mtas. dormire potest in utramque aurem. Donavit praeterea caesar reginali Mti. in recompensam Adohae, quam per haec tempora officiales reginalis Mtis. solverunt ex proventibus suis fiscalibus mille et ducentos ducatos pollicitusque se deinceps etiam semper gratiam facturum. Jussit itidem fieri literas commendatitias pro statu Barensi et observatorias jurium et privilegiorum reginalis Mtis. ad viceregem et collaterale consilium Neapoliense in amplissima forma. Quum primum istae literae confectae fuerint, gratiis dictis et vale caesari me hinc recta ad Vallem Oleti conferam missurus in Galliam pro salvo conductu, qui si dabitur, brevi, ut in Deum meum spero, Dtionem. vram. rmam. videbo quam lubentissime, antequam ad curiam Mtis. regiae concedam. Sin aliter, cum non sit hoc duro tempore tutum navigare, commodius exspectabo et quantum possum celerius advolabo. De duello nihil successit, quod prius omnes ominabantur. Caesar hinc omnino fertur pro Martio futuro iturus cum ingenti classe vel in Italiam vel ad Belgas, sed certo suspicor, eum velle Romae coronari, quod, postquam videro, credam, toties ea in re sum deceptus.

Alia non restant, cum jam a me literae exigantur, quam quod hanc meam expeditionem curamque et non inutilem laborem meum Dtionem. vram. rmam. ignorare nolui, cui me humiliter commendo et rmo. dno. meo Plocensi omnia fausta precor rogoque, ut me Dtio. vra. rma. qua coepit gratia prosequatur, perpetuum et fidelem me habitura mancipium semper. Datum celerrime ex Toleto ad Tagum d. XIX Novembris a. 1528.

451. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 998 (list oryginalny).
Kod. Karnk. X, 240.
Kod. Sap. VII, 237.
Kod. Kórnicki pism Krzyckiego, nr. 194—6.

Rme. in Christo pater et dne. mi colendissime. Reddidit mihi Olexhi literas vrae. rmae. Dtionis. cum neniis dni. Joannis Lesczinski, quas cum summa molestia legi, neque quid ad illas respondeam, prorsus scio, tot modis sugillationum jam ab illo fatigatus, et praesertim quum intelligam, illum imponere adhuc vrae. rmae. Dtioni. specie simplicis probitatis, sicut et mihi prius imposuit. Unum scire dignetur, rmum. dnum. archiepum. significasse mihi hisce diebus, se quidem comperisse, me cum illo recte et favorabiliter egisse omnia et in causa praepositurae S. Michaëlis juste et legitime processisse, verum postulare se benevolentiae et aequitatis causa, ut mitterem ad se dnum. Gamrath pro festo S. Andreae, quod inter eos tractare vellet amicam concordiam. Et is quam faveat illi et quam non faveat mihi, vra. rma. Dtio. non ignorat. Unde perpendere potest, quam juste ille me accuset. Ego tametsi turpissime et damnosissime ab illo collusus et insuper literis diffamatoriis traductus, decreveram cum illo jus meum persequi, mittam tamen adhuc ad rmum. dnum. archiepum., ut postulat, quando me Dtio. vra. rma. ad istas cum illo compositiones, quae nullum unquam finem habent, hortatur et monet. Ad priorem concordiam, quam

[1]) Zam. praescribitur.

quam ambo manibus nostris subscripsimus, non adhibui ego neque Italica neque Gamrathica consilia, sed solo dno. Rambieski, illo ita volente, quem secum adduxerat, ut facilius me circumduxisset, sicut fecit. Nam obligaverat dno. Gamrath et Carolo in ipso articulo mortis dni. Raphaëlis, epi., fratris sui, clavem meam insignem Raciąsz ad biennium pro anno gratiae defuncto dno. Erasmo, epo., debito, similiter molendinum et decimas quasdam rogavitque me, ut id loco anni gratiae, quem sibi debebam, ratum haberem; habui, licet magno dispendio. Rogavit item, ut debita ecclesiae et capitulo, quorum erat circiter mille floreni, pro se solverem et loco illorum acciperem debita hic sibi derelicta summae majoris; unde etiam non parum multum lucri promittebat annotavitque manu sua ipsorum debitorum supra mille flor., obligans se, si quid deesset, ad rationem mihi teneri. Quorum pars in rerum natura non fuit, pars remissa ab illo postea creditoribus per secretam compositionem datis cum antidatis quittantiis, quando ego me ecclesiae et capitulo ad solutionem obstrinxeram. Hoc an probum, an fraternum sit factum, vra. rma. Dtio. judicet. Quorum omnium exstat testimonium manus ipsius et aliquorum creditorum confessio, de quibus et aliis id genus multis longum esset scribere.

Hortari me dignatur vra. rma. Dtio. et quidem recte et paterne, ut me ita hic geram, ut omnium mihi amorem comparem. Sed res perardua est et quam nemo mortalium adhuc est assecutus. Quod praestare possum, fit a me sedulo, ut nulli justam odii erga me causam praebeam. Neque turpe duco, odio haberi ab his, qui odio sunt bonis omnibus.

Hodie vado in Raciąsz ad conventum particularem. Audio ad quingentos equites illic congregatos circum circa ad prodeundum mihi obviam et ingrediendum mecum, putantes mea aliquid interesse de hac tragoedia, quam hic dominus Lesczinski adversus dominum Gamrat excitavit, cum magna poenitudine istorum, qui hoc negotium aggressi sunt. Ego praemisi, ne quid istorum fieret, sed ut utraque pars laesa contineret se tam diu ab ingressu in Raciąsz, donec capto cum senioribus consilio de modo concordiae, eos illuc advocarem sub certo equitum numero, et spero, illos ita facturos plusque illic cervisiae, quam sanguinis, effusum iri. Novit rma. Dtio. vra. tales congregationes, quae non raro fiunt apud nos, partim ad limites, partim ad alia, quantam stragem, sed poculariam tantum, edant. Nam quod dnus. Lesczinski scribit, jam multos ob hanc causam mactatos, addere debuit: boves et pullos, non homines, utcunque vulnerati sint aliqui, modice tamen. Neque huc novum est, tueri per amicos et principes possessiones sacerdotiorum, ut non solus in hoc dominus Gamrat sit vituperandus et praesertim vim passus.

De adventu Mtis. regiae ad conventum nostrum idem ego etiam olfeci, quod scribit vra. rma. Dtio. Qui id consulunt, nihil aliud, quam ut bellum vel potius tumultus intestinus fiat, student. Sentio nova et perniciosissima quaedam molimina partim in ordinem nostrum ecclesiasticum, partim in bonos alios. Adversus has vomicas remedium esset tempori cogitandum et sumendus animus his depravatissimis temporibus opportunus, neque cedendum malis, sed contra audacius eundum. De quibus omnibus coram latius.

Commendo me gratiae rmae. Dtionis., quam dominus Deus servet semper sospitem et felicem. Ex arce mea Poltoviensi feria III in vigilia S. Catherinae virginis 1528.[1])

Servitor Episcopus Plocensis.

Mi rme. dne. Habui post scriptas has literas significationem a nuntiis meis, dnum. castellanum Dobrinensem difficillimum esse ad continendum, ne ad Raciąsz mecum ingrediatur; vult enim coram me cum amicis et equitatu suo comparere, quem habet instructissimum. Idem vult dnus. palatinus Mazoviae, qui non minorem habet comitatum, me maxime invito, quamvis

[1]) D. 24. 11. 1528.

quamvis hunc libenter videam concordiae causa: ita hic exosus sum omnibus. Pars adversa, sentiens se confuse staturam, sublegavit ad me meum suffraganeum et abbatem Plocensem, qui suaderent duo: alterum, ut in neutram partem declinarem, alterum ut a profectione ad conventum me continerem. De primo respondi: non fecisse me hactenus quidquam partiale neque facturum esse, nisi coactus fuero; de secundo: traductum me esse per dnum. Leshczinski et quosdam alios, quasi hujus turbae auctor fuerim, et nunc me et meos poenas dare; si abessem a conventu, traducerer magis, quasi timore perculsus abessem, ne quid eorum mihi contingeret, quod in Sroda plerisque contingebat. Deinde interesse mea, quales nuntii pro bono Reipublicae et ecclesiae deligantur. His rationibus convicti et gratias mihi agentes discesserunt. Vado itaque in Dei nomine, utcunque res cessura sit, duntaxat cum familia et capitaneis meis, ita tamen provisus, ut in omni eventu tutus esse possim. Illic videbimus, uter utri magis ope et gratia praestabit.

Mi rme. dne. Videri quidem hae turbae possunt ecclesiastico praesidi non usquaque congruere, sed non omnibus temporibus omnia conveniunt, proindeque Redemptor noster instruens discipulos suos modo neque peram neque baculum ferre, modo loculos habere et ex duabus tunicis unam vendere et gladium emere jubet, et ipse nunc dat pacem suis, nunc testatur, se non pacem, sed gladium mittere venisse. Incidimus in hoc saeculum, ut ista magis, quam patientia et mansuetudo, necessaria videantur ad statum Reipublicae et nostrum manutenendum. Et in hoc tam ampliter dotatae sunt ecclesiae potius, quam in luxum et quietem. Et majores nostri fortissimi praesules ita olim religionem, quum tempestas ex Bohemia ingruebat, conservarunt. Nihil tamen a me committetur, Deo juvante, professione mea indignum. Supplico, boni consulat vra. rma. Dtio. has meas tumultuarias nenias, in quas velim nolim rapior fato quodam sive hujus provinciae, sive meo. Nam sicut illam supra mortales omnes amo et observo, ita vereor, ne delatores mei, quibus nimis adversum me fidem praestare solet, gratiam ejus imminuant.

Reverendissimo in Christo patri et domino, domino Petro, Dei gratia episcopo Cracoviensi et regni Poloniae vicecancellario, domino colendissimo.

452. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Petro Firleio de Dambrowicza, cast. Chelmensi.

Kod. Karnk. X. 255.
Kod. Sap. VII, 217.

Generose domine, amice charissime. Cum alii domini collegae vrae. Dtionis. ad corrigenda jura et statuta regni designati non convenerunt in Pyotrkow, bene fecit vra. Dtio., quod non fecerit illic sumptum inutilem. Quod autem attinet ad dnum. palatinum Sandomiriensem, habuimus non pridem ab eo literas, quibus significat, paratum se quidem jam esse ad obeundum munus sibi injunctum, verum non libenter velle se absque aliis suis collegis in Pyotrkow proficisci, quos intellexit illuc nondum convenisse. Quia vero speramus, illum futurum in conventu Opathoviensi et Novae Civitatis Corczin, ubi nos quoque aderimus, si cognoverimus, quod in hac jurium reformatione possit aliquid fieri et constitui ante generalem Warschoviensem conventum, sique intellexerimus, quod homines ad hoc munus deputati in palatinatibus regni velint convenire ad locum illis deputatum, curabimus, ut vel ipse dnus. palatinus Sandomiriensis vel nos faciamus vos certiores, si redire debeatis

debeatis ad prosequendum hoc ipsum munus corrigendorum jurium nec ne. Felicissime valeat vra. Dtio. — Dat. in Kielcze sabbato proximo ante festum Sancti Andreae, apostoli. Anno domini 1528.[1])

Kod. Karnk. X, 256.
Kod. Sap. VII, 222.

453. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Christ. de Szidlovecz, cast. Crac., cancellario.

Magnifice domine, domine et amice honorandissime. Scripsit mihi dnus. Andreas de Tanczin, palat. Sandomiriensis, quod accinxerit se jam ad proficiscendum in Pyotrkow et ad obeundum munus reformandorum jurium sibi demandatum, quia vero intellexit reliquos ad hoc ipsum munus designatos nondum illuc convenisse et aliquos, qui jam ibi convenerunt, inde discessisse, petit informari a me, quid facere debeat, timens, ne frustra operam et impensam impendat. Ego, qui sciam nonnullos reformatores jurium, praesertim ex Majori Polonia, qui Pyotrkoviam paulo ante convenerant, jam inde discessisse et alios nolle illuc se conferre, nisi viatico provideantur, quod propter absentiam dni. thezaurarii regni in promptu non est, rescripsi illi, ut cum tamdiu venire tardaverit et alii ejus collegae non adsint, non festinaret ire in Pyotrkow, sed curaret venire ad conventus Opathoviensem et Novae Civitatis Corczin, ubi capto mutuo consilio nobiscum faceret tandem, quod tempus et res postulare videbitur. Non video enim, quod ejus tam tarda profectio, praesertim cum alii collegae praesto non sint, aliquid commodi Reipublicae afferre possit.

Ago et habeo magnas gratias vrae. Dtioni., quod de rebus novis, quae ad eam perferuntur, non gravetur me facere certiorem. Quod illius erga me officium mereri studebo omni studio et facultate mea.

Exspectabimus certam significationem ex Lithuania de adventu ad nos regiae Mtis. et in conventibus Proschoviensi et Novae Civitatis, Deo bene volente, de rebus necessariis mutuo colloquemur et consilium capiemus. Interim vero commendo me ex animo vrae. Mgciae. et eam cum suis omnibus felicissime valere desidero. Dat. in Kielcze.

Teki Górskiego nr. 1039 (odpis Górskiego).
Kod. Karnk. X, 226.
Kod. Sap. VII. 216.

454 P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Jo. Chojenski, archidiacono Crac., secretario.

Venerabilis domine. Argumentum et ordo literarum conventualium, quas huc misistis, bene nobis placet, nam et temporum in illis et personarum, uti vos admonueramus, rectam videmini servasse rationem. De illis etiam, quae ad ducatum Mazoviae et terras Prussiae pertinebant, tametsi nos per oblivionem nihil vobis scripseramus, aeque bene credimus evenisse pro industria benevolentiaque vestra. Ceterum quod ad catalogum nominum attinet, equidem non est factum incuria vel negligentia nostra, quod vobis integer, ut oportuit, non erat missus, sed quod aberat tum a nobis doctor noster Jacobus, penes quem libri nominum et ejusmodi annotationum sunt relicti, quare solummodo vobis miseramus, quae ex fragmentis amanuensium nostrorum colligere potuimus.

Domini archiepiscopi consilium et persuasio, ne regia Mtas. ad nos veniat, magnam nobis admirationem attulit, cum per absentiam Mtis. suae nihil hic boni vel utile pro Republica statui

[1]) D. 28. 11. 1528.

statui vel decerni possit. At nos putamus, eum nepotis sui, non commodi publici causa id agere, quod ejus audaciam et gravia in Rempublicam admissa ista ratione potissimum impunita se auferre posse intelligat. Nos pro pietate et officio in Rempublicam nostro diversum suademus Mti. suae, uti ex literis nostris ad Mtem. suam datis cognoscetis. Intelligimus etenim omnia, quae hic pro salute et utilitate regni agi debent, praesentia et autoritate Mtis. suae plurimum indigere.

Nescimus, quid Mtas. sua respondi fecerit dno. archiepiscopo de Michaële Paczanow, miramur tamen vehementer, ita animatum esse dnum. archiepum., quod non vereatur a Mte. sua petere, quo et constitutionibus publicis plurimum derogari et sententia decretumque publice jam de hoc factum infringi possit. Nos profecto hactenus nulla injuria a Michaële affecti sumus, cuperemus tamen, ut illius nequitia et contaminata scelere vita ea, qua dignus est, severitate et vindicta puniretur et ut crimen falsi, quo ad ignominiam Poloni nominis Romae est notatus, et fraus perfidiaque capitalis in dominum Petrum Konarski, custodem ecclesiae nostrae Cracoviensis, admissa, simul et nimia illius insolentia ac temeritas, qua ausus est evocare ad Sedem apostolicam nonnullos sacerdotes, qui mandatis et literis regiis prohibiti non reddiderunt proventus beneficiorum suorum, non remaneant illi impunita. Crescit enim apud nos in dies magis improborum hominum audacia partim propter impunitatem, partim quod illi, qui coërcere illos maxime deberent, sua autoritate et patrocinio illis assistunt eorumque scelera et errata defendunt.

De rege Joanne ea huc afferuntur: dicunt, eum in Segedin a Turcarum exercitu valido exceptum esse, praeterea dicunt, multos ad illum confluere Ungariae proceres fidemque illi obstringere suam. Mea est haec sententia: si Germanorum copiae, de quibus haud varia jam fama est, quod veniant hoc mense, auxilio illi non venerint, illum in castris vel in arce aliqua Turcarum hiberna acturum, si venerint, in expugnandis Ungariae oppidis ab adversario occupatis summa hieme collocaturum esse operam.

Armeni, qui ex Leopoli advenerunt, narrare dicuntur, dnum. castellanum Lublinensem per multos jam dies Constantinopoli mala valetudine esse impeditum. Quae res non mediocriter perculit nobis animum, ne forte propterea negotium publicum, cujus causa illuc est missus, uti expedit, curare non possit. Nam si recta valuerit, nihil dubitamus illum optata quaeque afferre posse, quod faxit Omnipotens Deus, ut et bene valens et cum bono pacis autoramento redeat.

Bene valete at, si Mtas. regia ventura sit ad futurum regni conventum aut non, nobis tempori perscribatis.

455. Petrus Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, epo. Plocensi.

Kod. Kórnicki pism Krzyckiego, nr. 197.

Accepi literas vrae. rmae. Dtionis. excusationem ad ea afferentes, quae vra. r. D. ex literis dni. Joannis Lesczinski ad me datis sibi attribui et asscribi perspexit. Quae quidem excusatio tametsi negotio, de quo agitur, sit admodum consentanea, mihi tamen propterea videbatur non necessaria, quod ego non eo animo, quae ad me sunt scripta, ad D. vram. rmam. transmisi, ut vel illis ita tam subito, ut verba [1]) erant, fidem haberem, vel earum causam excusationemque a vra. r. Dtione. exigerem, sed potius ut r. D. vra. perspecto Joannis Lesczinski in se animo matura providentia ad opportunum consilium munita et provisa esse posset. Nam et ad cetera, de quibus nonnunquam ad v. r. D. scribere soleo

[1]) Tak w kodeksie, — czy nie raczej: v e c t a?

soleo, amicitiae et necessitudinis officio adducor, non ut in r. D. v. quidpiam reprehendere aut improbare laborem.

Ceterum gratissimo animo accepi, quod vra. r. Dtio. in conventu Racziązensi praeterito turbas illas inanes et non necessarias controversias ratione praepositurae ecclesiae S. Michaëlis Plocensis exortas bonis et aequis mediis composuerit. Quod autem exemplis majorum nostrorum et sententia Christi adducit vra. r. Dtio., arma ordini ecclesiastico ad defensionem esse permissa et illa hoc depravato saeculo magis videri necessaria ad statum nostrum manutenendum, quam patientiam et mansuetudinem, prudenter quidem et salubri consilio videtur mihi facere, quod ex illustrium virorum et salutis nostrae documento vitae suae et aliorum episcoporum rationem autumat esse componendam. Verum ego sum in alia sententia et ita sentio et dico, quod nobis non satis licere videtur hoc praesertim periculosissimo tempore de bonis et possessionibus nostris digladiari, nisi cum illa alio modo et via servare et tueri non possumus. Nam et Christus Salvator noster cum mitteret suos apostolos ad praedicandum evangelium suum, non armavit illos ensibus, fustibus, lanceis aut quovis ferri genere, quod ad necem ferarum potius quam hominum est repertum, sed mansuetudine, tolerantia et doctrina evangelica, qui gladius est Spiritus. Cujus doctrinam hi ipsi apostoli, in quorum locum et nos successimus, secuti exuerunt sedulo omne armorum et ferri genus. Modestiam vero, continentiam et evangelii profitendi fortem induerunt animum, quo militantes ad extremum usque feliciter et pie depugnarunt, prout haec et alia, quae huc pertinent, nihil ambigo recte cognita et perspecta esse vrae. rmae. Dtioni. ex libris divi Ambrosii et aliorum sanctorum patrum.

De regiae Mtis. ad nos adventu, quod et antea scripsi ad vram. rmam. Dtionem., dubitant omnes. Quod ego, ne fiat, magnopere metuo, cum et negotia magni ducatus Lituaniae sint adhuc imperfecta et Mtas. sua scribitur, quod IX die retroacti mensis ex sciatica et gravi dolore pedis dextri coepit laborare proptereaque in lecto decumbere. Quae res cum mihi videbatur magnam perturbationem in rebus, quae in conventu futuro tractari debent, afferre posse, istud cepi consilium, ut ad Mtem. suam proprium mitterem nuntium suadendo Mti. suae, ut si aegritudine aut rebus Litvanicis impedita non posset ad designatum tempus ad nos venire, differre saltem in longius tempus conventus diem dignaretur, quo tempore ipsa valens et incolumis nobiscum una esse posset. Atque et prius etiam rogavi per literas Mtem. suam, ut, si recte consultum esse vellet reipublicae regni sui, ad nos in consultationem venire dignaretur: verum ignorabam tum adhuc statum valetudinis Mtis. suae. Quare nunc alio isto consilio literas scribere decrevi, quibus quidquid respondere Mtas. sua dignabitur, non patiar vram. rmam. Dtionem. ignorare. Interim cupio esse felicem et optime incolumem vram. rmam. Dtionem., quam rogo, ut me amore et benevolentia, qua merito debet, prosequatur. Ex Kyelcze die S. Nicolai 1528.[1])

Kod. Karnk. X, 249.
Kod. Sap. VII. 244.

456. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Sacra regia Mtas. et dne. dne. clementissime. Post servitiorum et orationum mearum humilem commendationem. Accepi ex amicorum sermonibus et literis, dnum. Hieronimum Laski, cum hic nuper in regno Mtis. vrae. esset, multaque loca hac atque illac percurreret, plurima

[1]) D. 6. 12. 1528.

plurima ad injuriam et contumeliam meam esse palam prolocutum; sed maxime ob id graviter de me esse questum: quod me scilicet impediente et contradicente Marienburgensem capitaneatum non fuerit a Mte. vra. assecutus. Quam ob rem inimicitias mihi aperte denuntiasse et istius rei jacturam ex ultione et periculo meo dicitur repetere velle. Ac tametsi ego quidem circa capitaneatum praedictum nihil ex invidia vel odio, uti est cognitum Mti. vrae., contra illum vel suaserim vel fecerim et hoc solum egerim apud Mtem. vram., ne dnus. palatinus Posnaniensis, bonus et antiquus servitor et consiliarius vrae. Mtis., illo ipso capitaneatu Marienburgensi absque ulla culpa et demerito suo privaretur, quia tamen illum hominem temerarium ac desperatum esse libidinique et insolentiae suae nunc magis, quam rationi ulli, obtemperare intelligo, vereor, ne quid alieni contra salutem dignitatemque meam perpetraret. Namque et hereditatem suam omnem obligavit et inscripsit, partem dno. Joanni Chelmski pro sex milibus florenorum numeratis, partem domino Mieleczki et dno. Colaczkowski, uxori suae unica duntaxat villa sibi libera et ab omni obligatione vacua relicta. Praeterea video, quod multa mala committuntur apud nos propter impunitatem, video, quod patrocinia, quae auxilium et favorem scelerosis impertiunt, augent in dies magis audaciam et scelera improborum. Et sane ego omnem spem meae defensionis contra impios conatus dicti hominis in Mte. vra. habeo collocatam, cujus ad nos adventum tanto alacriori animo exspecto, quanto magis confido illam autoritatis suae protectionem mihi ita accommodaturam esse, ut ego in tuto esse possem. Quod ad me attinet, dabo operam diligentem, ne quid per vim et apertam injuriam in me admitti possit, ceterum de occultis vitae meae periculis et insidiis ad Dei Omnipotentis judicium et custodiam refero, aequissimo laturus animo, quicquid, quod provideri a me non possit, admissu divinae Mtis. suae mihi contigerit. Me et meam humilem servitutem commendo Mti. vrae. sermae., quam dnus. Deus cum suis omnibus sospitet et prosperet in omnibus. Ex Kielcze 1528.[1])

457. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, Stanislao Gomolinski, notario Siradiensi.

Teki Górskiego nr. 1053 (odpis Górskiego).
Kod. Karnk. X, 250.
Kod. Sap. VII, 245.

Generose etc. Agimus et habemus vobis magnas gratias, quod de hostilitatibus et insidiis, quae adversus nos struuntur aut forte jam structae et meditatae sunt, per dnum. judicem Cracoviensem primum, deinde per dnum. Zamosczki et Izdbienski, canonicos ecclesiae nostrae, nos praemonueritis et feceritis certiores, curabimusque hanc vram. erga nos propensionem et benevolentiam officiis amicitiae et gratificatione nostra per omnem occasionem semper referre; sed et cavebimus, ita ut admonetis, pro virili nostra, ne nostri inimici vi aliqua aperte nobis nocere possint.

Ceterum de occultis vitae nostrae insidiis ad Dei Omnipotentis judicium et custodiam nos referimus. Et quando in ea tempora incidimus, ut et nos episcopi tuti et securi in hoc regno nostro christiano et libero esse non possimus, feremus aequissimo animo, quicquid, quod provideri a nobis humano ingenio et consilio non possit, permissu divinae Mtis. suae nobis contigerit. Felicissime valete. In Kielcze, die Conceptionis Mariae. Anno domini 1528.[1])

[1]) W kod. Karnk. dopisał Górski na marginesie datę: 8 Decembris 1528. — [2]) D. 8. 12. 1528.

Teki Górskiego, nr. 1000 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 230.
Kod. Sap. VII, 230.

458. P. Tomicki, epus. vicecancellarius, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Sacra regia Mtas. et domine, dne. clementissime. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Aegritudo Mtis. vrae., de qua hic non multo ante est relatum, ingentem omnibus in regno nobis dolorem atque animorum perturbationem attulit. Nam sicuti omnes peraeque charam habemus Mtis. vrae. salutem et illius in regno diuturnum et felix exoptamus esse imperium, ita unanimi quoque consensu de adversa Mtis. vrae. valetudine graviter et ex corde dolemus. Ego autem cum ex hoc inopinato et tristi nuntio coepissem perplexo et molesto admodum esse animo, consilium cepi ejus ad Mtem. vram. mittendi nuntii, qui et invisat meo nomine Mtis. vrae. valetudinem et servitutem meam in illius gratiam devoveat atque commendet, mihi vero in reditu aliquid rursus de Mte. vra. jucundum atque optatum referat. Ut autem ego indubitate certus esse de statu Mtis. vrae. possim, humillime illi supplico, ut de omni successu et progressu valetudinis suae ipsa mihi, quidquid est, perscribi mandet.

Et tametsi quidem adversam hanc Mtis. vrae. valetudinem non puto diuturnam, tamen si vel propter ea vel propter negotia publica, quae istic remanent imperfecta, non posset Mtas. vra. ad nos tam brevi tempore se conferre, satius esse duxerim, ut Mtas. vra. hoc habendi conventus generalis munus in primam vel mediam Quadragesimae dominicam seu aliud quodvis tempus, quo ipsa adesse posset, differat et proroget. Namque, ut prius etiam scripsi, sub absentia Mtis. vrae. nihil decerni poterit, quod vel Reipublicae utile, vel Mti. vrae. necessarium gratumque esse posset. Quod si vero et id Mti. vrae. secus quam mihi videatur et conventum hunc sub absentia sua ita jam mutari nolit: rogo plurimum Mtem. vram., ut nuntios suos mature et ad tempus Varschoviam ad nos mittat, qui Mtis. vrae. primum excusent absentiam, deinde vero omnes ordines regni admoneant et exhortentur, quo depositis privatis simultatibus et odiis diligenti cura in hoc incumbant et consulant, ut Mazoviae nobiles ad ferenda aequanimiter cum regno onera pertrahantur, praeterea ut tuendi defendendique regni bona atque utilis aliqua ratio reperiatur.

Capiatur item aliquod consilium, ne extra regnum Mtis. vrae. aliquis deinceps contra edictum stipendia facere audeat, et si quid denique ultra praedicta Mti. vrae. videbitur, declarent et exponant. In his autem quicquid apud se statuat Mtas. vra., quia mea puto interesse, ne ante tempus ignorem, plurimum illam rogo, ut mihi de omnibus, uti erunt, scribi faciat. Quod ego servitute mea fida ac diligenti promereri Mti. vrae. curabo, quam iterum atque iterum in illius gratiam humiliter commendo Deumque majoribus quam possum precibus exoro, ut Mtem. vram. una cum serma. ejus conjuge et illmis. liberis sanam et salvam diutissime nobis et regno huic aegro atque imbecillo foveat et conservet. Datum in Kielcze die Conceptionis Sanctae Mariae dominae nostrae. Anno 1528.[1])

Teki Górskiego, nr. 999 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 231.
Kod. Sap. VII, 231.

459. P. Tomicki, epus. Crac., vicecancellarius, Jo. Chojenski, archidiacono, secretario regio.

Venerabilis domine, frater in Christo charissime. Venerat huc non multo ante servitor dni. Ludovici, secretarii Mtis. reginalis, qui ab illo literas nobis attulit, Mtis. regiae adversam valetudinem declarantes. Qua re nos sumus in magnum dolorem et animi perturbationem conjecti

[1]) D. 8. 12. 1528.

conjecti, uti hi, qui supra omnes mortales Mtem. suam colimus et observamus cuique diutissimam salutem et felicissimos quosque successus dari exoptamus, utpote ei, ex quo omnem bonum Reipublicae statum dependere scimus. Quae res ne nos diu perplexos mente teneat et angat, misimus istuc hunc nostrum nuntium, qui diligentissime de Mtis. suae valetudine exploret et ad nos certa quaeque celerrime referat. Ne autem aliquid nos de hoc et aliis latere per incuriam nuntii posset, rogamus vos plurimum, ut nobis plene omnia perscribatis, quo videlicet in statu Mtas. sua sit nunc collocata et si ad nos et conventum Varschoviam est certo ventura nec ne. Nam si forte vel per aegritudinem, vel per publicas istius ducatus occupationes non posset ad definitum proximi conventus diem ad nos reverti, consultissimum arbitraremur, uti ex literis nostris, quas ad Mtem. suam dedimus, cognoscetis, ut conventus dies prorogetur in id tempus, quo Mtas. sua commode ad nos venire posset. Si autem immutandum id ita Mti. suae non videatur, fecerit Mtas. sua rem commodissimam, si nuntios suos mature huc mittat; nam nisi id tempori faciat Mtas. sua, veremur, ne non conveniant multi, si praesentiant neque Mtem. suam affuturam neque nuntios esse missos. Datum in Kielcze etc.[1])

460. P. Tomicius, eps. Crac., vicecancell., dominis consiliariis Lituanis.[2])

Teki Górskiego, nr. 1001 (własnor. minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 217.
Kod. Sap. VII, 214.

Magnifice domine, amice charissime ac honorandissime. Dolenti ac molesto animo accepi Mtem. regiam adversa valetudine esse correptam, quae licet minime periculosa sit, volui tamen pro debito meo hoc meo nuntio visere Mtem. suam et ingentem animi mei dolorem, quem ex illius aegritudine concepi, illi declarare. Vestram etiam Mgciam. his meis literis viso et rogo illam plurimum, velit me et de Mtis. regiae et de sua bona valetudine per eum ipsum meum nuntium facere certiorem.

Novarum rerum nihil est in praesens apud nos. Rex Joannes concessit ad regnum suum Ungariae, ubi dicitur a suis honorifice esse susceptus, id quod ipse etiam suis literis testatur et scribit, magnam quotidie confluere ad se hominum multitudinem. Scribit praeterea, rebus suis ita exigentibus ultra Ticiam flumen conferre se velle et cum copiis Turcarum sibi confoederatis et amicis se jam junxisse. Commendo me ex animo vrae. Mgciae., quam dnus. Deus cum suis omnibus servet quam diutissime sospitem ac felicem. Datum in Kyelcze die Conceptionis Sanctae Mariae, dominae nostrae, 1528.

[1]) Na marginesie minuty zapisana data: 8 Decembris 1528. Tak samo w kodeksie Karnkowskiego. — [2]) W minucie: Hoc exemplo scribantur literae ad dnos. infrascriptos:

Illustri principi et dno. dno. Constantino duci Ostrowiensi, palatino Trocensi et exercituum Magni ducatus Lituaniae capitaneo generali.

Magnifico dno. dno. Alberto Gastoldo, palatino Vilnensi et Magni ducatus Lituaniae cancellario ac Mosirensi capitaneo.

Magnifico dno. dno. Georgio Radivilo, castellano Vilnensi, marschalco curiae M. d. Lituaniae et Grodnensi ac Lidensi etc. capitaneo.

Magnifico dno. dno. Stanislao Stanislawowycz, capitaneo terrae Samogitiae generali, amico charissimo ac honorandissimo.

W kodeksie Sapieżyńskim list powyższy zaadresowany jest do ks. Konstantego Ostrogskiego, w kodeksie Karnkowskiego do Stanisława Stanisławowicza t. j. do Stanisława Kiszki.

Teki Górskiego nr. 1003 (własnor. minuta Tomickiego).
Kod. Karnk. X, 223.
Kod. Sap. VII, 233.

461. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Joanni Zambocki, aulico et secretario regio.

Generose domine, amice charissime. Fama hic vulgo sparsa est, Mtem. regiam adversa valetudine correptam esse et nequaquam ad conventum Varschoviensem venturam. Quae res nos non mediocri dolore affecit. Optamus enim votis omnibus dominumque Deum precibus nostris indignis assidue fatigamus, ut Mtem. suam servet nobis quam diutissime sospitem et felicem. Quia etiam plane videmus, quod absque praesentia Mtis. suae in tanta rerum omnium confusione, in tanta discordia omnium ordinum regni inter se nihil pro bono et tranquillo statu Reipublicae in futuro regni conventu constitui poterit, cupimus ex animo, ut Mtas. sua ad eundem conventum regni sui veniat, si id per valetudinem suam et res Lithuanicas, quae forte nondum sunt compositae, facere ei licebit. Et ut plenius et certius de his omnibus, h. e. tam de valetudine suae Mtis., quam etiam de illius ad nos adventu scire possimus, mittimus istuc hunc puerum nostrum, cui has literas singularis nostrae erga te benevolentiae testes dedimus ad te perferendas. Rogamusque te, ut per illum et quam bene Mtas. regia valeat et quam spem de illius ad nos adventu concipere debeamus, nobis perscribas. Et bene ac feliciter valeas. Ex Kielcze.[1])

Teki Górskiego, nr. 1003 (minuta własnoręczna).
Kod. Karnk. X. 234.

462. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Joanni Benedicti, canonico, phisico regio.[2])

Venerabilis dne., frater in Christo charissime. Anxii et solliciti existentes de aegritudine Mtis. regiae, qua nunc correpta esse dicitur, et volentes certo experiri, qualiter se habeat sua Mtas. et si dolor sciaticus, qui hactenus Mtem. suam non leviter, ut dicitur, afflixit, sit jam mitigatus nec ne, mittimus istuc hunc puerum nostrum, per quem rogamus vos, scribatis nobis, quam recte valeat nunc Mtas. sua et si adventum illius ad conventum Varsoviensem sperare et exspectare debeamus. Optamus enim votis omnibus et dnum. Deum assidue indigni oramus, ut Mtas. sua sit quam diutissime nobis sospes ac incolumis et ut sua praesentia carere nos diu non patiatur ad conventumqne regni sui venire dignaretur. Nam nos soli absque Mte. sua nihil pro bono et commodo Reipublicae constituere poterimus. Si quid praeterea rerum istic est, quas nos scire oporteat, nobis etiam perscribatis. Et bene valete. Dat.

Kod. Karnk. X, 259.
Kod. Sap. VII, 251.

463. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Jo. Chojenski, archidiacono Crac., secretario.

Venerabilis dne., frater in Christo charissime. Veniens huc nuper ad nos dnus. Andreas Salomon reddidit nobis literas vestras, in quibus quod ea nobis perscripsistis, quae privatim et secreto per nonnullos apud Mtem. regiam aguntur, plurimas vobis agimus et habemus gratias et ut deinceps quoque de ejusmodi rebus nos certiores faciatis, quae nostra

[1]) Na marginesie minuty dopisał Górski datę: die Conceptionis Mariae 1528. — [2]) Całkowita intytulacya w minucie: Venerabili ac eximio artium ac medicinae doctori dno. Joanni Benedicti, Varmiensi et Vilnensi canonico, plebano Bochnensi et phisico regio. — W kod. Karnk.: Joanni Benedicto.

nostra interesse putaveritis, magnopere vos rogamus. Nos etenim hoc vestrum in nos studium, dum sinet occasio, benevolentia et gratificatione nostra vicissim vobis referemus. Quamvis vero non indicaveritis nobis, quis fuerit ille, qui consilium Mtis. regiae exquisivit, an rei temere et inique ab aliis conceptae [1]) adhaerere deberet, nos tamen suspicamur, ex quo fonte haec emanarunt et quantum maxime poterimus, cavebimus insidias malorum et ambitiosorum hominum.

Ceterum consilium Mtis. regiae de transmittenda delegandaque ad externum aliquod judicium controversia, quae inter dnum. Nicolaum Glynski et uxorem relictam Nicolai Salomonis vertitur, singulare et egregium nobis videtur majoremque in modum illud probamus, nam ea ratione potissimum confidimus hanc ipsam controversiam bonum et celerem finem capere posse, domesticos enim judices scimus multum in ea causa inter se dissidere et plus necessitudine aliqua personarum, quam juris aut aequitatis ratione, affici.

Puerum hunc nostrum quantum celerrime poteritis ad nos remittatis, ut cito, quae cupimus, cognoscere possimus. Bene valete. Datum in Kielcze, fer IV prox. post festum Conceptionis S. Mariae, dominae nostrae. Anno domino 1528.[2])

464. Nicolaus Radziwiłł, episcopus Mednicensis, Sigismundum Augustum, regulum, heredem sibi assumit.

Archiwum główne Warszawskie (oryginał).

In nomine Domini Amen. Quoniam ea, quae in humanis geruntur, caduca sunt et momentanea facileque oblivionis obducuntur caligine, nisi literarum ministerio et monimentis posteritatis commendentur notitiae, ad perpetuam proinde rei memoriam: Ego Nicolaus Radywył, episcopus Mednicensis, significo tenore praesentium quibus expedit universis et singulis praesentibus et futuris harum notitiam habituris: Quod ego non vi, metu nec ulla sinistra machinatione neque importunitate aliqua adactus, sed ultro, libere, de mera ac spontanea voluntate mea matureque deliberatus et salubri fretus consilio, attenta singulari et optima erga me gratia serenissimi principis et domini domini Sigismundi, dei gratia regis et magni ducis, domini nostri clementissimi, cupiens ei aliqua ex parte vicissim gratificari eoque firmius gratiam mihi deflexam stabilire, atque per id solitudini coelibatus mei fulciendae providentius consulere, inclitum et amplissimae spei heroëm ipsius serenissimi et clementissimi domini nostri, potentissimum, illustrissimum atque augustissimum dominum Sigismundum . . . . .[3]) dominum hujus Magni ducatus Lithuaniae sibi hereditarii feliciter designatum, mihi in successorem hereditarium assumendum et surrogandum duxi assumpsique et surrogavi ad certa bona mea hereditaria sub districtu Bielscensi in territorio Gory . . . . . .[4]) mihi ibi per divisionem cum fratribus meis habitam perpetuo cesserunt, scilicet Knyschyno, Dolha Luka et Kryppa. Quae quidem bona proxime hic nominata, videlicet civitas cum earum omnium et singularum omnibus curiolis, praediis, agriculturis, villis, tabernis, incolis, advocatis et eorum fundis ac possessionibus seu advocatiis, colonisque censitis et praedialibus atque equestribus . . . . . incolatibus et servitiis, atque quibusvis oneribus debitis omniumque et singulorum cmethonum laboribus, censibus, reditibus et quibusvis fructibus et utilitatibus ab eis provenientibus, nec non cum quinquaginta mansis terrae, quos mihi fratres mei de suis portionibus ibidem proximis ad coëquandam

[1]) W kod. Sapieżyńskim dopisał Górski na marginesie: de adimendis officiis cancellariae Thomicio et Ssidlovicio. — [2]) D. 9. 12. 1528. — [3]) Niezawodnie braknie: Augustum albo regulum. Miejsca opuszczone nieczytelne, bo w dyplomacie zupełnie przetarte na wewnętrznem zgięciu pergaminu. — [4]) sita, quae.

coëquandam eam ipsam partem meam cedere tenentur, aliisque omnibus et singulis bonorum praedictorum . . . . . curiarum, curiolarum ac praediorum et villarum terris, campis, agris, pratis, silvis, nemoribus, mericis, borris, mellificiis, venationibus, aucupiis, piscaturis, lacubus, stagnis, piscinis, fluviis, molendinis actu constructis et construendis eorumque emolumentis et aliis bonorum praedictorum attinentiis, pertinentiis, fructibus et utilitatibus quibuscumque universaliter universis et singulariter singulis generalitate, specialitate non derogante, nec e contra quibuscumque censeantur nominibus, cum totis et integris bonorum ipsorum ambitibus et circuitibus, prout et quemadmodum se in suis limitibus et finibus extendunt, etiam cum jure patronatus ecclesiarum ibi fundatarum et fundandarum, cum omnique alio bonorum ipsorum jure, dominio et proprietate, nihil penitus eorum fratribus aliisque propinquis meis, mihi vero duntaxat possessionem et usufructum eorum plenarium ad tempus finemquae vitae meae reservando, supradicto illustrissimo atque augustissimo domino Sigismundo, Magno duci feliciter designato, domino meo innato successorique mihi surrogato, dedi, concessi, donavi, donatione pura, libera, irrevocabili, obitu meo robur debitum et effectum suum sortitura, per praesentesque do, dono, concedo et inscribo perpetue et aeviterne ita, quod bona ipsa Knyszyno, Dolha Luka et Kryppa cum omnibus suis pertinentiis, cum quinquaginta mansis a fratribus meis, ut praedictum est, parti meae cedendis, post obitum meum illico et immediate ad mensam ducalem ipsius illustrissimi domini Magni ducis devolventur plenarie perpetueque et in aevum. In quorum fidem et testimonium sigillum meum praesentibus est subappensum. Actum et datum Vilnae feria sexta ante festum Sancti Thomae apostoli proxima anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo octavo.[1]) Praesentibus ibidem magnificis et generoso dominis Alberto Gaschtolth, herede in Murata Gieranoyny, palatino Vilnensi cancellarioque Magni ducatus Lithuaniae, capitaneo Bielscensi, Branscensi et Mozirensi, Andrea Jacobi Niemyrowicz, palatino Kyyoviensi, tenutario Swisłocensi, Stanislao Jacobi Skop, sacrae Majestatis regiae . . . . . Skerslomonensi, qui etiam et sigilla sua in evidentius praemissorum testimonium ad petitionem meam dederunt praesentibus appendenda.[2])

Teki Górskiego, nr. 3233 (minuta z poprawkami Tomickiego).
Kod. Karnk. X. 229.
Kod. Sap. VII. 227.

465. P. Tomicius, epus. vicecancellarius, Bonae, reginae Poloniae.

Sacra reginalis Mtas. et dna., domina clementissima. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Mirifice me delectarunt literae Mtis. vrae. proxime mihi ab illa redditae, quod ex illis et Mtem. vram. cum conjuge suo serenissimo, clementissimo meo domino, et illmos. ejus atque charissimos, mihi vero supra modum optatos ac digne colendos liberos, optima frui valetudine esseque incolumes omnes perspexi, tum etiam quod in illis Mtas. vra. serma. celerem sermi. regis et suum ad regnum reditum pollicetur. Qua utraque re mihi neque jucundius quicquam neque optatum magis nuntiari potuit: etenim et valetudo Mtum. vrarum. super omnia est mihi, ut debet, charissima et reditus illarum ad regnum hoc tempore magis quam alias videtur mihi esse opportunus, cum de regni scilicet incommodis et variis impedimentis consuli ac, ut verius dicam, de omni arduorum negotiorum summa tractari et deliberari publice oporteat, ad quae ita obeunda curandaque

[1]) D. 18. 12. 1528. — [2]) Na sznurkach jedwabnych koloru czerwonego cztery pieczęcie zawieszone,

curandaque non tantum valet hic omnium nostrum opera, quantum solius Mtis. regiae autoritas et praesentia prodesse potest. Et sane hoc, quod de adventu suo et regiae Mtis. scribere et polliceri dignata est Mtas. vra. serma. per literas — quae mihi in omnibus rebus praecipuam fidem faciunt — tanto mihi cognitu gratius jucundiusque fuit, quando magis de hoc jam addubitare et desperare aliquantulum coeperam, non mea quidem opinione vel conjectura ductus, quae certe istiusmodi de regia Mte. subire mihi animum non poterat, sed quod ex fama publica et multorum sermonibus crebro idem jam iterari audiebam, quod Mtas. sua constituisse debuerit in animo, ut ab hoc proxime indicto conventu abesset, ac de hoc etiam nonnulli in sponsionem provocare multos dicebantur, ut id, quod se certo scire dicerent, aliis commodius persuadere possent. Quam ego famam cum viderem magna invidia homines excipere et quasi jam de bono pacis desperare, sedulo coepi ex animis illorum contrariam spem illis injiciens abolere. Et Mti. regiae scripsi literas, rogans illam plurimum, ne nos et regnum suum, infinitis impeditum incommodis, ita deserat vacuosque sua sinat esse praesentia et autoritate. Ac et Mtem. quidem vram. summopere rogo et obsecro, ut salutem regni ejus, quantum in se est, tueri et adjuvare dignetur et exhortando et suadendo apud Mtem. regiam efficere, ut ad communem consultationem proximi conventus descendere dignetur, nam alioqui hic solae rixae, contentiones et jurgia inter consiliarios et proceres regni concitabuntur, et pro salubri consilio, quo imbecillis Respublica sublevari sustinerique debeat, publica ad bellum expeditio decernetur, qua nihil dici potest ipsi regno miserius atque magis perniciosum.

Ego cum invalescere jam gravius pestilentiam Cracoviae animadvertissem, in ea loca cum meis fugiens secessi neque hinc quoque prius discedam, quam ad conventus obeundos debuero proficisci. Interea tamen loci operam meam pro more ad Reipublicae negotia curanda expediendaque adhibere non desinam. Mtem. vero vestram memoria colam diligenti et ejus ad nos reditum alacri atque laeto animo exspectabo. Cujus gratiae me et servitutem meam diligentissime commendo felicissimamque et optime cum serenissimo conjuge et liberis suis esse vehementer desidero. Dutum in Kielcze.

466. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 1031 (list własnor. Krzyckiego).
Kod. Karnk. X. 244.
Kod. Sap. VII. 240.
Kod. Kórn. pism Krzyckiego nr. 199.

Rme. mi dne. Venit huc ex Russia quidam non vulgaris ad fratrem suum, qui nonnullorum insignium et singularem habet gratiam et multa novit secreta. Is narravit mihi mira de conspirationibus quibusdam novis; mira quidem non de omnibus, sed de his, de quibus vra. rma. Dtio. nunquam suspicari possit et quos secum quasi unum putat, internuntiis talibus, qualium mores et ingenium maxime probare solet. Turbatus vehementer, quod nusquam tuta fides, volui hoc vrae. rmae. Dtioni. indicare. Nec plura sapienti. Ipsa enim pro sua prudentia et melius ista scire et ubi volet cautius providere poterit, quam ego vel intelligere vel consulere possem. Cui me humiliter commendo. Ex Poltowsko in vigilia S. Thomae 1528.[1]) Servitor Plocensis sst.

Ad manus proprias reverendissimi mei domini Cracoviensis episcopi.

[1]) D. 19. 20. 1528.

Teki Górskiego, nr. 1032 (minuta z poprawk. Tomickiego.)
Kod. Karnk. X, 245.
Kod. Sap. VII, 241.
Kod. Wojcz. nr. 250.

467. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, epo. Plocensi.

Reverendissime in Christo pater et domine, nepos charissime. Plurimas ago et habeo gratias vrae. rmae. Dtioni., quod de conspirationibus quibusdam in Russia factis me admonuerit, de quibus jam ante quoque ego aliquid praesenseram. Ubi vero scribit, eas ipsas conspirationes fieri seu factas esse his internuntiis, quorum ego mores et ingenia maxime probare soleam, id credere non possum. Namque ego prava pro rectis et iniqua pro aequis ingenia vel homines versipelles et callidos, factionum et conspirationum studiosos pro probis ac integris vel amare vel laudare non consuevi; etenim ex tota fere mea recta vita novisse satis potest vra. rma. Dtio., me nunquam in ejusmodi rebus recta et honesta sententia abusum esse, nisi quum forte falli et decipi, quod humanitus evenire solet, judicium meum ab aliquo contigerit. Ac ista quidem omnia, uti uti sunt, fero aequo animo, impedire enim illa non possum. Quae si in lucem quandoque proferentur et ad Reipublicae salutem et commoda pertinere mihi videbuntur, adjungam me illis facile et operam meam ad ea accommodabo non invitus; sin vero minus recta et proba erunt, sententiam meam pro virili tuebor in contrarium. Cetera Deo et principi curanda relinquam, cujus maxime interest Rempublicam incolumem et seditionibus perniciosis vacuam esse. Valeat et sit felix vra. rma. Dtio. et me diligat. Datum in Kyelcze.

[1]) Cognovi ex nonnullorum amicorum meorum literis, quae nuper mihi Vilna sunt allatae, Mtem. regiam ex persuasione nonnullorum consiliariorum regni cogitare a conventu futuro Varsoviae abesse. Quod si ita futurum esset, ego certe mihi persuadeo, paucis omnem consultationem illic absolvi posse; neque enim aliud effici Mte. sua absente vel decerni posset, quam bellica nobilium expeditio sine ulla collatione tributi. Quod tametsi domini saeculares nobis etiam absentibus per se possent statuere, ego tamen me ad conventum illum venire praeparo et accingo, atque ob id jam praemitto meos nuntios Varsoviam, ut ea, quae opus sunt, disponant et procurent opportune. Felicissime valeat.

Archiwum biskupie we Fromborku (A I. fol. 83 b)

468. Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Joanni Flachsbinder Dantisco.

Rnde. domine, amice plurimum honorande. Non mediocrem accepimus voluptatem, cum D. vrae. in has communis patriae nostrae oras reditum cognovissemus. Quem illi inter tanta viarum ac turbulentiarum, quibus totus ferme orbis christianus concutitur, discrimina salvum et incolumem evenisse gratulamur. Quem hic quoque fortunarum ac omnis felicitatis successus ut excipiat, optamus. Ad quod si quid vel nostro calculo adjicere poterimus, ut singulare ad nos refugium habeat, volumus, certoque sibi persuadeat, in eo, quod vel ad honoris vel dignitatis cumulum r. D. v. accedere possit, operam nostram non defuturam. Eandem r. D. v. bene valere cupimus. Datum.

[1]) Następującego ustępu nie ma kodeks Karnkowskiego.

469. Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Ludwico Decio.

Archiwum biskupie we Fromborku (A. 1 f. 89b.)

Venerabilis et praestantissime domine, amice plurimum honorande. Rem monetae istius Prutenae novae, jam tandem adjutore Christo in hoc conventu absolutam, bono et concordi fine terminavimus. Habebit expeditum cursum suum, ab omnibus regiae Mtis. subditis terrigenis ac etiam in civitatibus irrecuse ac citra omnem reluctantiam recipietur et expendetur. Hoc unum nobis visum est reipublicae Prussiacae ac monetario negotio commodum ac bonum fore, ut Dtio. v. omne aurum qualecunque est in ea taxa et aestimatione, quibus a se constitutum est, recipere pergat, et non aliter, ne ejuscemodi nova moneta in ipso initio contemptui sit et exinde ejus cursus praepediatur. Pecunia pro moneta nova ex officina Thorunensi recepta, restantem videlicet centum nonaginta quinque et dimidiam marchas per mgrum. Georgium Zcimmermann, secretarium Thorunensem, Stanislao Morsteller hinc misimus et sic totum, quod debebamus, solvimus. Quod reliquum est D. v. bene valere optamus. Datum Marienburgi 20 Decembris. Anno MDXXVIII.

470. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 1002 (list oryginalny).
Kod. Karnk. X, 242.
Kod. Sap. VII, 238.
Kod. Kórn. pism Krzyckiego, nr. 198.

Rme. mi domine, dne. colendissime. Ago majores quas possum gratias vrae. rmae. Dtioni., quod cum alia multa, tum et ea, quae novissime significavit et consuluit regiae Mti. de conventu nostro, mihi perscribere dignata sit. Et placent mihi omnia, quae in hac re illi consultiora videntur. Ego exhortatus per dnum. Chojenski misi his diebus ad Mtem. suam, visendi et invitandi illam ad me causa, nam et commodius iter hac esset illi faciendum. Suasi multis rationibus, ut ad conventum nostrum venire dignaretur, sed suasi non minus, ne Mtas. sua rebus incompositis illinc discedat, ita ut si utrumque Mtas. sua praestare non posset, alterum potius esset eligendum. Nam mea sententia major accederet animus nostris seditiosis et novatoribus varia moliendi, dominiumque illud in ancipiti penderet, si Mtas. sua id, quod illic agressa est, non transigeret, suasique, ut, si Mtas. sua nequaquam ad nos tam cito venire posset, mitteret nomine suo dnum. Nicolaum[1]), castellanum Gnesnensem, cum aliquo ex dominis Lithuanis, qui et Mtem. suam necessitate illius dominii excusaret, testareturque aliquam erga nos illorum propensionem et ad communem defensionem statuendam nos exhortaretur, ut ea significatione devincerentur aliquo modo nostrorum animi et ad salutaria consilia suscipienda excitarentur. Consulere non ausus sum de producendo ulterius conventu, ne, si quid boni fieri deberet, sero fieret. Tamen, ut dixi, mihi hoc consilium vrae. rmae. Dtionis. valde probatur, quod omnimo utilius est, quam nos absque capite in tanta licentia et rerum motibus consultare et quasi in fluctibus absque nauclero navigare. Unum maxime vereor, ne Mtas. sua nos de adventu suo promissis ducat et interim nos consulere jubeat. Qui si in ea exspectatione moraremur, frustra omne tempus mea sententia in mutuis conflictationibus consumeremus; tamen hoc me solatur, quod audio in his omnibus terris Majoris Poloniae nuntios esse designatos cum insignes tum probos. Ego hic idem pro parte mea curavi et quos volui, designari feci. De turbis,

[1]) W kod. Karnk.: Nicolaum Thomiczki.

De turbis, quae hic exortae erant, ut per me compositae sint, nescio quis tam cito aut quam vere rmae. Dtioni. vrae. significavit. Erat justus ex utraque parte exercitus et ingens in sese fremitus, tamen benignitate Dei ita omnia sopivi, ut volui. De quo nolo plura, nisi ad declarandum vrae. rmae. Dtioni., me nihil perperam egisse, ut quidam calumniati sunt, mitto illi literas capituli mei. De processu etiam in causa praepositurae S. Michaëlis me nihil excessisse, hoc vra. rma. Dtio. testimonium habeat, quod dnus. archiepiscopus praeposituram ipsam domino Gamrato adjudicavit mihique gratias egit amplissimas, quod adversus istas saecularium temeritates me tam intrepide opposuerim neque permiserim hoc initio me et meos in pugnum redigi; dominum vero Lesczinski condemnavit et corripuit acriter de his omnibus, quae adversum me gessit. Supplico itaquae rmae. Dtioni. vrae., ut si non meliorem, parem saltem de his actionibus et innocentia mea habere velit existimationem, nam multa huc scribuntur de hac re aliquibus, quae credere non possum.

Quod vero rmae. Dtioni. vrae. non probatur illa sententia mea: non omnibus temporibus omnia congruere neque patientiam et mansuetudinem semper condúcere et arma interdum ecclesiastico praesidi convenire, producitque exemplum Christi, ut suos apostolos inermes esse voluerit, et relegat me ad divum Ambrosium et alios scriptores ecclesiasticos, ad ea paucis respondendum duxi cum illius bona gratia, non quidem, ut Thrasonicum aliquem bellatorem praestare velim, qui nihil unquam neque bellicum gessi neque gerere velim, nisi eo adigat vel pietas vel necessitas, sed partim reddendae rationis causa de hac, quae in me est fides et sententia, ut vult apostolus, partim quod apprime delector hisce diatribis, quae et ingenium exercent et ad vitam recte instituendam conducunt, neque vram. rmam. Dtionem., cui herbam in omnibus porrigo, sed dominum Maciejowski, novum ac recentem pugilem, ad hanc arenam provoco.

Primum vero, mi rme. dne., non infitior id totum, quicquid de exarmatis apostolis, de patientia et mansuetudine proditum est in scripturis; verum illud infitiari non potest, eundem Christum, qui apostolos prius et pera et baculo exuerat, postea rursus et peram habendam et gladium emendum illis praecepisse, non ut palinodiam caneret, sed ut hac duplici missione duplicem ecclesiae statum designaret. In primo enim voluit suos omni humano praesidio carere, ut fides ejus sola ipsius virtute incrementum sumpsisse videretur, quemadmodum et praemeditandum tunc vetuit, quid ante judices et praesides loquerentur, quum tamen nunc id nemini vitio dari possit, neque tum vel gladio vel pera opus fuisse videbatur, quum omnium omnia essent communia; quamvis et illo tempore Petrus Ananiam et Zaphiram damnavit ae mortem corporis et animae ob defraudatam paucula pecunia ecclesiam. Tantum abest, ut etiam tum neglectui essent cum bona ecclesiae dicata, tum malorum coërtio. In secundo vero statu, ubi noluit, suos totos ex solo divino praesidio dependere, sed niti etiam cura et viribus suis et juxta divinas et humanas leges vitam agere, quemadmodum, ut hoc loco inquit Chrysostomus: qui natare docent, primum manus supponunt et natantes attentius sustentant, postea vero manus subducunt et illos sustentare se ipsos jubent, commisit verbis clarissimis habendas peras et gladios, ut hinc facessant omnes tropi et allegoriae moralisantium, quibus omnia omnifariam interpretari et involvi possunt. Alioquin ecclesia, quae scripturarum habenas tenet et est, ut apostolus ait, columna veritatis, male uteretur et bonis temporalibus, si et gladio illi uti non liceret. Quum enim prohibitus fuit baculus, prohibita fuit simul et pera, proindeque vel utrumque dimittendum esset vel utrumque retinendum. Nunc tamen ecclesia in hoc secundo statue et licite possidet bona temporalia juxta verbum domini et duos habet gladios, a qua saeculares

culares potestates unum accipiunt et illa utroque, quando opus est, utitur. Quodsi hoc illi facere non liceret, tota procul dubio tot saeculis erraret via, quod piaculum est existimare. Quae de patientia et mansuetudine traduntur ab ecclesiasticis scriptoribus, traduntur et ab ethnicis ad frenandam hominum licentiam: ceterum longe aliud est tradere, aliud re ipsa praestare. Christus praecepit alteram maxillam praebendam percutienti, non tamen illud ipse praestitit apud Annam, quod non expedire videbat. Similiter et Paulus apud Ananiam. Et quum Dominus docuerit reum esse gehennae, qui fratri suo dixerit: fatue! apostolus tamen Galatas eadem epistola et fratres et fatuos appellat citra crimen, quod ita res postulabat. Porro non omnis mansuetudo, neque omni tempore conducit, maxime praesidibus, qui non adeo sibi, quam his, quibus praesunt, boni sunt vel mali juxta muneris sui administrationem. Quale autem munus sit praesidum ecclesiasticorum, satis tum Scriptura, tum vel ipsorum insignia declarant. Quid enim designat thiara bicornis aliud, quam utriusque testamenti ad proterendos adversarios scientia? Quid pedum seu baculus pastoralis altera parte incurvus altera ferrea cuspide acuminatus, nisi cum potestatem attrahendi devios non solum verbo et exemplo, sed vi etiam juxta illud: compelle intrare! — tum vero jurisdictionem feriendi et corrigendi quos oportet, ut scriptum est: Reges eos in virga ferrea! Quid denique famulitium, quod amplum praesules ecclesiae et convenit et oportet alere? Num ad ingeniculationes et fruges consumendas potius, quam ad sui et suorum praesidium alitur? Quale autem praesidium est absque telis et armis? Si omnis omni tempore et in omnibus patientia et mansuetudo servari deberet, concideret omnis in divinis et humanis rebus pacis et justitiae ratio, quae tam in coërcendis malis quam in fovendis bonis consistit, proindeque praeses ecclesiasticus recte non thiara solum scientiae, sed etiam baculo coërtionis et quidem acuto est insignitus. Nam ait Hieremias: Maledictus, qui prohibet gladium suum a sanguine! et apostolus ad episcopos et pastores: In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, non pati, dixit. Quare expensis tot diversis sententiis et rationibus scriptorum, quando et quatenus et a quibus litigare, conviciari, punire, belligerare et rursus remittere, benedicere et pati conveniat: necesse est mea quidem sententia ad subtilem illum fratricum syllogismum: Bucella panis frangit jejunium et bucella panis non frangit jejunium — devenire, ut videlicet dicamus: arma ecclesiastico conveniunt et arma ecclesiastico non conveniunt, quemadmodum et medico venenum convenit et non convenit, hoc tanquam salutis ministro, illud tanquam noxiorum humorum purgatori. Nam sicut corpus humanum variis et diversis morbis expositum variis et diversis remediis opus habet, ut aliquando quidem leniri et foveri, aliquando vero secari et uri illud oporteat, ita corpus ecclesiae variis et diversis infirmitatibus partim totum in commune, partim singulatim membra quaelibet obnoxia, variis et diversis remediis indigent. Et medici, qui sunt pastores et doctores testimonio Christi, cum dixit: Sanis non opus esse medico, sed aegrotis, — variis et diversis remediis hoc corpus foveant et medeantur necesse est. Et fit, quando non aliud magis, quam ferrum aut ignis conducat vel ad curandum vel saltem ad praecidendum id, quod putridum est et salutis deploratae. Sic apostolus, quum adhuc gladius saecularis non venisset in potestatem ecclesiasticam, optavit, ut abscinderentur, qui ecclesiam conturbabant. Sic olim, ut taceam veteres, optimi praesules, Andreas Posnaniensis et duo Wladislavienses, pullulantem in regno nostro haeresim propulsarunt, multos insignes partim ad carceres et palinodiam redigendo, partim ferro et igni mulctando. Sic Julius, pontifex, quum tyrannos et sacrilegos delevit, tum scysma perniciosissimum, non a fece cucullaria, sed a summis cardinalibus et episcopis, fautoribus caesaribus et regibus subortum, celerrime sustulit, et ob hoc ab haereticis

ab haereticis adeo sugillatur. Cujus fortitudinem utinam Leo potius, quam suam lenitatem, ne socordiam dicam, in hac nascente ecclesiae calamitate secutus fuisset; non eo loco esset rerum nostrarum summa. Sic neglecta solent incendia sumere vires. Ut semel finiam: quum gladius noster spiritualis adeo nunc hebet, ut non solum contemptui sed etiam deridiculo sit improbis, saecularis vero in communes omnium hostes obtusus adeo in ecclesiam Dei, quam tueri deberet, acuitur, neque sanae doctrinae aut legibus ullis paretur omniaque sursum ac deorsum miscentur, etiam atque etiam affirmo: hoc demum esse tempus, quo censuit Christus ex duabus tunicis unam vendendam et gladium alterum emendum; non enim de uno, sed de duobus dixit. Sufficit. Neque Petrus, quod Malchum percussit, correptus fuit, sed quod non jussus percussit, unde illa comminatio: omnis, qui accipit gladium, nempe qui illum propria voluntate capit et vibrat, non a potestate superiori traditum, quemadmodum et illud: nemo sibi sumat honorem nisi vocatus; alioqui non recte praedixisset Christus: omnes gladio perituros, qui gladio uterentur, quum multi aliter decedunt, ut ait Augustinus. Nec propterea tunc ferire gladio vetuit, quem habere praeceperat, quod nunquam posthac esset feriendum, sed ut, qui offerri voluit, non invitus offerri videretur. De principibus et potestatibus dictum est ab apostolo, quod omnes a Deo et Dei ministri sunt, nec frustra gladium gerunt: nempe ad vindictam malorum et laudem bonorum. Episcopos vero et pontifices esse principes testatur ipse apostolus in Actis. Et David: Constitues eos principes super omnem terram et ministros Dei; idem apostolus vocat: sic nos existimet mundus sicut ministros Dei.

Concludo itaque cum Augustino: nulla instantia praecipientis, sed ratione dispensantis pro temporum diversitate praecepta vel consilia vel permissa mutantur, nullo vero tempore magis, quam quum instat tempestas, velis et remis omnibus esse incumbendum. Det, rogo, veniam vra. rma. Dtio. logis istis longis et inconditis, quibus saltem, quum aliud non est, libet cum illa pro voluptate mea confabulari et nostram disjunctionem solari. Cujus bonae gratiae me ex corde commendo. Ex arce mea Poltoviensi die XX Decembris. Anno domini M. D. XXVIII.

Stor. eps. Plocensis sst.

Reverendissimo in Christo patri et domino, domino Petro, dei gratia episcopo Cracoviensi et regni Poloniae vicecancellario, domino colendissimo.

Teki Górskiego, nr. 1004 (list własnoręczny).
Kod. Karnk. X, 232.
Kod. Sap. VII, 234.

471. Joannes Zambocki, secretarius, P. Tomicio, epo., vicecancellario.

Rme. in Christo pater et domine, domine meus gratiosissime. Post solitas praefationum vanitates etc. Fama, quae istic de adversa valetudine regia vulgo sparsa erat, de qua rma. Dtio. vra. in literis suis ad me scriptis attigit, vera fuit. Defluxerat suae Mti. nescio quid mali in dextram coxam, quod eam adeo cruciabat, ut innixa duobus, rugatissima fronte vix se e lectulo movebat. Durabat malum illud continuum paene mensem. Interea omnes actiones intermissae erant et tam miserabilis rerum facies, ut interregnum esse quispiam suspicaretur. Sed bene consuluit Deus rebus nostris, convaluit sua Mtas. adeo, ut rejuvenisse videatur, sed nihil dubito, quin ex eadem ipsa fama, ex qua de adversa valetudine suae Mtis. bonorum animi consternati erant, rursus bonae valetudini restitutae gratulabuntur. Quantum ad profectionem suae Mtis. ad Varsoviensia comitia attinet, difficile divinatu est, praecipue nobis, qui longe a secretis sumus et nihilominus secretariorum titulo

titulo nos venditamus, tametsi nihil minus sumus. Certum est (non) ante festa natalis Domini, sed neque post festa adeo repente se hinc moturam suam Mtem.; nam motionis ne minimum quidem indicium apparet. Lithuani tam vulgus quam proceres aperte negant iturum regem ad comitia, quin eos, qui iturum existimant, stultitiae palam irrident. Itaque quamquam ego de hisce rebus nihil affirmem, tamen si levi pignore in alterutram partem mihi certandum esset, in ea parte potius pignus opponerem, quae non iturum regem asseverat. Sed ista Deus gubernet. Certiora et veriora intelliget Dtio. vra. rma. tum ex regiis, tum ex dni. archidiaconi literis.

Status rerum Lithuanicarum est talis, ut mihi Maximiliani, caesaris, dictum multum simile vero videatur, ajebat enim: provinciam provincia teruncio uno non esse meliorem, per quod dictum innuere volebat, unamquamque provinciam habere et mala et bona sua peculiaria. In Lithuania, passim clamitant, non esse bonum ordinem, sed in hoc ipso non bono ordine regnant multi et triumphant, qui alioqui vix digni essent, quibus Cossutianarum tabernarum fundamenta crederentur.

De neglectu justitiae etiam lamentantur multi, at hoc ipsum negligi justitiam multis profuit. Itaque, ut ubique terrarum, sic hic in Lithuania divites regnant, pauperes fame pereunt, mediocres mussant, judicant, majoribus se taciti invident — sic se res habent. Ego interim volo nolo contentus esse cogor sorte mea, quae sors qualis sit, nemo sentit, nisi loculus meus.

Rmam. Dtionem. vram. florentem, vegetam, incolumem diutissime et felicissime Deus servet. Ego me ei cum perpetua et constanti ac fideli mea servitute commendo. Data Vilnae XX die Decembris. Anno domini 1528. Ejusdem reverendissimae Dominationis vestrae humilis servus. Jo. Szamboczski, s. R. Mtis.

Reverendissimo in Christo patri et domino, domino Petro, Dei gratia episcopo Cracoviensi et r. P. vicecancellario dignissimo, domino meo gratiosissimo.

472. Valdesius, Caroli caesaris secretarius, Joanni Dantisco.

Kod. bibl. Kórnickiej. II. 96.

Salutem plurimam. Itane hospitibus insalutatis abiisti? videris tamen tibi rem pulchre resarcisse, quod literulas ad me scripseris ex itinere, attamen ni epigramma addidisses, nihil egisses; eo tamen quid non impetrare vel a tenacissimo potuisti? Hac tua abitione nihil certe mihi poterat accidere molestius aut ingratius, nisi quod gaudeam alioquin te ad tuos post diuturnam peregrinationem redire. Gaudebo igitur, te abiisse, quod te diligam? immo quia te diligo, maxime te abire doleo; vides, quam mihi constem; utcumque tamen erit, te abientem nunquam non habiturus sum praesentem si non corpore, saltem animo. Quod solo verbo caesaris contentus discesseris, non est, quid poenitere tibi possit, scio enim et omnino mihi persuadeo, caesarem nihil unquam ea in re mutaturum. Hoc saltem tibi pollicearis: volo te semper Valdesium praesentem habiturum, sive pro te, sive pro principibus suis quidquam mihi injunxeris. Testimonium dignitatis, qua te insignivit caesar, absente cancellario, quem penes sunt sigilla, expedire non potui; quam primum venerit, fiet et ad te ibit. Vale. Toleti 25 Decembris 1528. Tuus, quidquid est, Valdesius.

Clarissimo viro d. Joanni Dantisco, sermi. regis Poloniae oratori.

Kod. Karnk. X, 248.
Kod. Sap. VII, 252.
Kod. Wojcz., nr. 260.

473. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Christofero de Ssidlovec, cast. Crac., cancellario.

Magnifice domine, dne. et amice honorandissime. Heri ad mediam fere noctem puer meus ex Lithuania rediit et fratris ac quorundam amicorum meorum mihi attulit literas; nam regiae et reginalis Mtis. literas, quae mihi fuerunt inscriptae, dnus. Chojenski per imprudentiam nuntio domini epi. Plocensis, qui eodem tempore illinc discedebat, tradidit, quae vero illi debebantur, meus ad me attulit. Quare ego certi nihil de adventu Mtis. regiae ad nos Mgciae. vrae. polliceri possum; quantum tamen ex his amicorum meorum literis perspicere potui, Mtem. suam omnino venturam ad nos hoc tempore non existimo. Id quod Mgcia. vra. ex suis literis, quas per praesentem nuntium illi mitto, melius poterit cognoscere. In qua re quomodocunque succedet, ego sententiam de eundo ad conventum Warschoviensem non muto, quin etiam Mgciam. vram. plurimum rogo, ut illuc ad tempus et mature veniat; convenit enim nos et officio in hac re nostro et mandato Mtis. regiae satisfacere. Et ego quidem intra duos aut ad summum tres dies hinc discedam et ita iter faciam, ut Warschoviam sabbato proximo post festum sanctorum Trium Regum venire possim.

Quod ad dominum subjudicem Sandomiriae attinet, doleo illi negotium tantum in re parvi momenti datum et miror vehementer impotentiam eorum, qui ea, quae non ex arbitrio et sententia sua in conventu nobilitatis libere dicuntur, ad injuriam suam rapere volunt. Ego tamen domino subjudici, quoad ejus fieri poterit, neque consilio neque opera mea deero tum, cum facto opus esse videbitur. Commendo me amori et benevolentiae fraternae Mgciae. vrae., cui ut dnus. Deus tribuat hunc novum annum et alios multos sequentes faustos et felices eamque cum suis omnibus quam diutissime sanam et felicem servet, vehementer desidero. Datum in Bodzanczin vigesima septima Decembris 1528.[1])

Kod. Karnk. X, 243.
Kod. Sap. VII, 239.
Kod. Kórnicki pism Krzyckiego, nr. 200.
Kod. Wojcz. nr. 249.

474. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Andreae Cricio, epo. Plocensi.

Rme. in Christo pater et dne. nepos charissime. Accepi literas vrae. rmae. Dtionis., quibus iterum innocentiam suum excusat circa ea, quae ob tuendum jus domini Gamrati, decani et scholastici ecclesiae suae, suscepta a se fuerunt et acta. Quam excusationem ego uti est, facile admitto et persuaderi mihi facile patior, quamvis neque necessitas ulla exigebat, neque ego, ut apud me fieret, requirebam. Namque ea, quae aliquando de his rebus ad vram. rmam. Dtionem. scripsi, necessitudinis et conjunctionis nostrae mutuae officio eram potius adductus, quam quod vel accusare factum vel actiones ejus instituere dirigereque vellem, praeterea etiam quod gratam rem me facturum Dtioni. vrae. rmae. existimabam, si id, quod mecum dnus. Joannes Lesczinski de illa per literas expostularat, cum illa communicassem. Quod tamen officium meum quo animo vra. rma. Dtio. suscepisse mihi videatur, taceo in praesens, illud certe tacere non possum, quod scribit, ad multos multa istuc

[1]) Datę 27 Decembris mają kod. Karnk. i Sap. Wedle następnego listu Tomickiego do Krzyckiego był Tomicki 28 grudnia jeszcze w Kielcach i miał dopiero nazajutrz wyjechać do Bodzęcina. Datę 27 grudnia zapisał może później na minucie Górski nie dość dokładnie.

istuc scripta esse, ex quibus innuere velle videtur, me alienius aliquid de se et credere et existimare, quam vel virtus ipsius vel dignitas postulare videantur. Tacere, inquam, non possum, nam et ob illa ipsa, quae isthuc scripta esse commemorat, ego incusari jure non possum, cum vanitatis non sum usque adeo studiosus, ut indigna vel dicere vel curare ad injuriam alicujus debeam, et hoc, quod de mea erga se existimatione mihi attribuit vra. rma. Dtio., non ex mea aliqua culpa causam ducit, sed ex se ipsa, quae ex eo, quod vel ipsa diffidit vel ab aliis inique de me suspicantibus audit, argumentum sibi facit in meo erga se amore et officio addubitandi. Quare illam plurimum rogo, ne istiusmodi suspicionibus et hominum voculis amplius abduci se in eam opinionem sinat, ut existimet me aliter de se sentire vel existimare debere, quam et mihi conveniat et ipsa juste mereatur.

De Pawlowski, servitore Dtionis. vrae. rmae., tametsi et alias jam commendationem meam apud dnum. Stanislaum Lanczkorunski, capitaneum Camenecensem, fecerim, faciam tamen et secundo adhuc libenter tam apud illum quam apud alios patronos ecclesiae Osswianczimensis, et scribam, ut optat, ad dnum. scolasticum et vicarium meum Cracoviensem, ut per occasionem cum eisdem patronis, quos nancisci Cracoviae potuerit, meo nomine diligenter pro eo ipso Pawlowski agat.[1])

Restat, ut vrae. rmae. Dtioni. ad ea respondeam, quae prolixo sermone ad comprobandam opinionem suam ad me perscripsit; sed neque tempus hoc ad respondendum singulis satis aptum esse videtur, quum itineris et profectionis ad conventum Varssoviensem suscipiendae cura occupet ac distrahat animum, neque ego etiam aetati meae studium hoc praeexercitamentorum et disputationum conveniens esse putem. Quantum tamen ex summa scripti Dtionis. vrae. rmae. perspicere et colligere possum, nihil est, quod mihi cum illius sententia amplius non conveniat, nisi quod illa armis materialibus ecclesiasticum ordinem uti nonnunquam debere ex doctrina Christi opinetur, ego autem spiritualibus esse utendum ex ejusdem autoris sententia arbitrer. Nam quod ad illud attinet: non omnia temporibus omnibus convenire, tantum abest, ut in contrarium aliquid scripserim, ut maxime etiam putem esse iniquum, opinari quemquam debere in contrarium. Quin etiam et personarum et loci suam habendam esse a viro prudenti et perito rationem, dignum et aequum esse censeo. Adducor autem ego apostolorum exemplo, ut prius scripsi, et sanctorum patrum institutis atque doctrina, ut credam, non ullo ferri genere, sed vitae innocentia, justitia et modestia nos armatos et tutos esse debere. Nam et apostoli ipsi Christi sententiam recte interpretati, relicto ferro, fide, innocentia, mansuetudine et patientia sola sunt semper usi, et patres religionisque nostrae bene instituendae autores non tantum scriptis sunt abunde testati, sed vitae suae documento praeclare ostenderunt, telorum omne genus a professione nostra alienum esse. Utque idem ab omnibus credatur ac observetur, quod illis et doctrina et spiritus rectus cognoscere atque sane intelligere permisit, ecce concilium doctorum praesidium reperit, ut pro ferri usu excommunicationis clipeus et poena ordini nostro defensio fieret. Cui potissimum profani homines propterea reniti jam conantur, quod nostros videant jurisdictionis suae fines egressos in illorum se professionem et actus liberius immiscere. Sed ne non praestare videar, quod initio sum pollicitus, finem his faciam, et permittam Dtionem. vram. rmam. arbitratu suo sacrae Scripturae sententia uti, me certe in ea esse et perseverare jucundum et tutum videtur, quam tanto temporis spatio diligenter colui et servavi.

Ego hinc

[1]) Ustęp ten mają tylko kodeksy Karnkowskiego i Wojczyńskiego.

Ego hinc in crastino S. Thomae Cantuariensis Bodzancinum versus discedo, ubi paulum commoratus ad Islszam proficiscar, inde Varssoviam recta iter faciam.[1]) Cupio felicem esse Dtionem. vram. rmam. et optime incolumem, utque me amet et non amplius de me diffidat, plurimum illam rogo. Ex Kielce die Sanct. Innocentum. Anno domini 1528.[2])

Teki Górskiego nr. 1052 (list własnoręczny).
Kod. Karnk. X, 246.
Kod. Sap. VII. 242.
Kod. Kórnicki pism Krzyckiego, nr. 201.

475. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo., vicecancellario.

Rme. mi. dne., dne. colendissime. Nescio fatone aliquo an occupatione domini Chojenski factum sit, ut literae vrae. rmae. Dtionis. ad me et meae ad illam sint nuntiis nostris traditae; mox igitur expedivi hunc meum puerum ad illam cum ipsis literis et rogo, ut meas mihi remittere dignetur; aperui autem fascem solum, putans in superscriptione illius errorem commissum, sed literas omnes vidi ad rmam. Dtionem. vram. pertinere, quas omnes intactas mitto, solum exemplum legi literarum ad consiliarios, et quantum conjicio, haec res est, quam metui, ne videlicet Mtas. regia ducat nos vana spe adventus sui, unde multi tardius venient et multa alia inconvenientia fient. Non dubito, meas literas ejusdem tenoris esse, itaque oro vram. rmam. Dtionem., ut, si quid illi seorsum sit scriptum, mecum communicare non gravetur. Verum de adventu regio hoc et pueri hic persuasissimum habent, Mtem. suam non venturam esse et ita ex literis aliorum aulicorum conjicio. Oro item vram. rmam. Dtionem., significare mihi dignetur, quo die Warszoviam ingredi dignabitur. Scriptum est mihi ex Szroda inter alia, dnum. castellanum Posnaniensem non venturum et plerosque alios. Utcunque est, ego spero, quod decernemus aliquam aliam defensionem, quam bellum, — quid alii ausuri sint, nescio, verum nos ad bellum nequaquam consentiemus. Mi rme. dne. Quae prius scripsi de malorum conspirationibus et nusquam tutam fidem, idem nunc repeto. Adversus quas pestes nihil conducibilius puto excelso et infracto animo, habeant sibi monachi suas patientias et mansuetudines, quas neque ipsi habent, quando se et sua tueri volunt, neque dubitet vra. rma. Dtio., quin, ubi animum intendere et modico plus acuere dignabitur, totum hoc desiderium peccatorum peribit incidentque in foveam, quam faciunt. Commendo meam servitutem in gratiam vrae. rmae. Dtionis., quam iterum oro, ut, quando et quo die Warsoviam ingredi dignabitur, mihi perscribat, et si quid habeat novi. Ex arce mea Poltoviensi, die Innocentum. Anno dni. 1528.[3])

Stor. Eps. Plocensis.

Reverendissimo meo domino, domino episcopo Cracoviensi et vicecancellario.

Kod. Karnk. X, 247.
Kod. Sap. VII, 243.

476. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, A. Cricio, epo. Plocensi.

Rme. in Christo pater et dne. nepos charissime. Nudius tertius nocte intempestiva puer meus ex Lithuania rediens literas Dtionis. vrae. rmae. pro meis mihi attulit, quas dum ego confidenter et sola tantummodo R m i. nota inspecta, quae in initio inscriptionis collocari solet, resignassem, non prius agnovi non meas esse, quam bona jam primae paginae literarum domini Chojenski parte perlecta, ubi responsionis argumentum ad mearum literarum

[1]) Tak w kod. Karnk. — W kod. Sap.: ubi biduum commorabor, deinde in Ilsam proficiscar, et postmodum illinc Varsoviam recta iter faciam. — W kod. pism Krzyckiego: ubi biduum commoratus recta Varsoviam iter faciam. [2]) D. 28. 12. 1528. — Wszystkie kodeksy mają mylny rok 1529, zam. 1528. — [3]) D. 28. 12. 1528.

rarum rationem nihil facere videbatur. In quam imprudentiam cum errore alieno, non mea culpa me viderem esse deductum, minus id graviter tuli, quam si aliter evenisset, namque satis confidebam, vram. Dtionem. rmam. erroris causa cognita id, quod accidit, boni et aequi consulturam. Decreveram autem ego nuntium meum jam cum hisce literis ad Dtionem. vram. mittere, nisi puer ejus tam opportune advenisset et anticipasset factum meum. Per quem ipsum puerum omnes eas literas, quae ad me fuerunt per errorem allatae, Dtioni. vrae. rmae. remitto et de meis tam celeriter ad me transmissis ago et habeo illi magnas gratias.

Mihi Mtas. regia declaravit voluntatem suam, quod abesse ab hoc proximo conventu nostro omnino velit propter impedimenta negotiorum illius reipublicae Mg. ducatus Lithuaniae, quae, quod magna cura inchoata essent, nollet Mtas. sua relinquere imperfecta. Hanc tamen suam sententiam et voluntatem aperire me adhuc nemini voluit Mtas. sua, fortasse quod metuat, ne non conveniatur a multis ad conventum, si eam praesenserint. Et de hoc quidem, quod alii statuant vel cogitent, plane ignoro, de me equidem hoc certum est mihi consilium, ut omnino vadam Warsoviam et hac ratione et meo officio et mandato Mtis. regiae satis faciam. Quam cito autem Warsoviae sim futurus, sum adhuc incertus, namque itineris mei rationem nondum satis recte cum diebus contuli; sed tamen ita cogito, ut vel tertio vel quarto ad summum die post festum sanctorum Trium Regem Warsoviam applicare possem.

De conspirationibus factis aliquid in eam sententiam, prout scribit vra. Dtio. rma., dnus. Chojenski etiam ad me praesentibus literis perscripsit, quod ego cum aliis tum, cum una erimus, vrae. rmae. Dtioni. communicabo.

De domino Luca de Gorka, cast. Posnaniensi, quod scribit Dtio. vra. rma., ego jam antea quoque cognovi ex ipsius literis, quod scil. cogitet non venire ad conventum, ubi regem non adfuturum intelligat. Ego tamen, si commode potero, meis illum literis exhortabor, ut veniat. Cupio bene et feliciter valere Dtionem. vram. rmam. illamque, ut me amet, plurimum rogo. Datum.[1])

477. Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Sigismundo primo, regi Poloniae.

Archiwum Wiedeńskie (koncept).

Ferdinandus etc. Serenissimo etc. Cum superioribus diebus mater uxoris nobilis fidelis nobis dilecti Georgii, comitis de Montfort, suum, sicut Altissimo placuit, obiisset diem, ab officio nostro alienum minime visum est, uxorem praedictam una cum liberis Serenitati vestrae studiose commendare, cum quod officia et obsequia praefati comitis erga nos et serenissimam domum Austriae nostrae neutiquam obscura sint, tum quod res ipsa aequitate subnixa, favore et promotione nostra digna esse videatur. Idcirco eandem Serenitatem vestram pro nostra in eam affectione et benevolentia inhortamur et rogamus, ut in successione bonorum a matre praedicta relictorum eo officio et autoritate agere velit, quo filiae et liberis antedictis id obvenire et cedere possit, quod jure et merito illis competere dignoscitur, sicut eandem Serenitatem vestram tam nostri quam justitiae intuitu indubie facturam esse confidimus adeo, quod heredes illi intercessionis hujus nostrae suffragium sibi proficuum fuisse experiantur, quod erga eandem Serenitatem vestram pari officio, dum dabitur occasio, promerebimur. Datum apud Sanctum Vitum, 28 Decembris 1528.

[1]) Kod. Sap. ma datę: ex Bodzenczin die XXVII Decembris 1528 — zawcześnie, bo list powyższy jest odpowiedzią na list Krzyckiego z dnia 28 grudnia (nr. 475).

Kod. Karnk. X. 253.
Kod. Sap. VII, 249.

478. P. Tomicius, epus., vicecancellarius, Nicolao de Nisczice, cast. Sieprcensi et capit. Plocensi.

Generose domine, amice charissime. Agimus et habemus vobis magnas gratias, quod nos literis et nuntio vestro visere et id, quod angebat animum vestrum ex narratione Zebrzidowski, perscribere nobis volueritis. Ut autem levemus vos ea sollicitudine et metu, quem de nobis concepistis, sciatis, quod dominus Laski, cum paulo ante ex Turcia rediisset et hinc inde per regnum discurreret, obligans bona sua et undique corradens pecuniam, fertur nobis coram multis hominibus interminatus fuisse, asserens, se de nobis ulcisci velle, quod illum in assequendo capitaneatu Marienburgensi impediverimus. Id quod nos in conventu particulari Prossoviensi palam retulimus et ad omnium, qui ibi tum aderant, notitiam deduximus, ubi tyrannus ille[1]) excusavit quidem illum, sed nihil adversum nos est locutus, nam facile par pari illi retulissemus. Non enim adeo fracti et dejecti animi sumus, ut cedere velimus malevolentium audaciae et improbitati. Et proinde nihil ejusmodi interminationes angularias metuentes Varschoviam nullis externis copiis stipati, sed cum solis duntaxat familiaribus nostris in Dei nomine proficiscimur, quo per oppida Varka et Czirsko iter faciemus et ad diem sabbati proximum illuc Deo bene juvante applicabimus. De capitaneatu Plocensi certo nobis persuademus, Mtem. reginalem nihil facturam esse contra promissa sua, est enim princeps admodum constans in verbis et promissis suis. Quare estote bono animo et valete feliciter. Datum in Ilza 1528.[2])

Kod. Sap. VII. 104.
Kod. Wojcz., nr. 352.

479. P. Tomicius, epus. Crac., vicecancellarius, Bonae, reginae Poloniae.[3])

Serma. princeps et domina, dna. clementissima. Post humilem servitutis meae commendationem. Ingentes ago et habeo Mti. vrae. sermae. gratias, quod me literis suis gratiosissimis invisere fuerit dignata, quam ego illius in me benignitatem omni diligentia, studio, observantia denique mea singulari curabo perpetuo promereri. Quod autem me hortatur Mtas. vra. serma., ut in hac rerum perturbatione consilio meo rempublicam adjuvarem, et mea sponte et Mtis. vrae. sermae. ductus monitis dabo diligentem operam, ut, quae a me ex longa adhuc aegritudine languenti praestari possint, non diu desiderentur. Plane calamitates ejus temporis ita sese consequuntur, ut alia ex alia nasci et una trudere alteram videatur. Ecce enim vix adhuc sedatis ex casu sermi. regis Joannis hominum animis nova et miserabilis calamitas Cracoviae est exorta, ubi et urbis magna pars et aedes sacrae plurimae et hominum praeterea magnus numerus igne perpetuo conflagrarunt. In his ego tamen rebus, prout fert temporis ratio, opto plurimum Mtem. vram. forti et libero esse animo et in dies meliora sperantem vivere felicem cum serma. regia Mte. et liberis itidem suis sermis., cui ego me et servitutem meam iterum plurimum commendo. Datum in Bodzanczyn, die secunda Maji.[4])

[1]) W kod. Karnkowskiego dopisek Górskiego: Andreas de Tanczin, palatinus Cracoviensis; — w kod. Sap. dopisek tegoż: Andreas de Tenczin, palat. Crac., fautor Laskiorum, Tomicii insidiator. — [2]) Tak w kod. Sap., — w kod. Karnk.: in Islsa etc. List ten prawdopodobnie pisany był już na początku r. 1529, umieszczamy go jednakże tutaj, ponieważ mają go oba kodeksy z r. 1528. — [3]) List powyższy winien był przyjść po numerze 239. — [4]) Datę ma tylko kod. Wojcz.

480. Joannes Zambocki P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Teki Górskiego, nr. 2912 (list własnoręczny). [1])

Reverendissime dne., dne. gratiosissime. Post vulgatas illas fictasque nugas, servitutes videlicet et commendationes etc. Germani negotiatores propter ineptum hoc, quod mihi cum eis perpaucum est linguae Germanicae commerciolum, tum etiam quia me in curia in ampla toga volitari vident, existimant me aliquid esse, atque ita mihi molestia exhibere non cessant, quin meam sibi operam expetant. Ego vero non aliter, quam illa Oratiana aut Aesopica ranuncula, volens tantae opinioni eorum de me conceptae respondere, inflor atque intumesco, ut — nisi tempestive desinere vellem — crepandum mihi esset. Haec eo tendunt: heri post discessum rmae. Dtionis. vrae. circiter horam secundam venit ad me e Thorunio famulus Campe, is qui has meas literas fert, meam opem implorans, ut videlicet literas ad regem Daniae apud rmam. Dtionem. vram. obtinerem; quid autem in re sit, ex exemplo literarum regis Daniae, quas Gdanensibus misit, quarumque exemplum mitto, tum etiam ex relatione ejusdem famuli Campe rma. Dtio. vra. intelliget. Rogo eandem, ut ex stulto insanus fierem, hoc est ut isti ipsi sentiant meam operam apud rmam. Dtionem. vram. sibi prodesse ita, ut literas ad regem Daniae ei negotio servientes reportent.

Dnus. castellanus Posnaniensis, quem ego semisomnis in multam noctem exspectavi, tandem circiter noctis medium ex Suleyow rediit; oblique nimium et perplexe respondebat, hinc vereor, ne quid Andria apportet mali etc., permittenda sunt vela ventis. Nudus egressus sum de utero matris etc. Hodie (si deus volet) ad domunculam meam proficiscar. Vestra rma. Dtio. felicissime valeat. Petrikoviae, feria 4 . . . .[1])

Szamboczki.

[1]) Na marginesie uwaga: Jocosa commendatio. — [2]) Róg listu, gdzie była data, oddarty. Przypuszczam, iż pisany był w r. 1528 po zamknięciu sejmu Piotrkowskiego, w końcu lutego, nazajutrz po wyjeździe Tomickiego do Radomia.

480. Joannes Zamboski
P. Tomicio, epo. Crac., vicecancellario.

Reverendissime dne, dne, gratiosissime. Post vulgata illa fictaque nugas, scriptutes vi-
delicet et commendationes etc. Germani negotiatores propter inopiam hoc, quod mihi
cum eis perpaucum est linguae Germanicae commercium, tum etiam quia in curia in
ampla toga volitari vident, existimant me aliquid esse, atque ita mihi molestia exhibere
non cessant, quin meam sibi operam exoptant. Ego vero non aliter, quam illa Oratiana
aut Aesopica rannucula, volens tantae opinionis eorum de me conceptae respondere, infor-
atque intuniesco, ut — nisi tempestive desinere velim — crepandum mihi esset. Haec co
tendunt: heri post discessum rmae. Dnionis, vrae, circitor horam secundam venit ad me
e Thorunio famulus Campo, is qui has meas literas fert, meam opem implorans, ut vide-
lect literas ad regem Danie apud meam Dnionem, vram obtinerem; quid autem in re
sit, ex exemplo literarum regis Dabiae, quas Gdanenses misit, quarumpie exemplum
mitto, tum etiam ex relatione ejusdem famuli Campo rmi Dnio vra intelliget. Rogo
eandem, ut ex studio nostro, hoc est ut isti ipsi sentiant meam operam apud
rmam Dnionem vram, sibi prodesse ita, ut literas ad regem Danie et negotio servientes
reportent.

Dnus castellanus Posnaniensis, quem ego sensissem in multam noctem exspectavi, tandem
circiter noctis medium ex Salsyow rediit; oblique nimium et perplexe respondebat, hinc
vereor, ne quid Andria apporter mali etc., permutanda sunt vela ventis. Nudus egressus
sum de utero matris etc. Hodie (si deus volet) ad dominicam meam proficiscar. Ve-
stra rma Dnio, felicissime valeat. Petrkovine, feria [illegible].

Szamboscki.

[illegible] Dzwskiego, ma zyta
(Ilk. w Mamorzeszy k.)

[illegible]

[illegible]

[illegible]

SPIS DOKUMENTÓW.

Series actionum, legationum, epistolarum etc., quae in hoc decimo tomo continentur.

		Pagina.
	Anni Domini MDXXVIII memorabilia	1
1.	Comitia regni Poloniae indicta *Piotrcoviae,* d. 25. 11. 1527	5
2.	Quitantia Severini Boner. — *Piotrcoviae,* d. 29. 11. 1527	—
3.	P. Tomicius, epus. etc. et Christ. de Szydłowiec, castell. Crac., Alberto, duci Prussiae	6
4.	Albertus, dux Prussiae, Sigismundo primo, regi Poloniae. — *Orthelsburg,* d. 29. 11. 1527	7
5.	— — Christophoro Szydłowiecki, castell. Crac. — *Orthelsburg,* d. 29. 11. 1527	9
6.	Joannes Dantiscus (Nicolao Carminiano). — Burgos, d. 2. 12. 1527	—
7.	Summa legationis voievodae Valachiae, coram Sigismundo, rege, dictae	10
8.	Legatio a Petro, voievoda Valachiae, ad Sigismundum, regem Poloniae	11
9.	Instructio a duce Prussiae data legato ad conventum Petricoviensem misso	12
10.	Literae Sigismundi, regis, ad capitaneos, regno Hungariae viciniores. — *Piotvcoviae,* d. 10. 12. 1520	13
11.	Literae Sigismundi, regis, ad magnificum Petrum Kmita de Visnicze, curiae marsalcum. — *Piotrcoviae,* d. 10. 12. 1527	—
12.	Erasmus Roterodamus, Petro Tomicio, epo. Crac. etc. — *Basileae,* d. 12. 12. 1527	14
13.	Sigismundus I., rex Poloniae, Alberto, duci Prussiae. — *Piotrcoviae,* d. 18. 12. 1527	—
14.	Christophorus Szydłowiecki, castell. Crac., Alberto, duci Prussiae. — *Piotrcoviae,* d. 18. 12. 1527	15
15.	Mandatum universale ad omnes incolas ducatus Masoviae, ut d. 8 Januarii ad conventum generalem Varschoviam conveniant. — *Piotrcoviae,* d. 18. 12. 1527	17
16.	P. Tomicius, epus. etc. Bonae, reginae Pol. — *Piotrcoviae*	18
17.	— — Nicolao Tomicki, Pisdrensi, Coninensi capit. etc.	—
18.	Bona, regina Pol. — Joanni Dantisco, regio et suo apud caesarem oratori. — *Radomiae,* d. 20. 12. 1527	19
19.	Joannes Dantiscus — Scipioni de Summa. — *Burgos,* d. 20. 12. 1527	20
20.	Summa legationis a duce Prussiae — ad Sigismundum I., r. P.	21
21.	Responsum a Sigismundo, r. P., ad legationem Alberti, ducis Prussiae	22
22.	Sigismundus I., r. P., Mauritio, epo. Varmiensi. — *Piotrcoviae* d. 5. 1. 1528	23
23.	P. Tomicius, epus. etc., Mauritio, epo. Varmiensi. — *Piotrcoviae*	—
24.	Sigismundus I., r. P., senatui Gedanensi, 1527	24
25.	P. Tomicius. epus. etc. — Philippo Bishoff, burgrabio et proconsuli Gedanensi, 1527	25
26.	Sigismundus I., r. P., magistro Cruciferorum Lagoviensi	—
27.	— — Joachimo, marchioni Brandenburgensi	26
28.	— — Elisabethae, marchionissae Brandenburgensi	—

		Pagina.
29.	P. Tomicius, epus. etc., consuli Gedanensi, Eggerdo de Kempen. 1527	27
30.	Sigismundus I., r. P., domino Persteinski. — *Piotrcoviae*	—
31.	Legatio a Sigismundo, r. Pol., ad Masoviam data Joanni Latalski, epo. Posnaniensi, et Andreae Nisczczki, palat. Plocensi	28
32.	Sigismundus I., r. P., Joanni de Latalice, epo. Posn., et Andreae de Niszczice, palat. Plocensi, etc. — *Pietrcoviae*	29
33.	Mathias, epus. Cujaviensis, Mauritio, epo. Varmiensi. — *Piotrcoviae*, d. 31. 12. 1527	—
34.	Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Sigismundo I., r.. P. — *Heilsberg*. d. 3. 1. 1528	31
35.	Sigismundus I., r. P., Joanni Baliński, thesaurario Prussiae	—
36.	— — consiliariis Prussiae, pro conventu Elbingensi agendo	32
37.	— — Alberto, duci in Prussia	33
38.	Instructio oratori regio ad conventum Elbingensem (fer. II. prox. post festum Purificationis S. Mariae 1528)	—
39.	Mandata regia ad proconsules et consules civitatis Gdanensis, per Joannem Balinski referenda	35
40.	De provisione castrorum et civitatum in Prussia. Sigismundus, r. P., Joanni de Lusianis, palat. Culm. etc. et Nicolao Działyński, castell. Culm. etc., et Georgio de Conopath, palat. Pomer. etc. et Achatio Czemae, succamer. Pomer. etc. 1528	37
41.	Responsum a. Sigismundo, r. P., datum Statilio, oratori Joannis, r. Ungariae, in *Piotrkow.* 8. 1. 1528	—
42.	P. Tomicius, epus. etc., Joanni, regi Ungariae. — *Piotrcoviae* 1528	38
43.	Mauritius Ferber. epus. Varmiensis, Sigismundo I., r. P. — *Heilsberg* d. 10. 1. 1518	39
44.	— — epus. Varmiensis, Christophoro de Szydłowiec, castell. Crac. — *Heilsberg,* d. 10. 1. 1528	—
45.	Sigismundus I., r. P.. consiliariis et officialibus et nobilitati Prussiae. — *Piotrcoviae* d. 10. 1. 1528	41
46.	Episcopi et senatores regni Pol. proceribus et nobilitati Prussiae, *Piotrcoviae,* d. 10. 1. 1528	42
47.	Joannes Dantiscus, orator, Bonae, reginae Pol. — *Burgos,* d. 10. 1. 1528	43
48.	— — orator apud caesarem, Sigismundo, I. r., P. — *Burgos,* d. 11. 1. 1528	45
49.	Responsum a caesare Carolo V. datum oratoribus regis Gallorum, 1. 1. 1528	49
50.	Joannes Dantiscus, (L. Aliphio) — Burgos, d. 11. 1. 1528	51
51.	Mathias, epus. Cujaviensis, Mauritio, epo. Varmiensi. — *Piotrcoviae,* d. 12. 1. 1528	52
52.	Sigismundus I., r. P., episcopis, palatinis, consiliariis Prussiae. — *Piotrcoviae,* d. 17. 1. 1528	—
53.	Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, P. Tomicio, epo. Crac. — *Heilsberg,* d. 19. 1. 1528	53
54.	Jaroslaus Łaski, palat. Siradiensis, Sebastiano Branicio, canon. Lovicensi. — *Constantinopoli,* d. 23. 1. 1528	54
55.	P. Tomicius, epus. etc. Mauritio, epo. Varmiensi. — *Piotrcoviae,* d. 24. 1. 1528	55
56.	Sigismundus I., r. P., Mauritio, epo. Varmiensi. — *Piotrcoviae,* d. 24. 1. 1528	56
57.	— — Clementi VII. summo pontifici. — *Piotrcoviae,* d. 14. 1. 1528	57
58.	Episcopi regni Poloniae — Clementi VII. summo pontifici. — *Piotrcow,* d. 28. 1. 1528	—
59.	Sigismundus I., r. P., archiepo. Upsalensi	58
60.	— — epo. Lincopensi	59
61.	P. Tomicius, epus. etc., epo. Lincopensi	—
62.	Mathias, epus. Cujaviensis, Mauritio, epo. Varmiensi. — *Piotrcoviae,* d. 25. 1. 1528	60
63.	Sigismundus I, r. P., Joachimo, marchioni Brandenb. — *Piotrcoviae,* d. 27. 1. 1528	—
64.	Joannes Dantiscus — Sigismundo I, r. P., — *Burgos,* d. 29. 1. 1528	61
65.	Responsum a Sigismundo, r. P., Francisco de Frangepanibus, archiepo. Colocen. et Stephano Verbetio, cancell. r. Ungariae. — *Piotrcoviae.* — Januarii 1528	65
66.	Responsum a r. Sigismundo datum Stephano Broderico, epo. Sirmiensi, etc.	—
67.	Sigismundus I, r. P., Clementi VII, pontifici maximo	66
68.	P. Tomicius, epus. etc. Joanni Karnkowski, electo epo. Premisliensi	67
69.	Sigismundus I, r. P., Jacobo Tornay, Ungaro	68
70.	P. Tomicius,. epus. etc. Stephano Verbetio, cancellario regni Ungariae	—

		Pagina.
71.	Joannes, r. Ungariae, etc., Sigismundo I, r. P. — *Debreczen,* d. 5. 2. 1528	68
72.	Decreta et constitutiones Piotrkoviensis conventus a. dni. 1528. — *Piotrcoviae,* d. 15. 2. 1528	69
73.	Constitutio et ordinatio facta de suscipiendis militibus mercenariis ad praesidia terrarum Russiae. — *Piotrcoviae,* d. 17. 2. 1628	74
74.	Ordinatio de permutanda et abolenda moneta Swidnicensi et in aliam monetam grossorum majorum transcudenda. — *Piotrcoviae,* d. 17. 2. 1528	76
75.	Literae universales contra monetam Swidnicensem. — *Radom,* d. 26. 2. 1528	78
76.	Cusio aureorum Polonicorum. — *Piotrcoviae,* d. 17. 2. 1528	81
77.	Literae universales contributionis Czopowe. — *Piotrcoviae,* d. 19. 2. 1528	82
78.	Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. etc.	84
79.	— — epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. etc. — *Piotrcoviae*	—
80.	— — epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. etc.	—
81.	— — epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. etc. Ex taberna *Wolboriensi,* d. 19. 2. 1528	85
82.	Sigismundus I, r. P., Erasmo Roterodamo. — *Piotrcoviae,* d. 19. 2. 1528	86
83.	P. Tomicius, epus. etc. Erasmo Roterodamo. — *Piotrcoviae,* d. 20. 2. 1528	87
84.	Joannes Dantiscus, Sigismundo I, r. P. — *Burgos,* d. 20. 2. 1528	—
85.	— — Bonae, reginae Pol. — *Burgos,* d. 20. 2. 1528	90
86.	— — P. Tomicio. — *Burgos,* d. 20. 2. 1528	93
87.	Responsum a Sigismundo I, r. P., oratoribus Ferdinandi, r. Ungariae etc.	94
88.	— — — oratoribus Joannis, r. Ungariae	97
89.	Sententia r. Sigismundi occasione certae insinuationis et infamationis quorundam nobilium ducatus Masoviae de vita ducali. — *Piotrcoviae,* d. 20. 2. 1528	98
90.	Literae conventuales ad primores ducatus Masoviae	99
91.	Sigismundus I, r. P., capitaneis ducatus Masoviae	100
92.	Legatio a Sigismundo I, r. P., ad conventum ducatus Masoviae in Varssevia indictum	101
93.	Literae universales de custodiendis et occludendis itineribus in Slesiam. — *Piotrcoviae,* d. 20. 2. 1528	103
94.	Literae ad capitaneos pro retentis contributionibus anni praeteriti 1527 extrahendis. — *Piotrcoviae,* d. 20. 2. 1528	105
95.	Sigismundus I, r. P., exactoribus contributionum a. praet 1527. — *Radom,* d. 26. 2. 1528	106
96.	Legatio ad conventus particulares post generalem Piotrcoviensem conventum ad hoc indictos, ut in iisdem particularibus decreta generalis conventus approbarentur	—
97.	Sigismundus I, r. P., Clementi VII, pontifici maximo. — *Piotrcoviae*	108
98.	— — Cardinali protectori regni Pol. — *Piotrcoviae*	109
99.	P. Tomicius, epus. etc., Cardinali S. Quatuor, protectori regni Pol. — *Piotrcoviae*	110
100.	— epus. etc., Jacobo Ssutz, praeposito Vielunensi, etc.	111
101.	Responsum a Sigismundo I, r. P., nuntiis Gdanensium datum	112
102.	Legatio a Sigismundo I, r. P., ad Jon Petrum, vojevodam Valachiae, datum Stanislao de Chodecz, marsalco regni Poloniae	113
103.	Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac.	115
104.	Sigismundus I, r. P., Joanni Dantisco, secretario et oratori. — *Radom,* d. 28. 2. 1528	—
105.	Literae fidei publicae Dantisco datae. — *Radom,* d. 1. 3. 1528	116
106.	Bona Sfortia, regina Pol., Joanni Dantisco oratori. — *Radom,* d. 2. 3. 1528	—
107.	— — — Sigism. Loffredo, cancellario. — *Radom,* d. 2. 3. 1528	117
108.	P. Tomicius, epus. etc., Christophoro de Szydłowiec, castell. Crac. etc. — *Radom,* 1528	—
109.	— epus. etc., Laur. Praszmowski, cast. in Czersk	118
110.	Andreas Cricius, epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc.	119
111.	P. Tomicius, epus. etc., Andreae Cricio, epo. Ploc. — *Radom,* 1528	—
112.	— epus. etc., Joanni Baliński, cast. Gdanensi	121
113.	Inhibitio, ne milites ad externam militiam cant. Sigismundus, r. P., capitaneis terrarum	122

		Pagina.
114.	Literae ad capitaneos de publicandis literis edictorum. — *Radom,* d. 4. 3. 1528 . .	122
115.	Sigismundus I, r. P., Sigismundo Erberstein, oratori r. Ferdinandi etc. — *Radom,* d. 5. 3. 1528	123
116.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo Erberstein, oratori etc. — *Radom,* d. 5. 3. 1528 . .	—
117.	— epus. etc., Josto Ludov. Decio, consuli Crac. — *Radom,* d. 5. 3. 1528 . .	124
118.	Sigismundus I, r. P., Clementi papae VII. — *Radom,* d. 6. 3. 1528	—
119.	— — Cardinali S. Quatuor, protectori. — *Radom,* d. 6. 3. 1528 . . .	125
120.	P. Tomicius, epus. etc., Cardinali S. Quatuor, protectori, etc. — *Radom,* d. 6. 3. 1528	—
121.	Sigismundus I, r. P., Andr. Gritti, duci Venetarium. — *Radom,* d. 6. 3. 1528	126
122.	P. Tomicius, epus. etc., Joanni Chojenski, archidiacono Crac. etc.	—
123.	Sigismundus I, r. P., Cardinali S. Quatuor, protectori	127
124.	Instructio per Steph. Brodericum conscripta, secundum quam legatio a rege Pol. mitteretur ad Ferdinandum	129
125.	Sigismundus I, r. P., Joanni, regi Ungariae	133
126.	Legatio a Sigismundo I, r. P., ad Ferdinandum, regem Ung. etc., quam P. Opalenicki obivit	134
127.	Legatio a Sigismundo I, r. P., ad conventum principum Germaniae, quam P. Opalenicki obivit	136
128.	Sigismundus I., r. P., Georgio, duci Saxoniae	139
129.	Legatio a Sigismundo I., r. P., ad Joannem, regem Ungariae, quam Stan. Tarło, can. Crac. etc. obivit	—
130.	Sigismundus I., r. P., palatinis terrarum singulatim pro continuatione taxationis fundorum. — *Radom,* d. 4. vel 5. 3. 1528	142
131.	P. Tomicius, epus. etc., Andreae Cricio, epo. Ploc.	143
132.	Andr. Cricius, epus. Ploc., Guardiano Warssowiensi et fratribus ejus. 1528	—
133.	Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Capitulo Warmiensi. — *Heilsberg,* d. 9. 3. 1528 .	144
134.	P. Tomicius, epus. etc., Nicolao de Szydłowiec, cast. Sandomiriensi, etc.	—
135.	— — Lucae de Gorca, cast. Posnaniensi, etc..	—
136.	— — Lucae de Gorca, cast. Posnaniensi. — Ex arce *Bodzanczinensi* . .	145
137.	— — Andreae Cricio, epo. Ploc.	146
138.	— — Sigismundo I., r. P., ...	147
139.	Franciscus de Frangepanibus, archiepus. Colocensis, P. Tomicio, epo. etc. — *Camenecz,* d. 17. 3. 1528	148
140.	Andr. Cricius, epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc. — *Poltowii,* d. 17. 3. 1528	149
141.	Ferdinandus, rex Ungariae, etc. Christophoro de Szydłowiec, cast. Crac. etc. — *Viennae* d. 19. 3. 1528	—
142.	Ferdinandus, rex Ungariae etc. Sigismundo I., r. P., — *Viennae,* d. 20. 3. 1528 . . .	150
143.	Andr. Cricius, epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc. — *Pultowii,* d. 20. 3. 1528	151
144.	— epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc. — *Poltowii,* d. 20. 3. 1528	152
145.	Joannes, rex Ungariae, P. Tomicio, epo. etc. — *Kamenecz,* d. 22. 3. 1528	153
146.	P. Tomicius, epus. etc. Ottoni de Chodecz, palat. Sandomiriensi etc.	—
147.	Salvus conductus pro oratore regis, ad caesarem Turcorum ituro, Constantinopoli d. 22. 3. 1528	154
148.	Instructio in Turciam magco. Joanni de Tanczin, cast. Lublinensi, data 1528 . . .	155
149.	Instructio ad vojevodam Moldaviensem, magco. Joanni de Tanczin, cast. Lublinensi, data	158
150.	Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Sigismundo, r. P. — *Elbingi,* d. 23. 3. 1528 . .	159
151.	— — — Christophoro Szydłowiecki, cast. Crac. — *Elbingi,* d. 23. 3. 1528	160
152.	P. Tomicius, epus. etc., Franc. de Frangepanibus, archiepo. Colocensi. — Ex arce *Bodzanczinensi,* d. 24. 3. 1528	161
153.	Ferdinandus, rex Ungariae etc., Sigismundo I, r. P. — *Viennae,* d. 25. 3. 1528 . . .	—

			Pagina.
154.	Salvus conductus Hungariae regi Joanni datum 1528, rege in magno Lithuaniae ducatu existente. — *Merecz,* d. 25. 3. 1528		162
155.	Andr. Cricius, epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc. — *Poltowsko,* d. 26. 3. 1528		163
156.	Joannes Dantiscus — Sigismundo I, r. P. — *Madrit,* d. 27. 3. 1528		164
157.	— —	Bonae, reginae Pol. — *Madrit,* d. 27. 3. 1528	165
158.	P. Tomicius, epus. etc.,	Sigismundo I, r. P.	166
159.	— —	Joanni Chojeński, archidiac. Crac. etc.	167
160.	— —	Joanni, regi Ungariae. — Ex arce *Bodzancxinensi,* d. 29. 3. 1528	168
161.	— —	Antonio Rinconi, Galliarum regis oratori etc. — *Bodzancxin,* d. 29. 3. 1528	—
162.	P. Tomicius, epus. etc.,	Statilio, praepos. Budensi	169
163.	— —	Bonae Sfortiae, reginae Pol. — *Bodzancxin*	—
164.	Ferdinandus, rex Ungariae etc.,	Sigismundo I, r. P. — *Znoymae,* d. 29. 3. 1528	170
165.	— —	Bonae, reginae Pol. — *Znoymae,* d. 29. 3. 1528	171
166.	— —	Sigismundo, r. P. — *Znoymae,* d. 29. 3. 1528	172
167.	P. Tomicius, epus. etc.,	Nicolao Bedleński, scholastico etc.	173
168.	— —	Joanni Bonero, consuli Crac. etc.	—
169.	Sigismundus I, r. P.,	Ferdinando, regi Ungariae, etc. — *Vilnae,* d. 1. 4. 1528	—
170.	Andr. Cricius,	Joanni, regi Ungariae. — *Poltowsko,* d... 4. 1528	174
171.	Clemens papa VII venerabilibus fratribus, archiepo. Gnesnensi ac Cracoviensi, Wladislaviensi, Posnaniensi, Plocensi ac dilecto filio Joanni Premisliensi, epis. Ex urbe *Veteranensi,* d. 3. 4. 1528		—
172.	Andr. Cricius, epus. Ploc.,	P. Tomicio, epo. etc. — *Poltovii,* d. 3. 4. 1528	176
173.	P. Tomicius, epus. etc.,	Stephano Broderico, epo. Sirmiensi	—
174.	— —	Lucae de Gorca, cast. Posnaniensi etc. — *Bodzancin,* d. 4. 4. 1528	177
175.	— —	Nicolao Żukowski, praepos. Varsoviensi. — *Bodzanczyn*	178
176.	— —	Sigismundo I, r. P. — *Bodzanczyn,* d. 7. 4. 1528	—
177.	— —	Sigismundo I, r. P. — *Bodzanczyn*	179
178.	— —	Achatio Czemae, succamerario Pomeraniae	—
179.	Mauritius Ferber, epus. Warmiensis,	Capitulo Warmiensi. — *Heilsberg,* d. 7. 4. 1528	180
180.	P. Tomicius, epus. etc.,	Sigismundo I, r. P. — *Bodzanczin*	—
181.	— —	Joanni, regi Ungariae. — *Bodzanczin,* d. 9. 4. 1528	181
182.	— —	Joanni Statilio, praepos. Budensi, etc. — *Bodzanczin,* d. 9. 4. 1528	—
183.	— —	Alberto, marchioni Brandenb. etc. — *Bodzanczin,* d. 10. 4. 1528	182
184.	— —	Christofero de Szydłowiec, cast. Crac. etc. — *Bodzanczin,* d. 10. 4. 1528	183
185.	Denuntiatio belli in Ungaria, per Hieronymum Laski, pal. Siradiensem. In regno Transalpino, d. 10. 4. 1528		184
186.	Hieron. Laski, palat. Siradiensis, Ferdinando, regi Ungariae etc. (belli denuntiatio). *Targowiszcze,* d. 10. 4. 1528		185
187.	P. Tomicius, epus. etc.,	Petro Opalenicki, cast. Mezirecensi. — *Bodzanczyn,* d. 11. 4. 1528	186
188.	— —	Christoforo Szydłowiecki, cast. Crac. etc.	187
189.	— —	Stephano Viszeński, capit. Kielcensi. — *Bodzanczin,* 1528	—
190.	— —	Andreae Cricio, epo. Ploc.	—
191.	— —	Christ. de Szydłowiec, cast. Crac. etc. — *Bodzanczin,* d. 12. 4. 1528	188
192.	— —	Joanni de Tarnow, pal. Russiae, etc. — *Bodzanczin,* d. 12. 4. 1528	189
193.	— —	Jo. Chojeński, praepos. Posnaniensi, etc. — *Bodzanczin,* d. 12. 4. 1528	—
194.	— —	Andreae Cricio, epo. Ploc. — *Bodzanczin,* d. 13. 4. 1528	—
195.	— —	Sigismundo I., r. P. — *Bodzanczin,* d. 13. 4. 1528	190
196.	— —	Bonae, reginae Pol.	191
197.	— —	Jo. Chojeński, archid. Crac. etc. — *Bodzanczin,* d. 13. 4. 1528	—
198.	— —	Achatio Czemae, succamerario Pomeraniae etc.	192

		Pagina.
199.	P. Tomicius, epus. etc., Paulo Crassowski, praepos. omnium Sanctorum etc. — *Bodzanczin*, d. 14. 4. 1528	193
200.	Hieronymus Łaski, palat. Siradiensis, Sigismundo I., r. P., — *Targowiscze*, d. 14. 4. 1528	194
201.	Andr. Cricius, epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc. — *Poltowii*, d. 15. 4. 1528	195
202.	— epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc. — *Poltowii*, d. 15. 4. 1528	196
203.	— epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc. — *Poltowii*, d. 17. 4. 1528	—
204.	Doctor Biel creatur vicecancellarius Universitatis Crac. — *Bodzanczin*, d. 17. 4. 1528	197
205.	P. Tomicius, epus. etc. Stanislao Biel, canon. Cracoviensi	198
206.	— — Petro Opalenicki, cast. Myedzirzecensi. — *Bodzanczin*. 1528	—
207.	Andr. Cricius, epus. Ploc., Christ. de Szydłowiec, cast. Crac. — *Poltowsko*, d. 18. 4. 1528	—
208.	Joannes Laski, archiepus. Gnesnensis, Sigismundo I., r. P., — *Lowicii*, d. 20. 4. 1528	199
209.	Sigismundus I., r. P., Joanni de Lusian, palat. Culmensi. — *Vilnae*, d. 20. 4. 1528	200
210.	Mathias Drzewicki, epus. Cujaviensis, Mauritio Ferber, epo. Varmiensi. — Ex *Wladislawia*, d. 20. 4. 1528	201
211.	P. Tomicius, epus. etc., Dobrogostio Swidwa de Schamotuli, nepoti	202
212.	— — Stan. Tomicki, cast. Calissiensi	—
213.	— — Lucae de Gorca, cast. Posnaniensi, etc.	203
214.	— — Ottoni de Chodecz, palat. Sandomiriensi etc.	204
215.	— — Andreae de Tanczin, palat. Crac.	—
216.	Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Sigismundo I., r. P.,	205
217.	— — — J. Chojeński, secret. regio. — *Resel*, d. 21. 4. 1528	206
218.	Steph. Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo. etc. — *Dobrawoda*, d. 23. 4. 1528	207
219.	Lucas de Gorca, cast. Posnaniensis, Ferdinando, regi Ungariae etc. — *Posnaniae*, d. 24. 4. 1528	—
220.	P. Tomicius, epus. etc., Joanni, regi Ungariae. — *Bodzanczin*, d. 25. 4. 1528	208
221.	Steph. Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo. etc. — *Tarnowo*, d. 25. 4. 1528.	209
222.	Sigismundus I., r. P., P. Tomicio, epo. etc. et Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc. — *Vilnae*, d. 25. 4. 1528	—
223.	Bona, regina Pol., Ferdinando, regi Ungariae etc. — *Vilnae*, d. 26. 4. 1528	210
224.	Sigismundus I., r. P., Ferdinando, regi Ungariae, etc. — *Vilnae*, d. (26.) 4. 1528	211
225.	Petrus de Septem Barbis, civis mundi etc., Jacobo Lachowski	—
226.	Jacobus Lachowski, eques auratus etc., Petro Differentiano S. — *Lachow*, d. 27. 4. 1528	213
227.	P. Tomicius, epus. etc., Mathiae Drzewicki, epo. Wladislawiensi	215
228.	— — Lucae de Gorca, cast. Posnaniensi, etc.	216
229.	— — Jo. Karnkowski, epo. Premisliensi, Chr. Szydłowiecki, cast. Crac., Nicolao de Szydłowiec, thesaurario regni	—
230.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. P.	217
231.	— — Jo. Karnkowski, epo. Premisliensi, Chr. Szydłowiecki, cast. Crac. Nicol. Szydłowiecki, cast. Sandomiriensi etc.	218
232.	P. Tomicius, epus. etc., Joanni Tarnovio, comiti, palat. Russiae etc.	—
233.	— — Sigismundo I., r. P.	219
234.	— — Bonae, reginae Pol. — *Bodzanczin*, 1528	221
235.	Pars legationis a Sigismundo I., r. P., ad P. Opalenicki oratorem transmissa, qui in curia regis Ferdinandi legationem obibat	—
236.	Lucas de Gorca, cast. Posnaniensis, Ferdinando, regi Bohemiae etc. — *Posnaniae*, d. 1. 5. 1528	223
237.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. P.	224
238.	— — Bonae, reginae Pol.	225
239.	— — Sigismundo I., r. P. — *Bodzanczin*, d. 2. 5. 1528	—
240.	— — Sigismundo I., r. P. — *Bodzanczin*, d. 2. 5. 1528	227
241.	— — Joanni Chojeński, archidiac. Crac. etc. — *Bodzanczin*	228
242.	— — Stanislao Borek de Cracovia, canon. Crac. etc.	229
243.	— — Nicolao Tomicki, cast. Gnesnensi etc.	230
244.	Joannes, rex Ungariae, P. Tomicio, epo. etc. — *Tarnow*, d. 3. 5. 1528	231

		Pagina.
245.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r, P. — *Bodzanczin*	232
246.	Cornel. Duplicius Scepperus — Joanni Dantisco. — *Ex Brugis Flandriae,* d. 6. 5. 1528	233
247.	Sigismundus I., r. P., Clementi papae VII. — *Vilnae,* d. 7. 5. 1528	234
248.	P. Tomicius, epus. etc., Jacobo Ssutz, praepos. Vielunensi, etc. — *Bodzanczin*	—
249.	— — Severino Boner, zuppario etc.	236
250.	— — Stanislao Borek, canon. Crac. — *Bodzanczin*	237
251.	Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc., Ferdinando, regi Bohemiae, etc. — *Cracoviae,* d. 9. 5. 1528	238
252.	P. Tomicius, epus etc., Lucae de Gorca, cast. Posnaniensi	239
253.	Sigismundus I., r. P., P. de Tomice, epo. Crac. etc., Chr. de Szydłowiec, cast. Crac. etc. Nicolao de Szydłowiec, cast. Sandomiriensi. — *Vilnae,* d. 14. 5. 1528	240
254.	P. Tomicius, epus. etc., Chr. de Szydłowiec, cast. Crac. etc.	—
255.	Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Bonae, reginae Pol. — *Marienburgi,* d. 15. 5. 1528	241
256.	Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc., Henrico, regi Angliae. — *Cracoviae,* d. 15. 5. 1528	242
257.	Andr. Cricius, epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc. — *Ploczko,* d. 16. 5. 1528	—
258.	Joannes, rex Ungariae, Anna de Momorantia, magistro Franciae. — *Tarnow,* d. 16. 5. 1528	244
259.	Christ. de Szydłowiec, cast. Crac. etc., Ferdinando, regi Bohemiae etc. — *Cracoviae,* d. 17. 5. 1528	—
260.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. P.	245
261.	— — Bonae, reginae Pol.	246
262.	— — Jo. Chojeński, archidiac. Crac. etc.	—
263.	— — Nicolao Tomicki, cast. Gnesnensi, etc.	—
264.	Responsum a Sigismundo I., r. P., datum oratori regis Joannis, *Vilnae* in secretiori audientia 24. 5. 1528	247
265.	Ferdinandus, rex Bohemiae etc., Sigismundo I., r. P. — *Pragae,* d. 26. 5. 1528	248
266.	Mathias Drzewicki, epus. Cujaviensis, Mauritio Ferber, epo. Warmiensi. — Ex *Vladislavia,* d. 26. 5. 1528	249
267.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. P. — *Bodzanczin,* d. 31. 5. 1528	250
268.	— — Sigismundo I., r. P. — *Bodzanczin*	251
269.	— — Ludovico Aliphio. — *Bodzanczin,* d. 31. 5. 1528	252
270.	Joannes Zambocki, aulicus regius, P. Tomicio, epo. etc. — *Vilnae,* d. 2. 6. 1528	—
271.	Responsum a Joanne, rege Hungariae, datum Stanislao Tarlo, oratori regis Pol. etc.	254
272.	Andr. Cricius, epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc. — *Ploczko,* d. 4. 6. 1528	259
273.	— — epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc.	261
274.	P. Tomicius, epus. etc., Christ. de Szydłowiec, cast. Crac. etc. — *Bodzanczin,* d. 5. 6. 1528	—
275.	Ferdinandus, rex Bohemiae etc., Sigismundo I., r. P. — *Pragae,* d. 10. 6. 1528	262
276.	— — Bonae, reginae Pol. — *Pragae,* d. 10. 6. 1528	263
277.	— — Chr. Szydłowiecki, cast. Crac. etc. — *Pragae,* d. 10. 6. 1528	—
278.	— — P. Tomicio, epo. etc. — *Pragae,* d. 10. 6. 1528	264
279.	— — confirmat contractum matrimonii inter Stephanum, palat. Ungariae et Sophiam, filiam Conradi, ducis Masoviae. — *Pragae,* d. 11. 6. 1528	—
280.	Christ. Szydłowiecki, cast. Crac., Ferdinando, regi Bohemiae etc. — *Cracoviae,* d. 13. 6. 1528	265
281.	Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Capitulo Warmiensi. — *Heilsberg,* d. 14. 6. 1528	—
282.	P. Tomicius, epus. etc., doctori Stanislao Bork	266
283.	— — Nicolao Bedleński, scholastico etc.	—
284.	Contractus de arce Tranczin Ferdinandinis prodita. — *Tranczin,* d. 16. 6. 1528	267
285.	Conditiones proditae arcis Tranczin regi Ferdinando. — *Tranczin,* d. 24. 6. 1528	268
286.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. P. — *Bodzanczin,* d. 17. 6. 1528	270
287.	— — Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc. — *Bodzanczyn,* d. 17. 6. 1528	272
288.	— — Joanni Chojeński, secretario regio	273
289.	— — Jo. Chojeński, secretario etc.	—

		Pagina.
290.	P. Tomicius, epus. etc., Jo. Karnkowski, epo. Premisliensi, Christ. et Nicolao de Szydłowiec	274
291.	Joannes Zambocki, aulicus regius, P. Tomicio, epo. etc. — *Vilnae,* d. 17. 6. 1528 . .	275
292.	— — aulicus regius, P. Tomicio, epo. etc. — *Vilnae,* d. 20. 6. 1528 . .	276
293.	Andr. Cricius, epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc. — *Ploczka,* d. 20. 6. 1528	277
294.	P. Tomicius, epus. etc., Stanislao Tarloni de Szczekarzewice, archidiac. Lublin. etc. — *Bodzanczin,* d. 22. 6. 1528	—
295.	P. Tomicius, epus. etc., Stephano Broderico, epo. Sirmiensi. — *Bodzanczin,* d. 24. 6. 1528	278
296.	Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Sigismundo I., r. P. — *Heilsberg,* d. 26. 6. 1528 .	279
297.	— — — Bonae, reginae Pol. — *Heilsberg,* d. 26. 6. 1528 .	280
298.	Joannes Dantiscus, orator apud Caesarem, P. Tomicio, epo. etc. — *Sarragossa,* d. 28. 6. 1528	281
299.	Sigismundus I., r. P., P. Tomicio, epo. etc. — *Vilnae,* d. 29. 6. 1528	283
300.	Ferdinandus, rex Bohemiae etc., Sigismundo I., r. P. — *Pragae,* d. d. 29. 6. 1528 . .	284
301.	Joannes, archiepus. Upsalensis, P. Tomicio, epo. etc. — *Gedani,* d. 29. 6. 1528	—
302.	Petrus Opaliński, orator apud regem Ferdinandum, P. Tomicio, epo. etc., Christ. de Szydłowiec, cast. Crac., Nicolao de Szydłowiec, thesaurario r. P. — *Pragae,* d. 30. 6. 1528	285
303.	Sigismundus I., r. P., Alberto, duci in Prussia	292
304.	Mathias Drzewicki, epus. Cujaviensis, Mauritio Ferber, epo. Warmiensi. — Ex *Vladislavia,* d. 30. 6. 1528	—
305.	Fragmentum epistolae Tomicii ad Christ. Szydłowiecki	293
306.	Sigismundus I., r. P., Georgio, duci Saxoniae	—
307.	Lucas de Gorca, cast. Posnaniensis, Ferdinando, regi Bohemiae etc. — *Posnaniae,* d. 1. 7. 1758	296
308.	P. Tomicius, epus. etc., Nicolao Bedleński, scolastico etc. — *Bodzanczyn,* 1528	297
309.	— — Alberto Popielski, decano Varssoviensi, d. 1. 7. 1528	298
310.	— — Joanni Baliński, cast. Gedanensi, d. 1. 7. 1528	—
311.	— — Sigismundo I., r. P.	299
312.	— — Bonae, reginae Pol.	300
313.	— — Ludovico Aliphio, cancell. Bonae reginae	—
314.	— — Jo. Chojeński, archidiac. Crac. — *Kielcze*	301
315.	Sigismundus I., r. P., Mauritio, epo. Varmiensi. — *Vilnae,* d. 4. 7. 1528	—
316.	Paulus Decentius, praepos. Omnium SS. Crac., Joanni Dantisco. — *Gedani,* d. 5. 7. 1528	302
317.	Laurentius Miedzileski, epus. Camenecensis, Mauritio Ferber, epo. Varmiensi. — *Vilnae,* d. 5. 7. 1528	303
318.	P. Tomicius, epus. etc., Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc.	304
319.	— — Jo. Karnkowski, epo. Premisliensi, Chr. et Nicol. Szydłowiecki	305
320.	— — Joanni de Tanczyn, cast. Lublinensi	306
321.	— — Sigismundo I., r. P.	—
322.	— — Jo. Chojeński, archidiac. Crac. etc.	308
323.	— — Jo. Nyempcz, civi Gedanensi	—
324.	— — Georgio de Baysen, palat. Marienburgensi etc. — *Kielcze,* d. 8. 7. 1528	—
325.	Jo. Zambocki, aulicus, P. Tomicio, epo. etc.	309
326.	P. Tomicius, epus. etc., Jo. Zambocki, aulico regio	—
327.	Andr. Cricius, epus. Ploc., P. Tomicio, epo. etc. — *Ploczko,* d. 9. 7. 1528	310
328.	P. Tomicius, epus. etc. . . . . *Kielcze,* d. 11. 7. 1528	311
329.	— — Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc. — *Kielcze.*	312
330.	Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc., Ferdinando, regi Bohemiae, etc.	—
331.	Jo. de Lasko, archiepus. Gnesnensis, Sigismundo I., r. P. — *Skwyrnicwicze,* d. 11. 7. 1528	313
332.	Responsum a Sigismundo I., r. P., datum Joachimo Maltzan, oratori Ferdinandi regis etc. — *Vilnae,* d. 11. 7. 1528	319
333.	Responsum a Sigismundo I., r. P., Sigismundo de Herberstein, oratori regis Ferdinandi, *Vilnae* datum	321

Pagina.

334. Sigismundus I., r. P., Christofero Szidlovicio, castell. Crac., cancellario. — *Vilnae,* d. 13. 7. 1528 323
335. P. Tomicius, epus. etc., Christ. Szydłowiecki, cast. Crac., cancellario . . . . . —
336. — — Steph. Broderico, epo. Sirmiensi . . . . . —
337. — — Mathiae Drzewicki, epo. Wladislaviensi. — *Kielcze,* d. 15. 7. 1528 324
338. — — Lucae Gorka, castell. Posnan. . . . . —
339. Solimanus, Turcorum imperator, Joanni, regi Ungariae. — *Zemplyni,* d. 15. 7. 1528 . . 325
340. Joannes Tarnowski, palat. Russiae, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — *Sandomiriae,* d. 15. 7. 1528 326
341. Christ. Szydłowiecki, cast. Crac., cancellarius, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — *Cracoviae,* d. 17. 7. 1528 327
342. Christ. Szydłowiecki, cast. Crac., cancell., Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — *Cracoviae,* d. 17. 7. 1528 . . . . . —
343. Franc. de Frangepanibus et Steph. Brodericus — P. Tomicio, epo. Crac. — *Ex Cracovia,* d. 18. 7. 1528 328
344. P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. Pol. — *Kielcze,* d. 18. 7. 1528 329
345. — — Jo. Chojeński, archidiac. Crac., secretario. — *Kielcze,* d. 17. 7. 1528 331
346. — — Christ. Szidlovicio, cast. Crac. — *Kielcze,* 18. 7. 1528 . . . . —
347. — — Francisco de Frangepanibus et Stephano Broderico. — *Kielcze* . 332
348. Christ. Szydłowiecki, castell. Crac., Ferdinando, r. Bohemiae et Ungariae. — In arce *Cracoviensi,* d. 20. 7. 1528 333
349. Christ. Szydłowiecki, castell. Crac., Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — In arce *Cracoviensi,* d. 21. 7. 1528 334
350. Clemens papa VII — Sigismundo I., r. Pol. — *Viterbii,* d. 22. 7. 1528 . . . . . —
351. P. Tomicius, epus. etc., Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — *Kyelcze,* d. 23. 7. 1528 336
352. — — Joachimo de Maltzan, consiliario et oratori Ferdinandi regis. — *Kielcze,* d. 23. 7. 1528 337
353. Mathias Drzewicki, epus. Wladislaviensis, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — *Ex Volborz,* d. 24. 7. 1528 338
354. P. Tomicius, epus. etc., Christ. Szidlovicio, castell. Crac. — *Kyelcze,* d. 25. 7. 1528 . . —
355. Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, Sigismundo I., r. P., — Ex arce *Heilsberg,* d. 25. 7. 1528 339
356. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — Ex *Plocxko,* d. 27. 7. 1528 340
357. Certamen poëticum inter Cymbam (Łodzia) stemma Tomicii et Corbitam (Korab) stemma Łaskii 341
358. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. 344
359. Mauritius Ferber, epus. Warmiensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — Ex arce *Heilsberg,* d. 28. 7. 1628 . . . . . —
360. Bona, regina Poloniae, Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — *Vilnae,* d. 30. 7. 1528 . 345
361. Joannes Zambocki — P. Tomicio, epo. Crac. etc. — *Wilnae,* d. 30. 7. 1528 346
362. P. Tomicius, epus. etc., Andreae Cricio, epo. Plocensi. — *Kielcze,* d. 1. 8. 1528 . . . —
363. — — Lucae de Gorka, cast. Posnan. — *Kielcze,* d. 4. 8. 1528 347
364. Joannes, rex Ungariae, Sigismundo I., r. P. — *Tharnoviae,* d. 5. 8. 1528 348
365. Diffidatio Hieronimi Łaski Ungaris. D. 6. 8. 1528 352
366. Ferdinandus, rex Boh. et Ung., Sigismundo I., r. Pol. — *Pragae,* d. 7. 8. 1528 . . . 353
367. Responsum a Sigismundo I., r. P., datum Cornelio Duplicio Sceppero, oratori Caroli V. d. 9. 8. 1528. 354
368. Joannes, epus. Vilnensis, Ferdinando, regi Boh. et Ung. — *Vilnae,* d. 13. 8. 1528 . . . 358
369. Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — Ex *Plocxko,* d. 16. 8. 1528 359
370. P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. Pol. . . . . —
371. Christ. Szydłowiecki, castell. Crac. etc., Ferdinando, regi Boh. et Ungariae. — *Cracoviae,* d. 23. 8. 1528. . . . . —
372. P. Tomicius, epus. etc., Andreae Cricio, epo. Plocensi. — *Cracoviae* 360

		Pagina.
373.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. Pol.	361
374.	— — Jo. Chojeński, archidiac. Crac., secretario regio. — (24. 8. 1528)	—
375.	Georgius, marchio Brandenburgensis, Sigismundo I., r. Pol. — *Onnolizbach*, d. 24. 8. 1528	362
376.	— — Brandenburg., approbat pacta Sigismundi regis cum Alberto, duce in Prussia, de feudo Prussiae. — *Onnolitzbar*, d. 24. 8. 1528	363
377.	Responsum regis Joannis datum P. Tomicio, epo. Crac. etc. et Chr. Szidlovicio, castell. Crac. etc.	364
378.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. P. — *Cracoviae*, d. 26. 8. 1528	365
379.	— et Christ. Szydłowiecki, cancellarii regni Pol., Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — *Cracoviae*, d. 27. 8. 1528	366
380.	P. Tomicius, epus. etc., Lucae de Gorca, cast. Posnaniensi. — *Cracoviae*, d. 27. 8. 1528	367
381.	— — Andreae Cricio, epo. Plocensi	368
382.	Erasmus Roterodamus — Sigismundo I., r. Pol. — *Basileae*, d. 28. 8. 1528	—
383.	Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, Bonae, reginae Pol. — *Pragae*, d. 29. 8. 1528	370
384.	Erasmus Roterodamus — P. Tomicio, epo. Crac. etc. — *Basileae*, d. 31. 8. 1528	—
385.	Joannes Zambocki — P. Tomicio, epo. Crac. etc. — *Vilnae*, d. 31. 8. 1528	371
386.	P. Tomicius, epus. etc., Joanni Zambocki	372
387.	Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — Ex Ploczko, d. 1. 9. 1528	373
388.	Hieronymus Łaski — Petro Aztalnak. — *Lippa*, d. 4. 9. 1528	374
389.	Ferdinandus, rex Boh. et Ung., Sigismundo I., r. Pol. — *Pragae*, d. 7. 9. 1528	—
390.	P. Tomicius, epus. etc., Monachis Bernardinis in capitulo Opatoviensi congregatis. — *Cracoviae*, d. 8. 9. 1528	375
391.	P. Tomicius, epus. etc., Steph. Broderico, epo. Sirmiensi. — *Cracoviae*, d. 9. 9. 1528	—
392.	— — Andreae Cricio, epo. Plocensi	—
393.	— — Petro, epo. Lacedaemoniensi, suffraganeo Plocensi	376
394.	Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — *Ex Ploczka*, d. 13. 9. 1528	—
395.	St. Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — *Ex Bresech*, d. 15. 9. 1528	377
396.	Ferdinandus, rex Boh. et Ung., Sigismundo I., r. P. — *Pragae*. d. 17. 9. 1528	—
397.	Capitula et conventiones inter Phillibertum de Chalon, principem Orangiae et gener. capit. caesareae Mtis. in Italia — ex una, et marchionem Salutiarum, capit. gener. christianiss. regis, ex altera parte. — *Anversae*, d. 30. 8. 1528	378
398.	Jo. de Castro — Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — *Neapoli*, d. 2. 9. 1528	380
399.	Andreas Cricius, epus. Plocensis, Joanni Zambocki. — *Ex Ploczko*, d. 19. 9. 1528	383
400.	St. Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — *Ex castro Tarnoviensi*, d. 23. 9. 1528	—
401.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. Pol.	384
402.	— — Chryst. Szydłowiecki, cast. Crac. etc.	—
403.	— — Andreae Cricio, epo. Plocensi. — *Cracoviae*	385
404.	Sigismundus I., r. P., Georgio Konopacki, palat. Pomeraniae. — *Vilnae*, d. 26. 9. 1528	—
405.	Mathias Drzewicki, epus. Cujaviensis, Mauritio Ferber, epo. Varmiensi. — *Ex Vladislavia*, d. 28. 9. 1528	386
406.	St. Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — Ex castro *Tharnowiensi*, d. 28. 9. 1528	387
407.	P. Tomicius, epus. etc., Stephano Broderico, epo. Sirmiensi. — *Cracoviae*, d. 29. 9. 1528	388
408.	— — Sigismundo I., r. Pol.	—
409.	— — Jo. Chojeński, archidiac. Crac., secretario	389
410.	— — Antonio Rinconi, regis Galliae oratori, et Stephano Broderico, epo. Sirmiensi	390
411.	P. Tomicius, epus. etc., Lucae de Gorka, cast. Posnaniensi	391
412.	Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc., Ferdinando, regi Boh. et Ung. — *In arce Cracoviensi*, d. 1. 10. 1528	392
413.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. Pol. — D. 3. 10. 1528	393

		Pagina.
414.	P. Tomicius, epus. etc., Jo. Chojeński, archidiac. Crac. etc. — *Cracoviae,* d. 4. 10. 1528	394
415.	— — Sigismundo I., regi Poloniae	—
416.	— — Bonae, reginae Poloniae. — *Cracoviae*	395
417.	Ferdinandus, rex Boh. et Ung., Sigismundo I., r. Pol. — *Viennae,* d. 5. 10. 1528 . .	396
418.	Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc., Ferdinando, regi Boh. et Ung. — *In arce Cracoviensi,* d. 5. 10. 1528	397
419.	Joannes Dantiscus — Sigismundo I., r. P. — *Ex Madrit,* d. 12. 10. 1528	—
420.	— — Bonae, reginae Pol. — *Ex Madrit,* d. 12. 10. 1528	404
421.	— — Lud. Aliphio, cancellario reginae Bonae. — *Ex Madrit,* d. 12. 10. 1528	405
422.	Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc., Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — Ex arce *Novae Civitatis Korczin,* d. 14. 10. 1528	406
423.	Sigismundus I., r. Pol., Mauritio, epo. Varmiensi. — *Vilnae,* d. 16. 10. 1528	407
424.	P. Tomicius, epus. etc., Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — *Cracoviae,* d. 18. 10. 1528	—
425.	Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc., Ferdinando, regi Bohemiae et Ungariae. — Ex arce *Novae Civitatis Corczin,* d. 21. 10. 1528	408
426.	Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Sigismundo I., regi Pol. — Ex arce *Heilsberg,* d. 21. 10. 1528	409
427.	Joannes, rex Ungariae, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — *Sthryso,* d. 21. 10. 1528	410
428.	Steph. Brodericus, epus. Sirmiensis, Andreae Tęczyński, palat. Cracov. — Ex *Stryso,* d. 22. 10. 1528	411
429.	Sigismundus I., r. Pol., Ferdinando, regi Boh. et Ung. — *Vilnae,* d. 23. 10. 1528 . .	—
430.	P. Tomicius, epus. etc., Bernardo, epo. Tridentino. — *Cracoviae,* d. 23. 10. 1528 . . .	412
431.	Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — *Vishkow,* d. 23. 10. 1528	413
432.	— — — P. Tomicio, epo. Crac. etc.	—
433.	— — — P. Tomicio, epo. Crac. etc. — *Wyszkow,* d. 23. 10. 1528	414
434.	Ferdinandus, rex Boh. et Ung., Sigismundo I., r. Pol. — *Viennae,* d. 25. 10. 1528 . .	418
435.	Steph. Brodericus, epus. Sirmiensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — Ex *Hommona,* die 28. 10. 1528	419
436.	Ad P. Tomicium — Stephani Broderici carmen	420
437.	P. Tomicius, epus. etc., Stephano Broderico, epo. Sirmiensi	—
438.	Sigismundus I., r. Pol., consiliariis terrarum Prussiae. — *Vilnae,* d. 31. 10. 1528 . . .	421
439.	P. Tomicius, epus. etc., Christofero de Szidlovecz, cast. Crac. etc.	—
440.	— — Christ. Szydłowiecki, cast. Crac. etc.	423
441.	— — Sigismundo I., r. Pol.	—
442.	Joannes Karnkowski, epus. Premisliensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — *Cracoviae,* d. 7. 11. 1528	425
443.	P. Tomicius, epus. etc., Joanni Karnkowski, epo. Premisliensi	—
444.	— — Petro de Dambrowicza, cast. Chelmensi. — *Kielcze*	426
445.	— — Andreae Cricio, epo. Plocensi. — *Kielcze,* d. 10. 11. 1528 . . .	—
446.	— — Christofero Szidlovicio, cast. Crac. etc. — *Kielcze,* d. 10. 11. 1528	429
447.	Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Sigismundo I., r. Pol. — *Heilsbergi,* d. 18. 11. 1528	—
448.	Joannes Łaski, praepositus Gnesnensis, Antonio Rinconi. — *Lubnicze,* d. 18. 11. 1528	431
449.	Joannes Dantiscus — Bonae, reginae Poloniae. — Ex *Toleto* ad Tagum, d. 19. 11. 1528	432
450.	— — P. Tomicio, epo. etc. — Ex *Toleto* ad Tagum, d. 19. 11. 1528	434
451.	Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac. etc. — Ex arce *Poltoviensi,* d. 24. 11. 1528	435
452.	P. Tomicius, epus. etc., Petro Firleio de Dambrowicza, cast. Chelmensi. — *Kielcze,* d. 28. 11. 1528	437
453.	— — Christ. de Szidlovecz, cast. Crac. etc. — *Kielcze*	438
454.	— — Jo. Chojeński, archidiac. Crac., secretario	—
455.	— — Andreae Cricio, epo. Plocensi. — *Kielcze,* d. 6. 12. 1528	439
456.	— — Sigismundo I., r. Pol. — *Kielcze,* (d. 8. 12. 1528)	440
457.	— — Stanislao Gomoliński, notario Siradiensi. — *Kielcze,* d. 8. 12. 1528	441

		Pagina
458.	P. Tomicius, epus. etc., Sigismundo I., r. Pol. — *Kielcze,* d. 8. 12. 1528	44
459.	— — Jo. Chojeński, archidiacono. — *Kielcze,* d. 8. 12. 1528	—
460.	— — dominis consiliariis Lituanis. — *Kielcze,* d. 8. 12. 1528	44
461.	— — Joanni Zambocki. — Ex *Kielcze,* (d. 8. 12. 1528)	44
462.	— — Joanni Benedicti, canonico, phisico regio	—
463.	— — Jo. Chojeński, archidiac. Crac. — *Kielcze,* d. 9. 12. 1528 . . .	—
464.	Nicolaus Radziwill, epus. Mednicensis, Sigismundum Augustum, regulum, heredem sibi assumit. — *Vilnae,* d. 18. 12. 1528	44
465.	P. Tomicius, epus. etc., Bonae, reginae Pol. — *Kielcze*	44
466.	Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. Crac. — *Poltowsko,* d. 19. 12. 1528	44
467.	P. Tomicius, epus. etc., Andreae Cricio, epo. Plocensi. — *Kielcze*	44
468.	Mauritius Ferber, epus. Varmiensis, Joanni Flachsbinder Dantisco	—
469.	— — Ludwico Decio. — *Marienburgi,* d. 20. 12. 1528	44
470.	Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. etc. — Ex arce *Poltoviensi,* d. 20. 12. 1528	—
471.	Joannes Zambocki — P. Tomicio, epo. etc. — *Vilnae,* 20. 12. 1528	45
472.	Valdesius, Caroli caesaris secretarius, J. Dantisco. — *Toleti,* d. 25. 12. 1528	45
473.	P. Tomicius, epus. etc., Christ. Szydłowiecki, castell. Crac. etc. — In *Bodzanczin,* d. 27. 12. 1528	45
474.	— — Andreae Cricio, epo. Ploc. — Ex *Kielce,* d. 28. 12. 1528 . . .	—
475.	Andreas Cricius, epus. Plocensis, P. Tomicio, epo. etc. — Ex arce *Poltoviensi,* d. 28. 12. 1528	45
476.	P. Tomicius, epus. etc., Andreae Cricio, epo. Plocensi	—
477.	Ferdinandus, rex Boh. et Ung., Sigismundo I., r. Pol. — Apud Sanctum Vitum, d. 28. 12. 1528	45
478.	P. Tomicius, epus. etc., Nicolao de Nisczice, cast. Sieprscensi et capit. Plocensi. — *In Ilza.*	45
479.	— — Bonae, reginae Pol. — *Bodzanczyn,* d. 2. 5. 1528	—
480.	Joannes Zambocki — P. Tomicio, epo. etc. — *Petrikoviae,* (m. Febr. 1528)	45

SPIS OSÓB.

(Index personarum).

(Liczby oznaczają strony. — Numeri indicant paginas).

Aba, comes Ungarus. 148.
Abrambassa, Abrahymbassa. 303.
Adrianus v. Goliński.
Alarcon Ferdinandus, Caroli V castellanus in Italia 43. 381. 398.
Albertus, Prussiae dux, marchio Brandenburgensis 1. 6. 7. 9. 12. 14. 15. 21. 22. 24. 29. 32. 33. 37. 53. 60. 121. 178. 180. 182. 183. 276. 280. 292. 339. 362—364. 430.
Alexander, Hebraeus Cracoviensis 345. 370.
Alexius, capellanus Hedwigis, Sigismundi I filiae 371. 424.
Aliphius Ludovicus, Bonae reginae cancellarius, 51. 65. 252. 300. 405. 433. 442.
Alexandrinus cardinalis 110. 225.
Almanus Petrus, Henrici caesaris nepos 148.
Ambrosius, canonicus et custos ecclesiae Pomezaniensis 32.
Anda (Handa) parochus Piotrcoviensis 243.
Andreas v. Gorka.
Andreas, epus. Posnaniensis (? Gosławicki, 1414—1426). 451.
Andreolus (Andreas), tabellarius, 236. 237.
Anianus, Gallus, poëta. 341. 344. 373.
Anna, Masoviae dux. 99. 115. 120. 292.
Antonellus, doctor (cfr. T. IX. 28. 336). 51.
Antoninus (Joannes Antoninus Cassoviensis), Tomicii medicus. 14. 87. 371.
Aphalcher Joannes, Ferdinandi regis supremus campi marsalcus 268.
Ardelio, cognomen per Cricium archiepiscopo Łaski inditum v. Łaski Joannes.
Augustinus 168. 169. 425. 428. 429.
Aztalnak Petrus 374.
Aureliensis dux. 88.

Baiart, secretarius regis Galliae 45.
Baiazat sultanus, avus Suleymani, Turcorum imperatoris 154.
Baldowski, nuntius terr. Prussiae in conventu Piotrkoviensi 386.
Baliński Joannes, castellanus Gedanensis, thesaurarius in Prussia 23. 31. 35. 121. 279. 280. 298.
Banffy Joannes 388.
Basianus v. Baysen.
Bathory Andreas, 387. 411. 431.
Bathory Stephanus, palatinus Ungariae, 132. 258. 351. 387.
de Baysen (Bażeński) Georgius, palatinus Marienburgensis et capitan. Gnewensis 52. 53. 201. 308.
de Beauwyn, (v. Branvei) classis Hispanicae praefectus. 164.
Bedleński Nicolaus, scholasticus et vicarius Cracoviensis 124. 129. 173. 266. 297.
Belzensis palatinus (Nicolaus Pilecki) 143.
Benedictus, altarista apud beatam Virginem Cracoviae 424.
Bernardinus, monachus Varsoviensis 143.
Bernardus, epus. Tridentinus 245. 265. 291. 313. 360. 364—366. 407. 412.

Biecensis castellanus v. de Sprowa Stanislaus.
Biel Stanislaus, de Nova civitate, doctor, vicecancellarius universitatis Cracoviensis 197. 198.
Bischoff Philippus, burgrabius et proconsul Gedanensis 25. 36.
Blanckenfeld (Joannes) archiepus. Rigensis 31.
Bohdanus, vojevoda Valachiae 11.
Bona Sfortia, regina Poloniae, 17 et *passim.*
Boner (Bonar) Severinus, burgrabius, zupparius et magnus procurator Cracov., capitaneus Bieczensis et Rabstinensis 5. 6. 67. 167. 173. 201. 236. 237. 243. 263. 345. 359.
Borek (Bork, Borgk) Stanislaus de Cracovia, canonicus Cracoviensis 229. 237. 243. 266. 267. 332.
Borello, comes de, 382.
Bori, monsignor de... 381.
Borowski, Sigismundi I aulicus. 158. 329. 331. 339.
Branicius Sebastianus, canonicus Lovicensis 54.
de Branvei, (v. Beauwyn) dux Hispanorum 87.
Brodericus Stephanus, epus. Sirmiensis, cancellarius regni Ungariae, orator regis Joannis Zapolya. 65 et passim.
Brolis(ki) Petrus 416.
Brunsvicensis dux. 31. 402.
Brzeski (de Brzesczie, Brzezie) Felix, palatinus Masoviae, capitaneus Ciechanoviensis. 264. 416. 436.
Budensis praepositus v. Statilius.
Byliński 115.

Cabrero, epus. Oscensis 398.
Caczianer Joannes, consiliarius et capitaneus generalis Ferdinandi regis 267. 268.
Campe Thoruniensis 459.
Cardinalis Sanctorum quatuor coronatorum v. Puctius.
Carminiano Nicolaus Antonius, thesaurarius Bonae reginae in ducatu Barensi 9.
Carolus V, caesar, 2 et passim.
Carolus, canonicus Plocensis 153. 196. 243. 340. 436.
Carolus, dux Minsterburgensis, Inferioris Slesiae capitaneus 223.
Carolus, mercator Cracoviensis 16. 391.
Casimirus, dux Tessinensis 218. 230. 406. 407.
Casimirus, marchio Brandenburgensis 53. 185. 186. 363.
Casper, thesaurarius Christ. Szydłowiecki 183.
Castiliae contestabilis 88.
de Castro Jo. 380. 382.
Cathrina, meretrix Sigismundi regis 115.
Chełmski Joannes 441.
Chlewicki, praepositus Sandomiriensis 235.
de Chodecz Otta, palatinus Sandomiriensis, Haliciensis, Colomiensis, Snatinensis capitaneus. 143. 153. 203. 204. 224. 384. 437.
de Chodecz Stanislaus, marsalcus regni Pol., capitaneus Leopoliensis et Lubaczoviensis 113.
Chojeński Joannes, archidiaconus Cracov., secretarius Sigismundi regis 126. 151. 167. 189. 191. 196. 206. 218. 227. 246. 247. 253. 273. 301. 308. 311. 331. 340. 361. 389. 393. 414. 422. 438. 442. 444. 449. 454. 456. 457.
Cipser Stanislaus, consul et mercator Cracov. 242.
Clemens VII, snmmus pontifex 2. 7. 31. 57. 66. 108. 109. 121. 124. 126. 152. 157. 164. 174. 186. 194. 201. 234. 236. 237. 249. 284. 314. 317. 334. 357. 402. 428.
Cleparz, magister, poenitentiarius, 173.
Columna Ascanius, marchio del Vasto 382.
Constantinus dux v. Ostrogski.
Coributus v. Koszyrski.
Cotwitz Caspar 418. 419.
Cotwitz Christophorus 418.
Cotzer Carolus 406. 407.
Crapicius Joannes 241.
Culmensis castellanus v. Działyński.
Czacol Lucas, baro in Fridaw. 268.
Czarnkowski Mathias 251.
Czema (Zcema) Achatius, succamerarius Pomeraniae, capitaneus Stumensis, Slochoviensis ac Stargardiensis 37. 179 192. 306—308. 430.
Czermieński Andreas 72.
de Czobor Caspar 268.

Cołaczkowski, Conarski, Conopath, Coppernic, Cosmiński, Cozanek, Crassowski, Cricius, Crupski vide sub lit. *K.*

Daniae rex Christiernus. 2. 88. 112. 174. 233. 459.
Dantiscus Joannes Flachsbinder 2. 9. 18—20. 43. 45. 51. 61. 87. 90. 93. 115—117. 164. 165. 233. 241. 242. 245. 246. 266. 280. 281. 302. 331. 372. 397. 404—406. 432. 434. 448. 453.
Decentius Paulus, praepositus Omnium Sanctorum Cracov. 302. (v. Krassowski).
Decius Justus Ludovicus, carbarius Wielicensis, consul Cracov., secretarius regius 76—78. 81. 124. 428. 449.
Delphinus, regis Galliae filius major natu. 88.
Dersniak Nicolaus, judex Premisliensis 72.
Dlugosch (Joannes) 118.

Doczii Joannes, thesaurarius Ludovici, Ungariae regis 232.
Dolebintzki (?) 249.
Dominicus, frater ordinis Scti. Dominici, suffraganeus Crac. v. Małachowski.
Doria Andreas 379. 380. 382. 402.
Doria Philipinus 382.
Drzewicki Mathias, epus. Wladislawiensis seu Cujaviensis 1. 16. 22. 29. 41. 52. 58. 60. 85. 119. 120. 151. 174. 201. 215. 249. 264. 292. 324. 338. 360. 373. 375. 376. 385. 386.
Działyński Nicolaus, castellanus Culmensis, capitaneus Brodnicensis 37. 205. 206.
Dzirgowski (Dzyrsgowski, Dzierzgowski), canonicus Plocensis 277. 347. 414. 415.
Dzirgowski (Dzierzgowski) Nicolaus, capitaneus Pultoviensis, et uxor ejus. 416. 427.

Eboracensis cardinalis 357.
Ebreardus v. Ferber.
de Egmont comes. 402.
Elisabeth, marchionissa Brandenburg. 26.
Emanuel Joannes 46.
Erasmus (Ciołek), olim epus. Plocensis 66. 153. 243. 436.
Erasmus Roterodamus 14. 86. 87. 152. 282. 368—371. 428.
Erasmus, decanus Sandecensis defunctus 143.
Erberstein v. Herberstein.
Erdelius Franciscus, Ungarus 388.

Ferber Mauritius, epus. Varmiensis 21. 23. 29. 31. 39. 40. 52. 53. 55. 56. 60. 144. 159. 160. 180. 201. 205. 206. 241. 249. 265. 279. 280. 292. 301. 303. 339. 344. 386. 407. 409. 421. 429. 448. 449.
Ferber Ebrehardus, capitaneus Dirschoviensis, frater Mathiae epi. 60. 205. 206. 387.
Ferber Ebrehardus, patruelis Mathiae epi. 241. 265. 280.
Ferdinandus, rex Bohemiae et Ungariae, 2 et passim.
Ferrariensis dux 88.
Firlej Petrus de Dambrowica, castellanus Chelmensis 384. 426. 437.
Fischer Fridericus, doctor, cancellarius ducis Prussiae 276.
Fitel Joachimus 181.
Flachsbinder Joannes v. Dantiscus.
Flachsbinder Bernardus, Dantisci frater, 48, 234.
Florianus 20.
Franciscus, Galliae rex. 7. 49. 62. 88. 89. 157. 195. 206. 208. 282. 304. 314. 317.
Franciscus, secretarius Joannis, regis Ung. 394.
Franciscus, canonicus Warmiensis, 160. 178. 179. 192.
Franciscus, capellanus Sandecensis 221.
de Frangepanibus Catharina, uxor Jacobi Tornalii 234.
de Frangepanibus Christophorus 351.
de Frangepanibus Franciscus, archiepus. Colocensis 65. 97. 142. 148. 161. 182. 207. 231. 250. 274. 278. 312. 323. 328. 332. 334. 364. 377. 411.

Fridericus, Saxoniae dux. 12.
Fuccari (Fuggeri) 45. 48. 56. 65. 88. 112. 128. 235.
Furste Joannes, consul Gedanensis 27.

Gallus, Tomicii epi. servitor 267.
Gambertus, marchio Brandenburgensis 402.
Gamrat Nicolaus, decanus Plocensis, (defunctus) 112. 235. 243.
Gamrat Petrus, scholasticus 153. 196. 243. 376. 416. 427. 435. 436. 450. 454.
Garcia Petrus, secretarius Arragoniae 398. 400. 401.
Gardzia 243.
Garsia doctor 143.
Gastoldus Albertus, palatinus Vilnensis, m. ducatus Lithuaniae cancell. et capitaneus Bielscensis, Branscensis et Mosirensis 253 276. 346. 446.
Gattinara Mercurinus, magnus cancellarius Caroli V caesaris, 43 et passim in literis Dantisci.
Gątkowski (Gantkowski) 413. 428.
Georgius Missnensis, dux Saxoniae 139. 233. 293. 299.
Georgius, marchio Brandenburgensis 14.
Georgius, nepos Andreae Cricii 176.
Gersdorff (Giersdorf), cubicularius regius 123. 124. 210. 219. 312. 346. 422. 429.
Giwieński (Iwieński, Iwiński), succamerarius Calissiensis 72.
Gliński Michaël dux 148. 193.
Gliński Nicolaus 445.
Gnojeński (Gnojenses fratres aulici regii) 276. 310.
Goczanowski 72.
Golczewski Andreas, succamerarius Plocensis, 415.
Goliński (Gołyński) Adrianus, castellanus Wyszegrodensis, capit. Varsoviensis, 413. 428.
Goliński, canonicus, frater Adriani, 413. 428.
Goly Zdeslaus, nobilis de ducatu Ratiboriensi 245.

Gomoliński Stanislaus, notarius terrestris Siradiensis 72. 425. 441.
Gonzaga Ferdinandus dux 380. 381.
Górka (de Gorca) Lucas, castell. Posnaniensis, capitaneus Majoris Poloniae generalis 61. 144. 145. 177. 203. 205. 207. 216. 223. 230. 239. 240. 247. 250. 263. 296. 324. 347. 367. 375. 391. 422. 429. 456. 457. 459.
Górka Andreas, Lucae filius 422.
Górski Nicolaus, secretarius 308.
Górski, canonicus Cracov. 376.
Gostavus, archiepus. Upsalensis defunctus 175.
Gotus Joannes Magni, archiepus. Upsalensis 57. 58. 175. 284.
Grapa Andreas, curiae Romanae procurator 280.
Gritti Andreas, Venetiarum dux 126.
Gritti Ludovicus, filius Andreae 195.
Guth 20.

Halitz Stanislaus (? Stanislaus de Chodecz) 263.
Hannus, Judaeus Vilnensis 383.
Hassiae landgravius 233.
Hebreardus v. Eberhardus Ferber.
Hedwigis, Sigismundi regis et Barbarae Zapoliensis filia 2. 248.
Hegel Georgius 44. 48. 65. 237. 282. 434.
Henricus, rex Angliae 46. 47. 49. 50. 62. 206. 242. 314. 317.
Herberstein Sigismundus, orator regis Ferdinandi 3. 123. 170. 238. 321.
Hermanus, Boneri procurator Venetiis 236. 237.
Hieronimus, monetariae officinae probator 82
Hommonay Franciscus 144. 387. 431.
Horn Hieronymus, civis Cracov. 24.
Hosius Stanislaus 341. 342. 360.
Hugo comes, Bandae Nigrae praefectus 380.

Imbraym bascha 216. 219. 325.
Isabella, filia Sigismundi regis 420.
Iwaszko (Ivasco) Armenus 203. 204. 216. 219. 220. 224. 273.
Izdbieński (Izbieński) Benedictus, canonicus Crac. 111. 121. 347. 441.

Jacobus doctor 144.
Jacobus magister, secretarius civitatis Gedanensis 25. 27. 60.
Jacubowski Joannes 129.
Jakierth sacerdos 203.
Janussius dux Masoviae 98. 99.
Janussius, rex v. Zapolya Joannes.
Joachimus, marchio Brandenburg. 26. 60. 233.
Joannes, rex Ungariae, v. Zapolya.
Joannes Albertus, marchio Brandenburg. 63. 89. 402.
Joannes, marchio Brandenburg. 363.
Joannes, archiepus. Upsalensis v. Gotus.
Joannes Benedicti, doctor, physicus Sigismundi regis, canonicus Varmiensis et Vilnensis, plebanus Bochnensis 251. 444.
Joannes, dux Opoliensis 362.
Joannes, epus. Vilnensis 115. 358. 392.
Jon Petrus, vojevoda Valachiae 1. 3. 10. 11. 113. 158. 219. 228. 316.
Julius, summus pontifex 451.
Juniwladislaviensis palatinus (Joannes de Oporowo) 384.

Karnkowski Joannes, epus. Premisliensis. 58. 67. 111. 121. 127. 128. 173. 174. 216. 218. 220. 237. 249. 250. 260. 274. 305. 360. 373. 375. 376. 386. 425.
de Kempen Eggerdus, consul Gedanensis 27.
Kijoviensis episcopus (Mathias Radziwiłł) 421. 430.
Kirowski 229.
Kiszka Stanislaus Stanisławowicz, capitaneus Samogitiae generalis 443.
Kmita Petrus de Wiśnicze, Sobiński (Sobieński castellanus Wojnicensis, capitaneus Scepusiensis, Premisliensis, Colensis, marsalcus curiae 5. 13. 95. 170. 171. 249. 261.
de Knephoff 22. 23.
Kobelyntzki 249.
de Kobylniki Erasmus, pincerna Ciechanoviensis et Sophiae, ducis Masoviae, curiae magister 264.
Kolski Felix, canonicus 201.
Kołaczkowski 55. 441.
Komornicki, cubicularius regius 218. 261. 304.
Konarski Georgius 177.
Konarski Joannes, (defunctus epus. Cracov.) 428.
Konarski Petrus, custos ecclesiae Cracov. 343. 439.
Konarski, Tomicii servitor 169. 173.
Konopacki (de Conopath) Georgius, palatinus Pomeraniae et capit. Swiecensis 37. 53. 179. 192. 193. 201. 385.
Konopacki Joannes, epus. Culmensis 200. 279. 292.
Kopernik (Coppernic) Nicolaus, doctor 144. 181. 265.
Kosmiński 377.
Kościelecki Stanislaus, palat. Posnan., capit. Marienburg. 441.
Koszyrski Coributus 152.
Kozanek, sutor Posnaniensis 19.

Krassowski Paulus, praepositus ecclesiae Omnium Sanctorum et canonicus Cracov. 184. 193 (v. Decentius).
Krupski, castellanus Leopoliensis, 228.
Krzycki (Cricius) Andreas, epus. Plocensis, 50 et passim.
Krzycki Andreas, nepos epi. Plocensis 260.
Kuncheim, castelli Tappia praefectus 276.

Lachowski Jacobus 211. 213.
Lagoviensis magister Cruciferorum 25.
Lalemant Joannes, secretarius Caroli V. 400. 401. 403. 404. 432. 433. 435.
Lanckoroński Stanislaus, capitaneus Camenecensis 277. 315. 455.
Lange Jacobus, officialis episcopiVarmiensis 293.
Lange Mathias Gedanensis 421.
Lanoy (La Noi) Carolus, defunctus vicerex Neapolitanus 20. 335. 400. 401. 404.
Laski (Laski, a. Lasco) Hieronymus s. Jaroslaus palatinus Siradiensis 2. 3. 47. 54. 151. 184. 185. 194. 217. 218. 224. 247—9. 249. 265. 272. 283. 293—5. 304—306. 310. 313. 324. 325. 329. 330—2. 347. 348. 352. 440.
Laski Joannes, archiepiscopus Gnesnensis 58. 110. 119. 124. 125. 151. 163. 174. 192. 199. 303. 311. 313. 344. 438. 439. 450.
Laski Joannes, praepositus Gnesnensis, nepos archiepiscopi 85. 119. 120. 431. 432.
Laski Stanislaus, nepos archiepiscopi 120. 192.
Lasocki 173.
Latalski Joannes, epus. Posnaniensis 28—30. 58. 85. 100. 115. 119—121. 151. 174. 292.
Laurentius cardinalis SS. quatuor v. Puctius.
Laurentius, praepositus Albensis 170.
Lautrecht (Lutrech, Lutrecht), exercitus Gallici dux. 47. 164. 377. 379. 381. 402. 403.
Lens, orator Anglus 61.
Leo X, summus pontifex 357. 451.
Leonardus junior, liber baro in Vels 268.
Leszczyński Joannes, castellanus Brestensis, 414. 415. 427. 435—437. 439. 450. 454.
Leszczyński Raphael, episcopus Plocensis defunctus 19. 243. 414. 416. 427.
de Leva (Leiva) Antonius, praefectus Mediolani 161.
Levicius Joannes, cantor Plocensis, orator. 116. 117. 398. 399. 401—405. 432—4.
Leyser Vidalricus 268.
Liberhandus, (Liberanth) decanus Sandecensis 143. 243.
Lincopensis episcopus 59.
Lipnicki Paulus, 72. 251.
Liss, cubicularius castellani Posnaniensis 198.
Liulentzki (?) 249.
Livoniae magister 31.
Locca, (Lucka) muntius terrarum Prussiae in conventum Piotrcoviensem 201. 386.
Loffredus Sigismundus 9. 10. 20. 21. 43. 44. 51. 90. 91. 94. 117. 165. 166. 403. 405.
Lookschau (de Lokschany) Georgius, orator regis Ferdinandi 170. 238.
Lopateczky (Łopatecki) 55.
Lotharingiae dux 48.
de Lublin Jacobus 129.
Lubowicki, Tomicii secretarius, 244. 306. 308. 331.
Lubrański, epus. Posnan. defunctus. 416.
Lucas (Wacelrode) epus. Varmiensis defunctus 30. 40.
Luceoriensis epus. (Paulus dux Olszański) 413.
Lukomski 243. 376.
de Lusianis Fabianus, epus. Varmiensis defunctus 410.
de Lusianis Joannes, palatinus Culmensis ac Radzinensis capitaneus 37. 200.

Maciejowski Samuel 324. 332. 450.
Majo, orator caesaris Caroli V. 46.
Małachowski Dominicus, frater ordinis S. Dominici, suffraganeus Cracoviensis 111. 112. 121. 373.
Malzaun (Maltzan) Joachimus de, baro in Grauppen et Tepplitz, consiliarius Ferdinandi regis 262—264. 296. 336—338. 353. 359. 360.
Manderschith Rupertus comes 268.
Marameo (Maromas) Fabricius 381.
Maria regina, vidua Ludovici, Ungariae regis 132. 350.
Maria, filia Caroli V caes. 434.
Marius Ursinus 381.
Marlianus Joannes Antonius 233.
Mathaeus de Szamotuły, doctor 426.
Mathias, literatus 289.
Maylad (Maylath) 387. 388.
Mayses Judaeus, doctor 412.
Mediolanensis dux 88.
Meller Joannes, civis Gdanensis 180. 307.
Mettensis episcopus, cardinalis, frater ducis Lotharingiae 48.
Miechovita medicus 242.
Miedzileski Laurentius, epus. Camenecensis 253. 276. 303. 340. 390.
Mielecki Stanislaus, castellanus Zawichostensis, 54. 55. 126. 441.
Miklassek 199.
Minerval, defunctus vicerex Neapolitanus v. Lanoy

Minkwicz Nicolaus, praefectus exercitus Germanici, auxiliarii Joanni regi Ung. 432.
Misliborski Petrus, pincerna Dobrinen. 72.
de Momorantia Anna, magn. magister Franciae, mareskalkus 244.
de Moncada Hugo, administrator regni Neapolitani 20. 43. 51.
de Monfort Georgius, comes, 457.
Morawiecz, Tomicii servitor 247. 267. 275. 276. 310. 373. 428.
Morsteller Stanislaus 449.
Moscoviae dux (Basilius) 2. 114. 167. 254.
Mylosch Petrus, praefectus in Skalica, 333.
Myszkowski (Miskowski) Laurentius, doctor 110—112. 121. (Georgius) 146. 153. 235. (Georgius) 344.

Nagh Emericus, vicepalatinus Ungariae 268.
Naropiński Felix 235. 236.
de Nassaw comes. 92. 398. 399. 403. 405.
de Navaro comes Petrus 378. 382.
Nicopolensis capitaneus 54.
Niderhow Georgius, mercator Gedanensis 181.
Nyderhoff Leonardus, canonicus Warmiensis 31.
Niemirowicz Andreas, palat. Kijoviensis, tenutarius Swisłocensis 446.
Niescovita doctor 394.
Nieszkowski (Nieschkowski) Andreas, Tomicii servitor 124. 173. 202. 203.
Niszczycki (Niszcziczki) Andreas, palatinus Plocensis 28. 29. 100.
Niszczycki Nicolaus, castellanus Sieprscensis, capitaneus Plocensis 244. 260. 358. 395. 413. 414. 426. 458.
Nogawka Michaël 235.
Norbi Severinus, Danus 254.
Noskowski doctor, consul Cracoviensis 251.
Nyempcz Joannes, civis Gedanensis 108. 190—192. 307. 308.
Nypczycz Nicolaus 16.

de Obori Martinus (Oborski), dapifer Zakroczimensis et curiae ducum Masoviae marsalcus 264.
Olaus magister, frater Goti Joannis, archiepi. Upsalensis 59. 60.
Olexhi (? Alexius) 435.
Opaliński (Opalenicki) Petrus, castellanus Miedzirzeczensis, 2 et passim.
Opocznensis capitaneus v. de Sprowa Stanislaus.
Oporowski Joannes, palat. Junivladislaviensis 215. 384.
de Orange princeps, Philibertus de Chalon, capitaneus generalis Caroli V caesaris 46. 378. 379. 381. 382. 400—404. 433.
Osiliensis episcopus 31.
Osnicki Joannes 14.
Ostrogski Constantinus dux, palatinus Trocensis, exercituum M. duc. Lithuaniae capitaneus generalis 253. 443.
Ostrorog, dominus in Scharffenort (Ostrorog) 418
Otto Michaël 49.
Ożarowski Silvester de Ożarow, succamerarius regis Pol. 68.

de Paczanow Michaël 112. 125. 439.
Paulus (Várday), archiepus. Strigoniensis 132. 387.
Pawłowski, servitor Cricii, epi. Ploc. 455.
Perenni Petrus, palatinus Transsilvaniae 132. 387. 388. 391. 411. 432.
Pernotta Nicolaus, consiliarius Caroli V. 399.
Persteinski de Perstein 27.
Petrus, vojevoda Valachiae, v. Jon Petrus.
Petrus de Septem Barbis 211.
Petrus Differentianus 211—213.
Petrus, epus. Laodicensis, suffraganeus Plocensis 376. 437.
Petrus, Joannis Zapolyae agens. 406.
Phi. G. Hispanus 341.
Philibertus de Chalon v. Orange.
Philippus, filius Caroli V, infans Hispaniarum 45. 435.
Piasecki, alumnus Joannis Zambocii 254. 277.
Pieniążek Joannes de Crustowa, judex Cracov. 72. 304. 425. 441.
Pilecki Nicolaus, palatinus Belzensis 143.
Pistoriensis episcopus 402.
Plotowski Stanislaus 241.
Podlodowski (Podliodowski) 235. 236.
Pomesaniensis episcopus (Erhard Queis) 32. 121.
Popielski Albertus, decanus et notarius Varsoviensis 178. 298.
Posnaniensis palatinus v. Kościelecki Stanislaus.
de Potentia Joannes Franciscus 284.
de Prato Ludovicus, magnus balinus Gandaviensis 89.
Prażmowski (Praszmowski), castell. in Czersk 118.
Precopensis Tatarorum imperator 1. 11.
Procke (Proyke) Georgius 24. 40.
Puctius Laurentius, epus. Praenestinus, cardinalis Sanctorum quatuor coronatorum, protector regni Pol. 66. 67. 109. 110. 121. 125—127. 152. 221. 234. 235—237. 242. 280. 284. 335.

Radloviensis praefectus 187.
Radziwiłł Georgius, castellanus Vilnensis, marschalcus curiae M. d. Lithuaniae, Grodnensis et Lidensis capitaneus 276. 443.

Radziwiłł Nicolaus, episcopus Mednicensis 303. 445.
Rambiewski (Rąbiewski) Martinus, decanus Gnesnensis 436.
de Rangonibus Gwido 378. 379. 382.
Raphaël episcopus v. Leszczyński.
Ratislaus 118.
Rawa doctor, Tomicii medicus 204. 219. 229. 273. 331.
Reich Felix 144.
Reken Ludovicus de Kaczina, capitaneus exercitus Ferdinandi regis 268.
Reppichaw Eccardus, ducis Prussiae consiliarius 7. 15.
Rheway Stephanus, generalis Ferdinandi regis capitaneus 411.
Ribisch Hendricus, servitor Ferdinandi regis 297. 407.
Rilski, secretarius epi. M. Drzewicki 249.
Rincon Antonius, orator Francisci, Galliae regis 47. 142. 145. 146. 150. 168. 170. 171. 173. 184. 195. 208. 222. 223. 238. 260. 261. 277. 290. 390. 431. 432.
Rozdrażewski Joannes, castell. Miedzirzecensis defunctus 120.
Rudnicki capellanus 153. 244.
Rzeczyca Stanislaus, doctor utriusque juris 109. 110. 111. 124—6. 235. 395.

Salomon Andreas 444.
Salomon Nicolaus 445.
Salomonis Joannes, scholasticus Gnesnensis, canonicus Cracov. 110. 112. 121. 235.
Salutiarum marchio 378. 379. 381. 382.
Salviati cardinalis 403.
Same Joannes, nauta, civis Gedanensis 190—192.
Sapieha (Sophia) Joannes, palatinus Viteblensis 253. 254. 276.
Sbanski v. Zbąski.
Sbarzewski Georgius, nepos Andreae Cricii 190.
Sborowski (Zborowski) 247.
Scepperus Cornelius Duplicius Kopenhagensis, consiliarius Caroli V caes. 49. 88. 92. 94. 164. 233. 234. 281. 354. 373. 405.
Scepusiensis comes v. Zapolya Joannes.
de Schamotuli (Szamotuły) v. Świdwa.
de Scharffenort v. Ostrorog.
Schumbergk Joannes 293.
Scotiae rex. 90.
Seczigniewski, 167. 168.
Selim, pater Suleymani, Turcorum imperatoris 154.
Sfortia Franciscus, dux Mediolani 43. 50. 51. 62.
Shyrschowski v. Sierzchowski.
Sichardus 152.
Sierzchowski (Shyrschowski, Sirchowski) Felix, canonicus Cracoviensis 129. 332.
Sigismundus I, rex Poloniae etc. passim.
Sigismundus Augustus, filius Sigismundi I. 28 273. 445. 446.
Simon, epus. Zagrabiensis 132.
Simon (Athenay,) literatus, castellanus castri Wychel. 387. 431.
Sirchowski v. Sierzchowski.
Skop Stanislaus, secretarius M. D. Lithuaniae 446.
Sobiński v. Kmita.
Sokołowski, praepositus 415. 427.
Sieprska (Sierpska) 414. 415. 427.
Sieprski (Sierpski) Andreas, succamerarius Plocensis 415.
Solimanus (Suleyman) sultan, Turcorum imperator 154. 325. 410. et passim.
Sophia, filia Conradi, ducis Masoviae 264.
Sophia v. Sapieha.
de Sprowa Stanislaus, castell. Biecensis, capitan. Opocznensis 156.
Srzeński Felix, castellanus Dobrinensis 413. 416. 436.
Ssutz (Szucz) Jacobus, praepositus Vielunensis, canonicus Gnesnensis 111. 234. 237. 243. 413.
Stanislaus v. Łaski 120.
Stanislaus 209.
Starczewski Petrus, cubicularius Sigismundi I. 127.
Statilius Joannes, praepositus Budensis, electus epus. ecclesiae Transsilvanensis, consiliarius et orator Joannis Zapolyae, regis Ungariae 37. 38. 69. 142. 169. 181. 184. 240. 244. 260. 277. 285.
Steinkircher, cubicularius Sigismundi regis 329. 331. 346. 361. 371. 393.
Stephanus, vojevoda Moldaviae 11. 113.
Stockyel Leonardus, mercator Posnaniensis 181.
Stopa 124.
Strigoniensis archiepus. v. Paulus et Thomas.
de Strzelce Stanislaus, doctor juris pontificii, canonicus Posnaniensis, Vladislaviensis, Plocensis et Warszoviensis 264.
Strzeżowski 276.
Sudo, servus dni. Lasocki 173.
Suleński Paulus 72.
Suleyman v. Soliman.
de Summa Colamaria (Nicolaus Maria) 10. 21. 43. 91. 94. 401. 403. 405.
de Summa Scipio 20. 43. 44. 47. 51. 91. 94. 166. 401. 403.
Świdwa Vincentius de Szamotuły, castellanus Gnesnensis 19. 202—205. 224.

Świdwa Dobrogostius de Szamotuły, filius Vincentii 202.
Swieszosedek 266. 267.
de Szamotuły v. Mathaeus.
Szwyowski Preczlaus 16.
Szydłowiecki (de Szidlovec) Christophorus, castell. Cracoviensis, cancellarius regni Pol. 6 et passim.
Szydłowiecki (de Szidlovec) Nicolaus, castell. Sandomir., thesaurarius regni Pol. 73. 77. 78. 81. 117. 144. 173. 216. 218. 240. 275. 285. 305. 415.

Tanczin v. Tęczyński.
Tarło Stanislaus de Szczekarzewice, canonicus Cracov., secretarius regius 139. 250. 254. 271. 273. 274. 277. 323.
Tarnowski Joannes, comes de Tarnow, palat. Russiae, summus exercituum regni Pol. dux. 143. 183. 188. 189. 194. 196. 326. 327. 347.
Tarnowski Joannes, filius palatini Russiae 327.
Tarnowski Spytek, castell. Żarnoviensis 384.
Tęczyński (de Tanczyn) Andreas, palat. Cracoviensis, capitaneus Belzensis, Chelmensis, Ratnensis, Crasnostaviensis 55. 204. 239. 391. 411. 423. 438. 458.
Tęczyński (de Tanczin) Joannes, castell. Lublinensis 3. 155. 158. 217—219. 261—263. 270. 271. 293. 305. 306. 384. 439.
Terczka Zdenko 407.
de Terna episcopus, orator regis Galliae 45.
Tessinensis dux v. Casimirus.
Therek Valentinus 411.
Thomas, archiepus. Strigoniensis defunctus 253. 351.
Thomas, canonicus et capellanus Steph. Broderici 377. 383. 384. 387. 388. 419.
Thomas, epus. Agriensis 387.
Thomas (Szalaházy), episcopus Vesprimensis 132.
de Thumen Vittus, magister ordinis S. Joannis 26. 27. 60.
de Thungen Nicolaus 40.
Thurn Christophorus, capitaneus Zoliensis 268.
Thurn Nicolaus, capitaneus exercitus Ferdinandi regis 268.
Thurso v. Turzo.
Tomicki Petrus, epus. Cracoviensis, vicecancellarius regni Poloniae — passim.
Tomicki Nicolaus, Petri frater, praefectus stabuli regii, castellanus Gnesnensis, Pisdrensis et Coninensis capitaneus 18. 224. 230. 246. 422. 449.
Tomicki Stanislaus, Petri frater, castellanus Calissiensis 202.
Tornay (de Thornalia) Jacobus, Ungarus 68. 334. 387.
Trampski Paulus, praepositus Varsoviensis, vicecancellarius Masoviae 264.
Transthanaitanus Tatarorum imperator 303.
Trenczinensis v. Zapolay Joannes.
Truczes (? nomen an officium) Vilhelmus (cfr. sub Vilhelmus) 407.
Trzecieski Andreas 309. 346.
Turzo Ałexius, thesaurarius regni Ungariae 132. 351. 387. 432.
Unger Georgius, Livoniensis 31.
de Urbina Joannes, Caroli V exercituum dux 381.
Valdesius, secretarius Caroli V caes. 165. 453.
Valentinus, dux Ratiboriensis 362.
de Waltkirchen Baltazar, praepositus, imperii Romani vicecancellarius 63. 88.
Wapowski Petrus, decanus Cracov. 129.
Varadiensis episcopus. 142.
de Wardek Julius, comes 268.
Varmiensis s. Warmiensis epus. v. Ferber Mauritius.
Varsoviensis guardianus 143.
Welzeri, mercatorum societas 61. 88. 164. 106. 405. 433.
Verbetius, de Werbewcz, Ungariae cancellarius, 65. 68. 259.
Wieliczka doctor 204.
Wietwieński (Wiećwieński) Joannes, castellanus et tribunus Plocensis, capitaneus Brathianensis 120. 133. 220. 225. 228. 241. 271. 384.
Vilhelmus, (cfr. Truczes) Ferdinandi regis curiae magister supremus 333.
Wiśniowiecki (Visniewetzki, Visnievecensis dux, Visnyowski) 11. 114.
Viszenski (Wyszeński) Stephanus, capitan. Kielcensis 187.
Vogt Bartholomaeus, civis Elbingensis 159. 409.
Wolski Felix, civis Poltoviensis 143.
Wolski Nicolaus, magister curiae reginae 119.
Wolski (de Volya) Paulus, vicecapitaneus Gostinensis 72.
Wolski, canonicus Posnaniensis 19.
Woynowski, servitor castellani Posnaniensis 247.
Woźnicki, aulicus Andreae Cricii 416.
Wrantius Michaël Dalmata 343.
Wratislaviensis episcopus (Saltza) 245.
Wrona, interpres Sigismundi I in Turcia 195.
de Wythkowice Georgius Czarny, tenutarius Urzandoviensis 72.

Zagrabiensis episcopus. 388.
Zakroczimensis capitaneus 118.
Zakrzewski 253.
Zaleski Stephanus 203.
Zambocki (Szamboczki, Zębocki) Joannes, aulicus et secretarius regius 151. 252. 254. 275. 276. 309. 346. 371. 372. 383. 444. 452. 453. 459.
Zambocki Joannes, poenitentiarius, canonicus Plocensis, defunctus 413. 428.
Zamoyski (Zamosczki) Felix, judex Chelmensis 72.
Zamoyski (Zamosczki), canon. Cracov. 441.
Zapolya Joannes (Janussius), Trenczinensis, comes Scepusiensis, rex Ungariae, passim.
Zapolya Stephanus, Joannis regis pater 350.
Zavolgenis Tatarorum caesar (Schachmet Soltan) 1.
Zawichostensis castellanus v. Mielecki.
Zbąski (Sbanski) Joannes, canonicus Posnaniensis 153. 196. 202. 203. 251.
Zcimermann Georgius, secretarius Thorunensis 449.
Zebrzydowski Andreas 371. 428.
Zebrzydowski 458.
Zeklyntzki (?) 249.
Zend Michaël 268.
Żukowski Nicolaus, praepositus Varsoviensis 178.

BIBLIOTEKA NAUKOWA WAP
2545/3